50 D 15

S
20/6/06
779

448
58/C
HIf
18

H: Brown Liverpool

# DISPUTATIONES CHIRURGICÆ SELECTÆ.

COLLEGIT, EDIDIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS TERTIUS.




D. Pelon pinx. L. Joubert orn. et Sculp. Lugd.

VENETIIS,

Sumptibus HÆREDUM BAGLIONI.

MDCCLV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

# DISPUTATIONUM *CHIRURGICARUM* SELECTARUM.

*PARS QUARTA*

## DE MORBIS ABDOMINIS.

---

LVIII.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, *DE* MORBIS A SITU INTESTINORUM PRÆTERNATURALI.

*Quam Præſide*

D. D. POL. GOT. SCHACHERO,

*Tuebatur*

M. GOT. FRIDERICI.

Lipſiæ 11 Maii anno 1721.

# *PRÆFATIO.*

## §. I.

*Quantumvis inteſtina ſint tetra ſcybalorum hoſpitia & ſqualida ſordium receptacula, eoque fine in imo ventre collocata, ut a ſublimi rationis arce impuritates longiſſime abeſſent, utque horum miniſterio ſordes ex corpore commodius eliminarentur, tantum tamen abeſt, ut anfractuoſi illi & varie circumgyrati canales fœtido illi operi, ut ut œconomiæ animali perſalutari ſint, unice a natura deſtinati, ut potius in iis nectar illud vitale, chyli nomine inſignitum, ſanguinique ac ceteris fluidis nec non partibus ſolidis conſervandis nutriendiſque adeo neceſſarium, paulo perfectius elaboretur, atque ab impuro ſegregetur. Namque eum in finem non modo præmemorata inteſtina ex inferiori ventriculi orificio educuntur pliciſque meſenterii mirabilem in modum adnectuntur, verum in eorum quoque cavitatem varii ſucci confluunt, quo cooperante, mirifica, qua donata ſunt, ſtructura præſtantiſſimo illo opere expedite perſungi queant. Uti vero univerſi corporis ſalus a bona harum partium conſtitutione dependet; ita contra variis iiſque permultis morbis adfectæ non dumtaxat moleſtias in corpore multifarias excitant, ſed & non raro idem in peſſimum ſtatum conjiciunt, aut penitus enecant. Ex infinitis, quibus corripiuntur morbis, eos, qui a ſitu eorum morboſo atque a ſtatu naturali deflectente dependent, ad examinis incudem revocare in præſenti fert animus.*

## §. II.

*Uterum gravidum ultra umbilicum paulatim exſurgentem inteſtina urgere, premere, atque imprimis ileon a ſede naturali dimovere, denatarum gravidarum ſectio perſpicue docet. Etenim uti ileon gyroſo flexuoſoque ductu progrediens ac cætera longitudine non parum ſuperans ſub umbilico ad ilea, hypogaſtrium & pelvim deſcendit, peritonæo muſculos abdominis interne cingenti immediate accumbens, ita gravidæ abdomine circa poſtrema geſtationis tempora diſſecto, uterus mirum in modum expanſus pelvim, hypogaſtrium, ilea & regionem umbilicalem occupans, nullo inteſtino aut omento anterius tectus, ſed peritonæo immediate ſubſtratus, nudus in conſpectum prodit, ileo interea temporis ſuperiora verſus & ad latera reclinato. Neque vero præfracte negaverim, a ſitu hujus inteſtini mutato, & eodem in anguſtius ſpatium compulſo, varias, a quibus raro gravidæ ſunt immunes, moleſtias excitari, cum facile evenire poſſit, ut nunc flatuum, nunc aliorum contentorum progreſſus remoretur, atque ideo jam ſegnitiei alvi, jam inflationi abdominis, jam dolori fixo ſimilique malo fomes præbeatur. Nihilo tamen ſecius cum ſolemni naturæ curſu mutatum hujus*

 *inteſti-*

*inteſtini ſitum in gravidis obſervemus, atque is arte corrigi nec poſſit, nec debeat, non eſt cur eidem prolixius perſcrutando impræſentiarum inhæreamus.*

## §. III.

*Neque ſitum inteſtinorum a naturali non nihil deflectentem, quem in ventroſis obſervamus, prolixe commemorabo. Siquidem abdomen modo flaccidum, modo tenſum ad femora & fere ad genua uſque interdum protendi, non modo præpingues, ſed & fœminæ obeſæ perinde ac graciles poſt partum negligenter tractatæ teſtantur. Uti namque abdominis muſculi geſtationis tempore inſigniter expanſi poſt fœtus excluſionem flacceſcunt, paulatim demum leniori contractioni priſtinum robur atque figuram recuperantes; ita facili negotio accidere poteſt, ut propter faſciarum abdomini provide applicandarum neglectum, nec non copioſi flatulentique cibi ac potus ingurgitationem inteſtina inflata ponderoſaque languidorum muſculorum renitentiam ſuperent, eoſdemque pedetentim extendendo efficiant, ut tandem abdomen ſaccum veluti quempiam ad femora propendentem formet. Jam vero iſtiuſmodi ſaccus non eſt vacuus, ſed inteſtinis eo uſque ac veluti extra conſuetos abdominis limites prolapſis repletus. Hinc ejuſmodi homines quidem ambulationis tempore aliquid incommodi ſentiunt, & ad alvi ſegnitiem & ab ea pendentia mala haud parum ſunt proclives, tamen cum hæc & ſimilia accidentia parvi plerumque faciant, & præterea alimenta copioſa appetant, ac ceteroquin bene ſatis ſe habeant, vix de auxilio medico ſunt ſolliciti, quo fieri ſolet, ut malum inveteraſcens poſtea omnem remediorum efficaciam eludat.*

## §. IV.

*Præterea interdum colon* Sylvio [*a*] *Auctore præter conſuetas naturæ leges uſque ad umbilicum & quandoque uſque ad veſicam inſigni anfractu per medium abdomen volvitur, unde prædictus auctor harum rerum ignaros erroris arguit, qui eum ſaltem dolorem, qui partem abdominis ſuperiorem anterioremque cinguli modo cingit & torquet, colicam nuncupare ſolent. Atque unum tantum inteſtinum ſigmatis forma intortum in admodum voraci* Bartholino [*b*] *teſte obſervavit* Cabrolius. *Etenim uti eodem auctore animadvertente animalia, quo rectiores ductus habent a ventriculo ad anum, eo guloſiora ſunt; quo convolutiores, eo continentiora; ita voracitatis cauſam non inepte ab inteſtino juſto breviori deducit; cum probabiliter multæ alimentorum partes indigeſtæ aut etiam digeſtæ intra breve temporis ſpatium ano fuerint excluſæ, quarum jactura ut tempeſtive inſtauraretur, frequentiori opus erat appetitu. Paucis ante diebus* Cl. Præſes *infanticidam publice diſſecabat, in qua inteſtina tenuia omnia ſiniſtram ſaltem abdominis partem occupabant, colon vero triplicem anfractum memorabilem formabat; quippe ex ileo dextro aſſurgens ad ſpithamæ longitudinem* revol-

[*a*] Pr. Med. L. 1. c. 14. §. 11.
[*b*] Anat. L. 1. c. 10. p. 81.

*revolvebatur, ad hepar reaſcendens ibidem alterum anfractum formabat; ſiquidem altius quam par erat ad hepar aſcendens revolvebatur ad imam fundi partem, ſub qua ad hypochondrium ſiniſtrum delatum tertium formabat anfractum, utpote quod ad ſuperiorem diaphragmatis partem delatum, ibidem non modo cum diaphragmate cohærebat, atque lienem totum ſub eodem deliteſcentem occultabat, ſed & a ſuperioribus revolutum tandem per viam ordinariam ad rectum deſcendebat. Sed uti iſtiuſmodi naturæ luſus poſt hominum fata plerumque miramur, neque arte ulla emendari poſſunt, eos pariter jam miſſos facimus.*

## §. V.

*Oppido rara eſt obſervatio, quam* Realdus Columbus [*c*] *de ſitu inteſtinorum præternaturali literarum monumentis conſignavit :* in Cardinali, *inquiens*, Campegio, *quem poſt fata præmemoratus auctor diſſecuit*, inteſtina omnia ad hypochondria redacta erant, propterea cavitas inferior abdominis inteſtinis deſtituta erat, & ſpina detecta. Quamobrem medico licebat abdomen Cardinalis attrectanti magnæ arteriæ motum perſentire, & una cum illa durities perſentiebatur. Illa vero durities nihil aliud erat, quam vertebrarum corpora. *Simile quid* Bartholinus [ *d* ] *in muliere hydropica obſervavit, utpote cujus inteſtina omnia ad dextrum hypochondrium erant detruſa, ut initio abdomen inteſtinis caruiſſe apparuerit. Licet autem veriſimillimum videatur, poſteriori in caſu inteſtina aquarum acredine ſtimulata fuiſſe abbreviata, earumdemque mole in alterum hypochondrium protruſa, tamen modus, quo priori in caſu inteſtina abdomine cæteroquin vacuo ad utrumque hypochondrium fuere compulſa, explicatu paulo eſt difficilior, præcipue cum* Columbus *ſymptomata, quibus vexatus fuit Cardinalis, ſicco prætereat pede. Quantum vero ſuſpicari licet, ſpaſmo partim in inteſtinis, partim in muſculorum abdominis parte inferiori ſæviente factum eſſe, opinor, ut inteſtina corrugata abbreviataque violenta muſculorum conſtrictione ſuperiora verſus fuerint protruſa. Neque vero minus rara eſt obſervatio, quam* Henr. ab Heer [ *e* ] *deſcribit; quippe qui vulneris diaphragmatis meminit, per quod inteſtina in thoracis cavum irrepſerunt, pulmoneſque & cor ſuffocarunt. Verum enim vero cum iſtiuſmodi caſus perrari ſtatum ægri fere declamatum deſignent, nec iis impoſterum uberius declarandis immorabimur, potius inteſtinorum intus ſuſceptionem, ani procidentiam atque inteſtinorum prolapſum, in hernioſis & vulneratis qui animadvertitur, quatuor in capitibus ſigillatim contemplaturi. Cui labori ut ſummus archiater ex alto benedicat, ea, qua par eſt, animi devotione precamur.*

CAPUT

[*c*] De re Anat. Libr. 15. p. m. 267.
[*d*] Obſ. Med. 25.
[*e*] Hiſt. Anat. c. 1. Hiſt. 2.

# CAPUT PRIMUM.

## DE

## INTESTINI INTUS SUSCEPTIONE.

### §. I.

SAne interdum accidit, ut pars inteſtini ſuperior inferiorem, vel inferior ſuperiorem ſubeat, vix aliter ac gladius vaginæ inſeritur, aut vitrum anguſtius capaciori ſolet includi, aut uti in digito chirotecæ reduplicato animadvertere eſt, quam ſitus inteſtini mutationem nonnulli intus ſuſceptionem, aut unius inteſtini in alterum ingreſſum nuncupare ſolent.

### §. II.

Equidem huic affectui plerumque inteſtina tenuia & imprimis jejunum atque ileon ſunt obnoxia, tamen nec ab eodem craſſa omnimodo eſſe immunia, Auctores fide digni teſtantur. Siquidem *Hildanus* [*f*] verba de quodam ex iliaca paſſione denato faciens, *aperto corpore*, inquit, *inveni inteſtinum cæcum contractum in inteſtinum ileum ſe ſe inſinuaſſe, idque oppleviſſe, adeo ut nihil ex ſuperioribus inteſtinis ad colon permeare poſſet;* Neque minus rara ſunt, quæ Celeberrimi viri [*g*] *Le Clerc & Mangetti* in juvene quodam ex iliaca paſſione mortuo obſervavere: *ſed, quod notatu digniſſimum*, inquiunt, *ejuſdem inteſtini (i. e. coli) portionem, duabus præter propter a recto ſpithamis diſtantem, octo uncias longam, nigerrimam, ponderoſam, inteſtini proximam portionem, non quidem ſuperiorem, ſed inferiorem quatuor digitos ſubeuntem, reperimus.* Atque [*h*] *Blaſius* in juvene prædicti affectus truculentia extincto, duplicem intus ſuſceptionem uno in inteſtino animadvertit: *Imo etiam*, inquiens, *in puero quatuordecim annorum eam notare licuit, & quidem duplicem, ſic ut uno loco pars inteſtini ilei inferior ſe inſeruerit in ſuperiorem, altera pars ſuperior in inferiorem.* Imo [*i*] *Peyerus* puellam octennem diſſecuit, cujus tenue inteſtinum tres ejuſmodi ſuſceptiones aut coarctationes e diſtinctis intervallis ſpectandas exhibuit.

### §. III.

Ad iſtiuſmodi intus ſuſceptionis rationem diſtinctius paulo concipiendam opus

[*f*] Obſ. Chir. cent. I. obſ. 61.
[*g*] Bibl. anat. p. 1. p. 128.
[*h*] Obſ. Medic. 3.
[*i*] De uſu glandularum inteſtinal. earumque variis affectionibus. c. 9.

opus eſt, ut præſupponamus, inteſtina naturaliter fibrarum ſpiralium miniſterio in ſemetipſa conſtringi & anguſtari, longitudinalium ope abbreviari, fibraſque modo ſuperius, modo inferius motionem ſuam ordiri. Præterea extra dubitationis aleam eſt poſitum, portionem inteſtini cujuſdam inſuete jam dilatari, jam conſtringi. Nuper admodum *Excellentiſſ. Dom. Præſes* epilepticum aliquot ante obitum dies pertinaciſſima alvi ſtypticitate laborantem diſſecuit, in quo ſcybala duritiem pene lapideam indepta in duabus coli partibus diſtinctis, ſpithamæ longitudine a ſe invicem diſtantibus; domicilium ſibi formaverant ita, ut portiones inteſtini feces complectentes non parum dilatatæ, proximæ vero tum ſuperiores, tum inferiores tam fortiter conſtrictæ apparuerint, ut vix pollicis craſſitiem adæquaverint. Profecto mihi temperare nequeo, quin ea, quæ Clariſſimus [ *k* ] *Peyerus* non ſine animi jucunditate in rana obſervavit, conciſe commemorem: *Etenim inteſtina*, inquit, *vivente amphibio laceſſita in diverſis locis pertinaciſſime mox ſe conſtringebant, contentis violenter ſurſum deorſumque qua data porta protruſis, atque hinc inde in cumulos quaſi congeſtis. Inde quædam inteſtini portiones valde impletæ ac turgidæ, aliæ prorſus inanes & arctiſſime clauſæ perſtiterunt, donec ſoluta fibrarum strictura meatus liberior redderetur. Inteſtinis autem hinc inde ſe conſtringentibus, & ſive chylum ſive feces ſurſum deorſumve projicientibus, factum, ut inteſtini partes quædam alicubi plus debito ampliarentur; Hæ ita ampliatæ ac in ſacci morem dilatatæ intra ſe receperunt conſtrictas ejuſdem inteſtini alias portiones vicinas, eaſque ſinu ſuo abſconditas aliquandiu detinuerunt, donec fibris ſe denuo exporrigentibus inteſtini pars una e latibulis alterius velut e domuncula limax in propatulum priſtinamque ſedem rediret.*

## §. IV.

Ex præmiſſis jam colligo, ad intus ſuſceptionem requiri, ut portionis inteſtini proximam ſubeuntis diameter minor ſit diametro inteſtini præmemoratam portionem recipientis, quod fieri nequit, niſi portio recipienda ſit fortiter contracta, vel recipiens inſuete dilatata. Namque cum inteſtina tenuia ejuſdem feré ſint diametri, id quod in craſſis ſeorſim conſideratis pariter obſervare eſt, ſane quamdiu tenuia æque ac craſſa æquabiliter vel contrahuntur vel dilatantur, tamdiu intus ſuſceptio locum nequaquam invenit. Jam vero ex ſupra dictis conſtat, interdum portionem inteſtini ſpiralium fibrarum miniſterio violenter contrahi, quapropter ſive oppoſita pars inſuete ſimul ſit dilatata, ſive naturalem obtineat amplitudinem, contractam tamen portionem recipere potis eſt. Cumque porro ex ſuperioribus innoteſcat, portionem inteſtini non raro inſuete dilatari, certe in eam oppoſita pars ſive præternaturaliter contracta ſive naturalem dimenſionem obtinens delabi poteſt. Præterea ad intus ſuſceptionem requiritur, ut una inteſtini pars alteram ſubeat, quod probabiliter contrario utriuſque partis fibrarum

[ *k* ] Part. poſter. de uſu glandul. inteſtinor. eorumque variis affectionibus c. 9.

brarum longitudinalium motui debetur: Siquidem in antecedenti theſi jam jam monuimus, fibras modo ſuperius, modo inferius motum ſuum ordiri. Si itaque accidat, ut portionis ſuperioris fibræ longitudinales inferiora verſus, & inferioris fibræ ad ſuperiora ducantur trahanturque, fieri omnino poteſt, ut pars ſuperior inferiorem, aut inferior ſuperiorem ingrediatur. Porro intus ſuſceptionem externa preſſione haud parum augeri, veri eſt ſimillimum; uti enim diaphragmatis deſcenſu & conſtrictione muſculorum abdominis inteſtina nunquam non molliter comprimuntur, ita ſæviente ſpaſmo, aut cooperante ſpeciali nixu, ad fecum vel liquoris obſcœni excretionem neceſſario eadem longe intenſius conſtringuntur, quo fieri facile poteſt, ut una inteſtini pars in alteram profundius intrudatur. Tandem contenta inteſtinorum ſymbolum ſuum ad hunc adfectum contribuunt; ponamus enim partem ſuperiorem anguſtatam ingreſſum in inferiorem moliri, aut eam jam dum ſubiiſſe, certe feces, flatus ſimiliaque a ſuperioribus inferiora verſus tendentia, dum per anguſtatam partem tranſire commode nequeunt, neceſſe eſt, pars anguſtata preſſioni cedat, atque ideo de loco mota in ampliatam altius ſeſe inſinuet. Idem judicium eſto, ſi pars inferior contracta ſuperiorem ampliorem ſubeat, atque contenta ab inferioribus ſuperiora verſus urgeantur. Quare cum [*l*] *Verducio* facere nequeo, exiſtimante, intus ſuſceptionem ſine meſenterii ab inteſtinis ſolutione & ab ea pendente ſanguinis effuſione ne animo quidem concipi poſſe, atque ideo omnem pro fabula rectius haberi. Siquidem uti ſupra enarratæ hiſtoriæ contrarium affatim docent, ita in inteſtini jejuni valvulis conniventibus inſtructi & ex iliaco exemti portione, quam *Excellentiſſ. Dn. Præſes* mihi monſtravit, clariſſime videre eſt, non modo partem ſuperiorem valde anguſtatam octoque pollices longam proximam ſubiiſſe, ſed & meſenterium ſine ulla ab inteſtino ſeparatione in eamdem ſimul irrepſiſſe, uti hæc omnia in adjecta figura quarta diſtincte obſervari queunt.

§. V.

Interim taliſmodi intus ſuſceptio ſine magno ægrotantis incommodo fieri nequit, quippe ſive pars inteſtini a flatibus aut humoribus fermenteſcentibus immodice dilatetur, ſive manipulus fibrarum ab humore acri, auſtero ſimilique ſtimulatus ſpaſmodice contrahatur, ſive uno eodemque tempore una pars dilatetur & proxima contrahatur, nunquam non inde cruciatus perpeſſu difficiles oriuntur, ita ut adfectus hicce medios inter dolores & anxietates generetur. Tantum vero abeſt. ut generato hoc adfectu ſymptomata miteſcant, ut potius paulatim intendantur, id quod imprimis iliaca paſſio propter malorum lernam miſerere mei dicta luculenter docet. Niſi enim vel ſpontaneo naturæ ductu, vel remediis congruis intus ſuſceptio emendetur, tandem halitus fœtidi, aut feces, propter earum tranſitum per contractam inteſtini partem præcluſum, atque hinc intenſiorem inverſumque inteſtinorum

[*l*] Chirurg. c 30. de vulner. abdomin. p. m. 188.

rum & ventriculi motum, ore non ſine horrore ſummo excernuntur, id quod non modo in theſi ſecunda citati Auctores, ſed & [ *m* ] *Sylvius*, [ *n* ] *Marchetti*, [ *o* ] *Ruyſchius* aliique autopſia edocti ſatis ſuperque teſtantur. Ut nihil jam de ſphacelo dicam, qui in parte affecta nec non vicinis ac remotis partibus propter ſtagnantes putridoſque humores atque inflammationem in prædictum morbum mutatam a ſedulis naturæ ſcrutatoribus multoties obſervatus fuit, cujuſque veſtigia in modo commemorato inteſtino anguſtam amplectente pariter clare animadverti queunt.

## §. VI.

Ceterum adfectus hicce cognitu perarduus eſt atque difficilis; quantumvis enim ii imprimis, qui alvi ſegnitie, cruditatibus acidis potiſſimum atque auſteris, exquiſitis inteſtinorum torminibus; colica flatulenta frequenter laborant vexanturque, ad hunc adfectum ſint proclives, atque hinc ſi in pertinaciſſimam alvi ſtipticitatem, dolorem abdominis fixum, gravitate & andore ſumme moleſtum & interdum totum fere inteſtinorum canalem in conſenſum trahentem, in inquietudinem, tandemque in iliacam paſſionem nullo hernioſo tumore comparante incidant, non minimam de intus ſuſceptione ſuſpicionem moveant, omnia tamen hæc mala modo a flatibus, modo a fecibus induratis, modo a pituita vitrea, modo a calculo, modo a contorſione inteſtinorum ſine intus ſuſceptione oriri, in praxi verſatis ignotum eſſe nequit. Determinatu longe eſt difficilius, utrum pars inteſtini ſuperior inferiorem, an vero hæc illam ſubierit, cum hæc & ſimilia in mortuis quidem videamus & miremur, in vivis vero exacte definire nequeamus, tametſi, ut ex mox dicendis plenius conſtabit, ad prudentem remediorum ſelectum accurata harum rerum notitia haud parum faciat.

## §. VII.

Ex quibus ſponte jam innoteſcit, præſentem adfectum non modo curatu eſſe perdifficilem, ſed & ſumme periculoſum ac plerumque lethiferum. Cum enim eum & qualitatem ejus adeo difficulter cognoſcamus, profecto cura ejus incerta admodum erit atque ambigua, imo proh dolor! facile accidere poteſt, ut in perplexo hoc rerum ſtatu remediis præſcribendis plus damni quam emolumenti ægrotantibus adferamus. Et quemadmodum tunc demum, quando iliaca paſſio præ foribus pulſat, aut in eam actu elapſus eſt æger, intus ſuſceptionem certius paulo ſuſpicamur; ita ſummo in vitæ periculo verſari eo tempore ægrum, cordati omnes facile mecum fatentur. Etenim perſeverante obſtructione non modo quævis ſymptomata exacerbantur, ſed & tetris



[ *m* ] Prax. med. l. 1. c. 15. §. 18.
[ *n* ] Biblioth. medic. pr. t. 2. l. 8. de Ileo.
[ *o* ] Obſerv. anat. Chirurg.

tetris fecum putridarum particulis humores imbuuntur, inflammationique atque gangrenæ non inepta datur occaſio. Quare uti ileus ab inflammatione qui oritur, pro deſperato communiter habetur; ita nihil ſpei de recuperanda ſanitate ægrotanti adfulget, ſi intus ſuſceptio gangrænam ſphacelumque habeat comitem. Neque vero facile ratio patet, quomodo malo huic pharmaceuticis remediis mederi queamus, ſi pars inteſtini ſuperior inferiorem intraverit, uti occaſione methodi medendi diſtinctius paulo declarabitur. Contra quando inferior inteſtini portio ſuperiorem ſubiit, atque pars adfecta inflammatione atque gangrena nondum eſt correpta, major convaleſcentiæ ſpes imminet, tametſi nec tum certi quid polliceri queamus, cum autopſia teſte remedia, huic adfectui alias appropriata, interdum in caſſum adhibeantur.

## §. VIII.

Interim eo opera eſt navanda, ut reduplicata inteſtina, quantocyus fieri poteſt, ſitui naturali reſtituantur. Eum in finem remedia ex diætetico, pharmaceutico atque chirurgico depromenda veniunt. Prolixum nimis & a præſenti ſcopo alienum videtur, quaslibet res non naturales ſigillatim examini ſubjicere, hinc in genere monuiſſe ſufficiat, quævis cane pejus & angue vitanda eſſe, quæ ſpaſmum in inteſtinis ſævientem aut inflammationem augere valent, quorſum ira aliaque graviora animi pathemata, aër frigidus, cibus potuſque flatulentus geliduſque ac nimis ſpirituoſus pertinet; contra quævis temperata ægrotanti apprime conducunt, præcipue ſi alvus non nimis ſit conſtipata, atque flatus minimum reddat. Utrum vero alimenta ſolida, an vero fluida huic adfectui magis conveniant, non immerito quæritur? Equidem ejuſmodi ægri ordinarie ſolida averſantur & quævis ingeſta vomitu brevi rejiciunt, atque ideo quæſtio hæcce inutilis prorſus & ſuperflua videtur, tamen ſi contra morbi genium æger eadem appetat, vel remedii loco a medico præſcribantur, diſquirere utique convenit, quid boni ab iis ſperandum, quidve mali metuendum: ſane intus ſuſceptio poſtulare utique videtur remedia, quorum pondere & preſſione receptum inteſtinum urgeri, elongari atque hinc ſitui naturali reſtitui queat, jam vero alimenta ſolida fecibus majorem conſiſtentiam atque pondus conciliant, ideoque non prorſus cum ratione pugnat, earum appulſu atque preſſione retroceſſionem inteſtini recepti promoveri poſſe. Sed enim vero cum feces glutinoſis particulis conſtantes ſint minus mobiles, neque inſigni elaſtica aut renitendi vi polleant nimiſque induratæ propter irregularem figuram ægerrime moveantur, ſane alimenta ſolida malo huic emendando minus convenire videntur, id quod autopſia ſimul confirmat, cum ordinarie hic affectus cum iliaca paſſione ſit complicatus. Imo vero iiſdem mox commemorandorum remediorum activitatem infringi & retardari, veritati quam maxime eſt conſentaneum. Quare ægrotanti magis eſt ſalutare, ſi ſolis juſculis aliiſque fluidis facultate lubricandi temperandique humorum acredinem pollentibus veſcatur.

§. IX.

## §. IX.

Quod ad pharmaceutica remedia attinet, eorum alia ſpaſmo & inflammationi, alia ipſi adfectui convenire debent. Illi intentioni blandiora antiſpaſmodica terrea cum caſtoreatis, ſuccinatis, cinnabarinis, papaverinis prudenter mixta apprime faciunt ſatis, non neglectis diluentibus & clyſmatibus emollientibus. Nociva vero ſunt cathartica, ſpirituoſa, aromatica ſimiliave, utpote quibus feces quidem flatuſque moventur, ſed per conſuetas vias haud promoventur, ut hinc non mirum, ſi iis quævis mala exaſperentur. Verum quia hoc remediorum apparatu palliative ſaltem ægro ſuccurrimus, ad ipſum morbum curandum opus eſt, ut tandem ad globulos ex plumbo vel auro confectos optimeque politos, vel ad mercurium vivum eumque depuratum progrediamur. De globulorum in iliaca paſſione efficacia [ *p* ] *Helmontius* ſequentia habet: *Neminem*, inquit, *volvulo perire ſivi*, *potandos nimirum dedi aliquot globulos plumbeos muſquetarum*, *quo enim*, pergit, *plures hauriuntur & majores*, *eo tutior & celerior ſequitur ſanatio*, *modo æger ſtet*, *ambulet*, *vel velut ducatur erecto abdomine.* Sic pariter. [ *q* ] *Henricus ab Heer* [ *r* ] *Zacut. Luſitanus* aliique globulorum minorum majorumque uſum in præmemorato affectu confirmare conantur. Atque [ *s* ] *Pareo* animadvertente *Marianus Sanctus Barolitanus* multos novit, qui in Ileo deſperato imminente morte liberati ſunt, hauſtis argenti vivi cum aqua ſola libris tribus. Imo vero mercurium globulis plumbeis eſſe efficaciorem, ex [ *t* ] *Fontano* patet, quippe qui iliacæ paſſionis tandem mercurii beneficio curatæ meminit, poſtquam tres bombardæ globuli gratis deglutiti fuiſſent.

## §. X.

Quoniam vero utrumque hoc remedium in ileo, vel a fecibus aliaque materia inteſtini portionem obſtruente, vel ab inteſtinorum contorſione, vel ab eorum intus ſuſceptione pendente, promiſcue ab autoribus commendatur, atque in præſenti de intus ſuſceptione ſaltem eſt ſermo, non immerito quæritur, an & huic adfectui utrumque remedium indiſcriminatim conveniat? Certe utriuſque uſum inutilem eſſe & nocivum, quando pars inteſtini ſuperior in inferiori abſcondita deliteſcit, ſana ſuadet ratio. Cum enim diameter inteſtini inferioris multo ſit amplior diametro inteſtini ſuperioris, oreque excepta a ſuperioribus inferiora verſus urgeantur, profecto mercurius vivus vel globuli per partem inteſtini anguſtam vel facile, vel difficulter, vel plane non tranſibunt. Si facilis eorum eſt tranſitus, intus ſuſceptio

 in

[ *p* ] L. de flat. 31. p. m. 375.
[ *q* ] Obſerv. 2.
[ *r* ] L. 2. pr admirab. obſ. 27.
[ *s* ] Libr. 20. c. 38.
[ *t* ] Conſil. & reſponſ. p. 85.

in eodem permanebit ſtatu. Namque prædicta concreta dum ex anguſto in anguſtum ſpatium tendunt, atque inferior inteſtini pars amplitudine ſuperiorem multum ſuperans nullam remoram motui & progreſſui utriuſque concreti injicit, quo modo reduplicatum inteſtinum diſtrahi & evolvi queat, ratio patet nulla. Quod ſi vero tranſitus ſit minus expeditus, difficilis aut plane nullus, non poteſt non intus ſuſceptio cum reliquis malis augeri. Quippe pars in inferiorem inſerta, dum pondere horum concretorum premitur atque urgetur, eo ipſo quoque altius in imam deſcendet. Neque vero hujus generis remedia conveniunt, quando intus ſuſceptio inflammatione eſt ſtipata; uti namque pars inflammata & dolorifica diſtractioni & evolutioni minus eſt apta; ita inflammatio pondere & frigiditate horum concretorum irritata facile augebitur, auctaque in gangrænam mutabitur. Quare eo imprimis tempore remedia hæcce locum inveniunt, quando inferior inteſtini pars, quod paulo rarius accidere ſolet, ſuperiorem eſt ingreſſa. Etenim mercurius perniciſſimo motui concipiendo peridoneus, vel globuli propter rotundam figuram identidem valde mobiles per ampliatam inteſtini ſuperioris partem in inferiorem receptam & coarctatam dum impingunt, fieri omnino poteſt, ut portio inferior recepta niſui & preſſioni iſtorum concretorum cedat, cedens deſcendat, deſcendens tandem ſitum recuperet naturalem. Ut autem globuli per gyroſum inteſtinorum canalem velocius volvantur, atque mercurius non adeo facile poros vaſorum ſubeat, non inconvenienter uſus olei amygdalarum dulcium ſimiliſque præmittitur. Præterea ad utriuſque concreti tranſitum exitumque juvandum motio eſt ægrotanti ſuadenda, hinc nonnulli eidem, curru ut vehatur, ambulet, erectum corporis ſitum ſervet, perbene imperant, quo, ſi fortaſſis ſyſtalticus inteſtinorum motus ad propellenda concreta haud ſufficiat, eadem totius corporis motione in citatiorem motum cieantur. In quantitate autem mercurii præſcribendi definienda parum concordes ſunt Practici atque unanimes. Sunt enim nonnulli, qui ſaltem unam alteramque unciam adprobant, libram vero unam alteramque rejiciunt. Verum enimvero modo mercurius aſſumtus per anum brevi egeratur, parum intereſſe videtur, ſive minorem ſive majorem mercurii quantitatem æger aſſumat, tametſi in præſenti caſu paulo major mercurii doſis neceſſaria videatur. Siquidem mercurium ad libram unam & ultra vel ad innoxias ejus vires explorandas cani, vel joci cauſa aut etiam remedii loco homini datum fuiſſe, hiſtoriæ variæ ſatis ſuperque docent. Itaque crediderim ego, potiora mala non tam a mercurii quantitate, quam potius ab ejus mora ſolito diuturniore ejuſdemque exitu intercepto metuenda eſſe.

## §. XI.

Ex hiſce quidem adparet, cui potiſſimum intus ſuſceptionis ſpeciei mercurius vel globuli conveniant, tamen cum alibi jam tum monitum fuerit, intus ſuſceptionem & imprimis qualitatem ejus cognitu eſſe perdifficilem aut plane

plane impoſſibilem, utriuſque remedii uſum incertum ſatis eſſe atque ambiguum, non citra ſonticam cauſam aſſeruimus. Imo vero utraque remedia diſtrahendis inteſtinis intus ſuſceptis interdum haud ſufficere [u] *Panarolus* atque [v] *Cheſneau* luculenter teſtantur; quippe qui & mercurium & globulos circa partem intro ſuſceptam in iis, qui ileo ſunt defuncti, obſervavere.

## § XII.

Quod tandem ad Chirurgica attinet remedia, ad ea V. S. follis & ſectio pertinet. De venæ ſectione non eſt, cur in præſenti agam, quippe quæ inflammationis vel præveniendæ vel mitigandæ gratia adhibita non ipſi adfectui medetur. Quod autem ad follem ſpectat, ſane nonnulli eodem ano applicato inteſtina non ſolum ad intus ſuſceptionem emendandam, ſed & ad corrugata inteſtina explicanda, aut ad ſtercora indurata & impacta proliciendo inflant. Impræſentiarum nobis ſaltem de uſu follis in intus ſuſceptione eſt ſermo. Itaque jam præſuppono, eum plane non convenire, ſi inteſtina tenuia id vitii contraxerint; quis enim in pertinaci alvi ſtypticitate univerſum canalem inteſtinorum inflabit, certe facilius aër in eum intrudi, quam denuo ex eo elici poteſt, qui tamen in inteſtinis oberrans & incarceratus mille malorum fœcundus eſſe ſolet autor, ut nihil jam de ſubita atque immodica inteſtinorum inflatione dicam, qua facile fieri poteſt, ut ea ultra ſphæram naturalem expanſa, tonoque hinc ſuo privata, egeſtioni ſecum reddantur inepta. Præterea merito dubitamus, an aër per prætenſam *Bauhini* valvulam in tenuia inteſtina aſcendat; proinde hujus remedii uſus partim ſupervacaneus, partim nocivus erit. Neque vero multum levaminis a follis uſu eſſe ſperandum, exiſtimo, ſi inteſtini craſſi portio inferior ſuperiorem ſubierit, potius metuendum fore opinor, ne aër vi intruſus & ægre per partem coarctatam aſcendens, eam profundius in ſuperiorem adigat. Quare eo ſaltem tempore locum invenire videtur, quando portio inteſtini craſſi ſuperior inferiorem ſubintravit; hac enim ratione fieri poteſt, ut illa aëri ſuperiora verſus adacto cedat, cedendoque paulatim priſtinum ſitum recuperet. Quis autem Oedipus vel inteſtinum adfectum, vel qualitatem intro ſuſceptionis tuto definiet, quo tuto id remedii genus commendare queat. Omnium itaque certiſſimum remedium fortaſſis ſectio erit. *Annon*, inquit [x] *Barbette*, *præſtaret diſſectione muſculorum abdominis & peritonæi digitis ſuſceptum inteſtinum extrahere, quam certæ morti ægrum committere.* Profecto ego, quod moneam, non habeo, modo quis de intus ſuſceptione & parte inteſtini adfecta ſit certus, ne fruſtra generoſa hæc operatio, quam ægri ægerrime admittunt, non ſine ſummo medentis dedecore inſtituatur. Eam tamen



[u] Pentec. obſ. ultim.
[v] Obſ. med. p. 265.
[x] Anat. practic. l. 4. c. 1.

tamen quondam non ſine felici ſucceſſu fuiſſe inſtitutam *Bonetus* [*y*] teſtatur *Illuſtriſſima Baroniſſa*, inquit, *a Lanti prope Caſtilionem ad Sequanam in Burgundiæ ducatu, iliaco affectu laborans pro deplorata habebatur: Offert ſe juvenis Chirurgus, diu caſtra ſequutus, qui ſalutem certam pollicetur, modo nob. ægra ſectioni in abdomine faciendæ ſe ſubmittat. Conceſſam aggreditur Chirurgus, multiſque eductis & evolutis inteſtinis, antequam convolutio & conduplicatio appareret, eam nactus explicat & nodos diſſolvit, poſtmodum ſedi reſtituit: Hinc gaſtroraphia facta, vulnus feliciſſimo ſucceſſu conſolidavit, integræque valetudini nobilem reſtituit.*

## CAPUT II.

### *De ani procidentia.*

§. I.

Ab intus ſuſceptione ad ani procidentiam progredimur. Sane cum anus modo podicem, modo imam inteſtini recti portionem, modo totum inteſtinum rectum deſignet, atque fieri omnino poſſit & ſoleat, ut jam inteſtinum totum, jam pars ſaltem ejus inferior invertatur, inverſa per portam poſteriorem elabatur, elapſa tumorem magnitudine varium formet, quo ſenſu in præſenti anus ſumatur, & quem prolapſus ejus denotet affectum, ex præmiſſis ſponte innoteſcere arbitror.

§. II.

Memorabile eſt exemplum, cujus *Muraltus* [*z*] meminit, quippe qui aliquando in uxore fabri cujuſdam ferrarii tantam ani procidentiam a partu vidit, quæ ulnam longitudine æquaret. Uti vero prolapſus hicce inter raros & inſolitos caſus jure refertur, ita longe frequentius elapſa inteſtini portio modo pugni, modo ovi anſerini magnitudinem æquat, aut minoris adhuc dimenſionis obſervatur. Quemadmodum enim malum hoc jam recens eſt, jam inveteratum, ita fieri ſolet, ut idem paulatim majora incrementa capiat. Et licet imprimis egeſtionis fecum alvinarum tempore repoſitus anus elabi ſoleat, tamen qui inveterato malo laborant, dum curru vel equo vehuntur, aut alio paulo vehementiori motu corpus exagitant, aut ſaltem ambulant, non raro prolapſum ejus non ſine incommodo inſigni patiuntur. Longe majora incommoda, nec minora pericula ex difficiliori ani repoſitione imminent. Equidem ipſimet ægri molliori digitorum con-

[*y*] Anat. Pr. L. 3. S. 14. Obſ. 20. p. 912.
[*z*] Ephem. N. C. D. 2. A. 1. Obſ. 113.

contrectatione anum ut ut magnitudine inſignem reponere norunt, accidit tamen interdum, ut pars protuberans inflammatione correpta tumeat ita, ut nullo prorſus pacto reſtitui poſſit, hinc, niſi inflammatio tempeſtive diſſolvatur, facile evenit, ut in gangrænam mutata ſummum vitæ periculum ægro adferat.

## §. III.

In ani procidentiæ formalitate definienda practici parum inter ſe conveniunt; etenim nonnulli, villoſam ſaltem inteſtini tunicam a cæteris ſeparatam & incraſſatam tumorem propendentem formare, veluti in vaginæ uteri prolapſu frequenter animadvertere eſt, opinantur, alii totum inteſtinum inverti & expelli arbitrantur, culpam potiſſimum in atoniam vel paralyſin muſculorum levatorum rejicientes. Et profecto anatomicæ ſectiones hoc in paſſu parum lucis nobis accendunt; an enim unquam ad indagandam hujus mali indolem ani prolapſu laborantem quis poſt fata diſſecuerit, me omnino latet. Priori interim ſententiæ haud parum roboris obſervatio a [a]. *Cowpero* litterarum monumentis conſignata addit; quippe qui viri cujuſdam meminit, qui diu multumque hæmorrhoidibus & ani prolapſu vexatus, propter inſignem, cui indulſit, intemperantiam, inflammationi ſubitæ & mox gangrænæ ſphaceloque elapſi ani dedit occaſionem. Idem autem ille æger poſt corruptarum partium exſtirpationem paulatim non modo priſtinam recuperavit valetudinem, verum ab hæmorrhoidibus etiam anique prolapſu immunis prorſus vixit. Nolim tamen propterea præfracte negare, interdum inteſtinum quoad ſingulas membranas inverſum per portam poſteriorem expelli. Equidem firmior cohæſio, quæ eidem in ſexu ſequiori cum vagina uteri, & in ſexu potiori cum veſicæ collo & vicinis partibus intercedit, contrarium ſuadere videtur, præcipue cum avulſio inteſtini a prædictis partibus ſine infinitarum fibrillarum ruptura vix animo concipi poſſit, tamen in paulatina ani prolapſus generatione fieri poteſt, ut fibræ pedetentim, non ſecus ac in aliis membranis mirum in modum præternaturaliter expanſis obſervamus, ſine ruptura elongentur. Imo vero quid impedit, quo minus inteſtini portio ſuperior, neque cum veſica, neque cum vagina cohærens inferiorem ingrediatur, demumque ex ano elabatur. Siquidem idem non tumidum nec inflammatum, ſed cæteroquin naturaliter conſtitutum tactu ſi exploretur, in eo interdum eam conſiſtentiam ac firmitudinem animadvertimus, quæ nudæ tunicæ villoſæ vix ac ne vix quidem attribui poteſt. Et niſi fallor eo tempore ani prolapſus a mutuo inteſtini ingreſſu ſaltem loci intuitu differt. Infima namque inteſtini pars extra podicis fines parum aut plane non protuberat, ſed potius portio inteſtini ſitu ſuperior infimam ingreſſa & inverſa demum prolabitur. Quare ad hoc malum levatores quidem relaxati con-

[a] Anatomy of humane bodies Tab. 39. F. 7.

aliquid contribuere poſſunt, pro diſcrepante tamen inteſtini portione inferiorem ſubeunte, ſine præmemoratorum muſculorum atonia vel paralyſi idem malum oriri poſſe, rationi perquam eſt conſentaneum. Imo vero fortaſſis ſphincteris laxitas ſimul accuſanda venit, utpote qui naturali vigore orbatus, neque inteſtino ingreſſum molienti, neque fecibus adpellentibus juſtis viribus renititur, atque ideo iſtiuſmodi prolapſum promovet.

§. IV.

Nolo jam prolixius juſto in cauſas occaſionales inquirere, aut litem illam dirimere, an pueri præ adultis propter pituitæ flatuumque abundantiam nec non partium teneritudinem frequentius in hunc delabantur adfectum. Id vero experientia ſatis ſuperque confirmat, nec adultos, nec ſenes ab hoc malo eſſe immunes. Imprimis vero conatus ille, quem in teneſmo, laborioſa fecum induratarum egeſtione, partu difficili, lithotomia, clamore intenſo &c. animadvertimus, huic adfectui non ineptum fomitem præbet. Sic enim non raro evenire ſolet, ut univerſa interaneorum, diaphragmate muſculiſque abdominis fortiter compreſſorum, moles inteſtino recto eam inferat vim, ut tandem de loco motum extra podicem elabatur. Id quod in prædiſpoſitis facilius accidit, qui nempe impuris ſuccis ſcatent, quorum tunicæ inteſtini recti mollioris ſunt texturæ & laxioris cohæſionis, aut quando muſculi ani minus robuſti renitendæ partium preſſioni haud pares ſunt atque idonei. Hæc quoque eſt ratio, cur ani prolapſus diarrhoeæ & dyſenteriæ aut etiam apoplexiæ, remanente ſcilicet ſphincteris levatorumque paralyſi, frequens ſit ſymptoma; ubi certe ad eum producendum non ſemper violenta abdominis compreſſione eſt opus, ſed levioris quoque momenti cauſæ emollitum & relaxatum inteſtinum e ſede ſua naturali deturbare valent.

§. V.

Interim ani prolapſus, a quacumque demum cauſa obortus, & in ſe ſpectatus cognitu eſt facillimus; quippe qui oculis uſurpari & manibus palpari facileque a tuberculis majoribus minoribuſque, ab hæmorrhoidibus vel lue venerea oriundis, & interdum ſacculi in modum ano appenſis, diſtingui, nec non naturalis ceteroquin ejus diſpoſitio, vel inflammatio, aut gangræna ſphaceluſque cognoſci dijudicarique poteſt. Sed utrum villoſa ſaltem tunica, an vero inteſtinum quoad omnes membranas inverſum propendeat, ex varia protuberantium partium firmitate cognoſcitur. Si namque pars propendens mollis admodum eſt atque tenuis, villoſam ſaltem tunicam ano egreſſam eſſe veri videtur ſimillimum, contra vero ſi inteſtinum elapſum denſum eſt craſſumque, ac non mediocri firmitate pollens, totum inteſtinum eſſe inverſum, vero eſt quam maxime conſentaneum.

neum. Neque vero cauſæ occaſionales adeo ſunt abſtruſæ, modo quis ad ſubitam, vel paulatinam mali generationem reſpiciat. Id enim nemini obſcurum fore arbitror, occaſione partus difficilis, lithotomiæ id mali interdum extemplo, alio vero tempore paulatim demum generari. Proinde an idem a teneſmo idiopathico vel ſympathetico, a fecibus induratis, ab hæmorrhoidibus, a paralyſi, a diarrhœa aut aliorum humorum colluvie natales ſuos deducat, partim ex ægri relatione, partim ex conſtitutione ejus morbiſque, quibus ſimul laborat, partim ex aliis circumſtantiis commode ſatis cognoſcitur.

## §. VI.

Cæterum adfectus hicce moleſtiæ & doloris eſt pleniſſimus; uti namque dejectionis tempore quicquid repoſitum eſt fecum alvinarum preſſione moleſte admodum & dolorifice adficitur & eo uſque urgetur, uſque dum de novo elabatur; ita nec minus tædioſa ſordidaque abſoluto fœtido illo opere prolapſarum partium eſt repoſitio. Atque hinc quoque eſt, cur idem ille adfectus curatu ſit difficilis, facileque in chronicum ad vitæ uſque terminum durantem degeneret. Niſi enim principiis obſtes, ſero plerumque medicina paratur. Siquidem ſi id mali a tunicæ villoſæ ſeparatione dependeat, coalitionem ejus cum cæteris tunicis quies quidem inſigniter juvat, quam tamen quotidiana egeſtio haud parum turbat; aut ſi culpa magis in ani muſculos relaxatos rejicienda veniat, ſane iidem excretionis tempore ultra ſphæram debitam extenſi, priſtinum vigorem non niſi ægerrime recuperant. Interim veri eſt ſimillimum, hoc malum facilius curari, ſi atonia muſculorum eidem fomitem præbeat, quam ſi a totius inteſtini vel a tunicæ villoſæ ſeparatione ortum trahat. At vero muſculis paralyſi conſummata adfectis aut malo inveterato admodum exiſtente ſæpe optima quævis in caſſum adhibentur. Neque vero morbus hicce omni periculo caret; etenim facile accidere poteſt, ut partes protuberantes inflammatione, corruptione ſphaceloque corripiantur, quo tempore certe præſentaneum vitæ periculum ægro imminet, niſi inflammationis tempeſtiva diſcuſſione, aut partis corruptæ exſtirpatione is ex mediis veluti orci faucibus eripiatur.

## §. VII.

Ex præmiſſis perſpicue adparet, aliam hujus mali curam eſſe veram, aliam palliativam, illius intuitu artifex eo operam dirigit, ut non modo elapſum anum reponat, ſed & in ſitu naturali ſine novi prolapſus metu conſervet, hujus vero intuitu mali incrementum cohibere egeſtionemque minus moleſtam efficere allaborat. Utrique ſcopo ut faciamus ſatis, remediis chirurgicis, pharmaceuticis atque diæteticis indigemus. Quod ad chirurgica attinet, ad ea varia ſpectant. Huc enim referri meretur congrua

ani elapſi repoſitio. Equidem hæc interdum adminiſtratu eſt facillima, vel ab ægro, vel ab alio artis chirurgicæ ignaro, vel a chirurgo perficienda, alio tamen tempore propter protuberantium partium molem, nec non tumorem inflammatorium difficilis ſatis atque ardua, ita ut non raro neceſſe ſit, inflammationem ante diſcutiamus, quam repoſitionem aggrediamur. Huic peragendæ digiti nudi vel linteo molliori obducti ſufficiunt, utpote quorum molliori preſſione inteſtinum paulatim reponitur, ad cujus repoſitionem facilitandam non incongrue pars inteſtini ultimo elapſa & corpori proxima prehenditur, atque hoc ordine ſervato una poſt alteram intruditur. Præterea laborioſæ imprimis repoſitioni haud parum conducit, ſi æger eum corporis ſitum ſervet, ut caput declive, acclives autem clunes ſint. Cæterum repoſitio plane eſt nociva, atque hinc intermittenda, ſi nempe inflammatio inteſtini elapſi in gangrænam ſphacelumque ſit mutata.

## §. VIII.

Nonnulli cum *Barbette* [*b*] ſuadent, ut nates ægri manu explicata ſexies pluriesſve maſcule verberentur, non alium fortaſſis in finem, quam ut languidi muſculi ani levatores officii ſui immemores vividiori ſpirituum influxu animati potentiori robore partem inteſtini elapſam retrahant, ſphincterque arctius poſtea contrahatur. Eamdem ob rationem alii ferro ignito utuntur, quod ex improviſo eminus ſaltem ano applicatum mira præſtare dicitur. Sed utraque remedia relaxatis potiſſimum ani muſculis, non æque tunicæ villoſæ ſeparatæ atque elapſæ convenire, quilibet vel me tacente facili perſpicit negotio.

## §. IX.

Præterea chirurgia varia remedia ad anum repoſitum firmandum ſuadet; ſiquidem nonnulli cucurbitulis ſiccis natibus applicandis utuntur, quæ eo tempore aliquid commodi adferre queunt, quando princeps mali cauſa in languidis ani muſculis hæret. Alii turundam confortantibus remediis imbutam partim ad tunicam villoſam explicandam & cum cæteris uniendam, partim ad muſculos corroborandos ano inſerunt. Alii in turundæ locum annulum ferreum ſubſtituunt, quem *Rhodius* deſcribit, & *Paulo Servitæ* Veneto nonnulli acceptum referunt. Annulum vero aluta utrinque continet, quæ perinæum & clunes verſus faſciis quatuor capitibus ejus adſutis lineo cingulo innexis firmatur. Etenim hoc modo fieri ſolet, ut egeſtionis tempore ani prolapſus impediatur, atque ſi non plenarie curetur, eidem tamen non mediocre ſolamen adferatur.

§. X.

[*b*] Chirurg. cap. 9. p. 53.

## §. X.

Inſuper faſcia anum comprimens, & crura arctius paulo conſtringens, haud contemnendi eſt uſus, præcipue ſi æger ad laxatas fibras ſuaviter demulcendas & ad luxuriantes humiditates diſſipandas afferi querno probe lævigato, calefacto & maſtiche illito ſeparatis temporibus ſuperſedeat, atque ab omni corporis motu imprimis violento abſtineat. Dici enim nequit, quam inſigniter integra cura facilitetur, ſi æger per aliquot temporis ſpatium quævis ſtudioſiſſime vitet, quæ dislocationi ani formitem præbere queunt.

## §. XI.

Neque tandem reticenda venit venæ ſectio. Quantumvis enim ea huic adfectui directe haud conveniat, tamen ſi in parte adfecta inflammatio vigeat, aut immodicus & diuturnus hæmorrhoidum fluxus inteſtini membranas nimis laxet, aut cœcæ crebriorem, intenſiorem & inanem cacandi conatum excitando ani prolapſum minitentur, aut cum eo ſint complicatæ, utique vena ſecari poteſt, &, quidem modo in brachio pro revulſionis & derivationis ſcopo, modo ipſa vena hæmorrhoidalis tumida ad ſanguinem immediate evacuandum vel phlebotomo, vel hirudine aperienda.

## §. XII.

Quod ad pharmaceutica remedia cum interna, tum externa attinet, ad illa partim evacuantia, partim alterantia pertinent. Equidem emetica huic malo minus ſunt appropriata, ſed magis nociva, præcipue cum violenta abdominis conſtrictione incremento prolapſus non inepta detur occaſio, tamen ſi quis ad diſcutiendas hæmorrhoides, quæ non raro ani prolapſum comitem habent, atque ideo ad præveniendum hoc malum vomitorio, quod abs nonnullis ad hæmorrhoides diſcutiendas tantopere commendatur, uti velit, fortaſſis a recto tramite non adeo deflectet.

## §. XIII.

Neque vero cathartica & imprimis, quæ in ano ardorem excitant, & ſtimuli ſui veſtigium relinquunt, adprobanda veniunt, quorſum aloëtica, reſinoſa, colocynthiaca aliaque potentiora pertinent; uti namque hæc & ſimilia interdum prolapſui occaſionem dant; ita præſenti hoc adfectu uſus eorum non poteſt non infidus eſſe atque nocivus. Imo vero nec mitioris naturæ laxantia, rhabarbarina nempe, ſennata ſimiliaque adeo ſunt tuta, cum nemini ignotum fore exiſtimem, & hujus generis remedia non raro tormina & ardorem in ano excitare. Atque hæc quoque eſt ratio, cur

C 2 ther-

thermarum acidularumque uſum in iſtiuſmodi adfectu parvi faciamus. Licet enim eædem feces diluendo minus laborioſam efficiant egeſtionem, tamen nec raro accidere ſolet, ut acribus cruditatum particulis imbutæ non mediocrem ardorem ano inferant, ut nihil jam de catharcticis in fine ejuſmodi curæ ad reſiduas aquas evacuandas præſcribendis dicam, utpote quorum uſum jam ſupra rejecimus. Plura hac de re in *Excellentiſſimi Præſidis diſſertatione* [c] videri poſſunt, ad quam brevitatis ergo benevolum lectorem jam remitto. Et ut paucis me expediam, ſane uti quotidiana & maxime naturalis egeſtio anum e ſede naturali deturbando efficit, ut cura ſit paulo difficilior, ita quo crebriores ſunt dejectiones, eo frequentius anus ſitum mutat, & opus naturæ turbatur. Quare quibuſvis laxantibus, nullo imprimis indicante præſenti, facile ſuperſedere poſſumus. At vero cum laborioſa fecum induratarum excretio huic adfectui admodum ſit nociva, atque ea neque decocto malvæ, lacte, ficubus, prunis, aut clyſmate ex emollientibus parato emendari poſſit, neceſſitas tandem imperat, ut ad lenioris naturæ laxans tranſitum faciamus.

## §. XIV.

Præterea ad evacuantia diaphoretica æque ac diuretica ſpectant, quibus recenſendis & ſeligendis jam haud immorabor. Etenim præſentis medici officium poſtulat, ut probe expendat, an ſcorbutus, cachexia, malum hypochondriacum, diarrhœa, dyſenteria, hæmorrhoides, ulcera ani a lue venerea aut alio morbo oriunda, calculus aliuſve iſtiuſmodi adfectus vel prolapſui fomitem præbeat, aut cum eo ſit complicatus; ſiquidem ad ejuſmodi circumſtantiarum ductum non modo appropriatis diaphoreticis vel diureticis, ſed & alterantibus primarum viarum cruditatibus ſimul accommodandis uti neceſſe habemus. Quare miſſis hiſce ea ſaltem jam commemoranda veniunt, quæ tunicæ villoſæ cum cæteris uniendæ, aut atoniæ muſculorum ani directe magis conducere videntur. Priori intentioni traumatica, nempe ariſtoloch. rotund. millefol. agrimon. hyper. ſimiliaque & ex his paratæ eſſentiæ, poſteriori antiparalytica, ſcilicet herbæ cephalicæ, ſale volatili oleoſo ſcatentes, & ex iis paratæ eſſentiæ, ſpiritus & olea deſtillata apprime conveniunt. Hujus generis remedia pro iiſdem ſcopis externe quoque adhibenda veniunt, utpote ex quibus ſacculi ſicci, vel eſſentia traumatica, aut ſpiritu antiparalytico imbuti & ano imponendi, modo ex iiſdem, vino vel aquæ ferrariæ incoctis, fotus paratur, cui non incongrue flor. roſar. rubr. balauſtior. rad. tormentill. biſtort. ſimiliaque adſtringentia adduntur, modo ex iiſdem herbis balneum præparatur; aut ſi prædicta remedia atque ſuffitus ex maſtich, thure, ſuccino parati haud ſufficiant, tandem externus thermarum uſus ſuadendus venit; quippe hiſce non mediocrem diſcutiendi roborandique vim competere, nemo omnino neſcit.

[c] De thermarum carolinarum uſu in præcipuis ventriculi & inteſtinorum morbis.

neſcit. Cæterum externus remediorum apparatus nonnihil eſt immutandus, ſi nempe æger præter ani prolapſum hæmorrhoidibus cæcis, ulcere fiſtuloſo, ardore ani, vel teneſmo laboret, id quod in Praxi verſatis ignotum eſſe nequit.

§. XV.

Imprimis vero æger perfectam curam anhelans, exactam diætam præcipue ratione aëris, cibi, potus, motus & egeſtionis ſervare tenetur. Quare uti calor adfectui huic apprime conducit; ita frigidus vitandus, & potius temperatus calidusque eligendus. Neque vero parum intereſt, ut æger ab alimentis acribus, flatulentis, auſteris, fumo induratis aliisque dyſpeptis fecesque ſolito duriores reddentibus abſtineat. Quemadmodum enim alvinarum fecum excretio & imprimis laborioſa medelam hujus mali haud parum turbat; ita ad idem plenarie curandum æger ſibi optime conſulet, ſi per aliquot dies vel ſolis juſculis, ovis ſorbilibus, ſimilibusque liquidis alimentis & quidem modice veſcatur. Sic namque evenire ſolet, ut alvum pigram ſine incommodo ferat, fecesque liquidas citra conatum & ſine novo ani prolapſu egerere valeat. Minimum ea ſunt eligenda, quæ facile digeri, quæque fecibus debitam lubricitatem conciliare queunt. Præterea neque potus juſto largior, neque cereviſia fecibus ſcatens, aceſcens, aut flatibus generandis apta convenit; etenim crebriores dejectiones & tormina imi ventris malum adaugere ex alibi dictis jam conſtat; itaque ad præevenienda hæc mala cereviſia probe defecata & ſcybala ſufficienter humectans congruit. Neque vero modicus vini generoſi aut etiam rubri leniori adſtringendi virtute pollentis uſus, præcipue ſi æger ad alvi ſtypticitatem haud ſit proclivis, eſt improbandus. Inſuper neceſſe eſt, motus quoque & quietis ratio habeatur. Jam enim de ſternutatione, vomitu, tuſſi, utpote huic adfectui admodum infeſtis, nil quicquam dicam, ſed ſaltem motum localem, commemorabo. Sane uti ad malum plenarie curandum abſtinentia ab alimentis ſolidis haud parum facit; ita exiſtimaverim ego; curam ſimul inſigniter promoveri, ſi æger eodem tempore ab omni motu abſtineat, quieti indulgeat, & in lecto per aliquot dies clunibus nonnihil elevatis molliter recumbat. Ex quibus ſponte innoteſcit, equitationem, ſaltationem alioſve iſtiuſmodi corporis violentos motus ſtudioſe eſſe vitandos, & moderatos ſaltem in malo inveterato adprobandos. Denique nec alvinarum fecum egeſtionem tacitus præterire poſſum; ſiquidem ex alibi dictis jam luculenter patet, quævis cane pejus & angue eſſe vitanda, quæ fecum indurationi & difficili egeſtioni occaſionem dant, præterea nec illud monitum flocci pendendum, quo æger jubetur, ut egeſtionis tempore ab omni conatu, quantum quidem in viribus ejus repoſitum eſt, abſtineat, atque feces paulatim & quidem non tam curvo quam erecto corporis ſitu

elabi ſinat, aut ani prolapſum digitis, aut alio convenienti inſtrumento impediat.

## CAPUT III.

### De Herniis.

§. I.

Equidem plerumque hernia in genere tumorem in peripheria abdominis conſpicuum atque ab inteſtinis, omento, flatu, aqua carneque formatum deſignat, indeque modo enterocele ſeu hernia inteſtinalis, modo epiplocele ſeu omentalis, modo pneumatocele ſeu flatulenta, jam hydrocele ſeu aquoſa, jam ſarcocele ſeu carnoſa audit, impræſentiarum tamen non niſi enterocelen non nihil contemplabimur. Siquidem non raro accidere ſolet, ut inteſtina propter laxatum ruptumque peritonæum ſitum naturalem mutando elabantur, elapſa integumenta abdominis, teſticulorum aut pudendorum muliebrium expandant, eumque tumorem gignant, quem enterocelen nuncupare ſolemus.

§. II.

Equidem plerumque hernia iſtiuſmodi in umbilico, regione inguinali atque in ſcroto oboritur, quatenus inteſtina nunc uno ſaltem in latere, nunc in utroque vel in inguina, vel ſcroti cavitates illabuntur, atque ea propter modo omphalocele ſ. hernia umbilicalis, modo bubonocele ſeu inguinalis, aut incompleta, modo oſcheocele ſ. ſcrotalis, aut completa, dicitur, tamen nec reliquas abdominis partes, pudendaque mulierum ab hoc adfectu immunia eſſe, experientia ſatis ſuperque docet. Sane quondam Excell. Præſes [*d*] in femina honeſta & obeſa tres diſtinctos hernioſos tumores magnitudine ſatis inſignes ex anteriori & elatiori abdominis parte protuberantes, alio vero tempore ſimplicem ex ſiniſtro umbilicalis regionis latere prominentem obſervavit, quæ omnes ſimpliciter ventrales audiunt, tametſi herniam pudendorum muliebrium ad completam recte referamus.

§. III.

Quemadmodum hernia ratione loci inſigniter differt, ita magnitudo quoque ejus varia admodum eſt. Memoratu dignam obſervationem *Cl. Præſes* [*e*] deſcribit; quippe qui viri cujuſdam tam ſtupendæ magnitudinis hernia

[*d*] Diſſertat. ſ. c. §. 21.

[*e*] Programm. Anno 1720. occaſione Anatom. publ. edit.

nia ſcrotali laborantis meminit, ut ſcrotum ultra genua protenſum craſſitie abdomen hominis adulti facile æquaret, membro tam alte retracto abſconditoque, ut ægre veſtigium ejus in oculos incideret, relicto ſaltem præputio corrugato, ac veluti alterum umbilicum in monſtroſo hoc ſcroto efformante. Quantumvis vero hernia in principio tumorem effatu vix dignum formet, tamen niſi faſciis coerceatur, paulatim majora incrementa capit, tandemque ſtupendam prorſus magnitudinem indipiſcitur.

## §. IV.

Inſuper hernia ratione repoſitionis haud parum differt. Siquidem interdum via, per quam inteſtina ſunt elapſa, adeo patet, ut vel ſolo corporis ſitu convenienti eadem relabantur, aut facile ab ægro reponi queant; alio tempore repoſitio adminiſtratu longe eſt difficilior, aut plane impoſſibilis, ſi nempe elapſa inteſtina vicinis partibus ſunt adnata, vel flatibus & ſcybalis expanſa, vel inflammatione ſimilique tumore obſeſſa.

## §. V.

Quapropter nec iiſdem ſymptomatibus ſtipatam obſervamus herniam. Etenim æger, ſubligatura ad coercendam eamdem qui utitur, præter incommoda ab inſtrumento pendentia nil quicquam mali ſentit. Et quamdiu in inteſtina actu prolapſa chylus cum fecibus influit, & ex iiſdem libere refluit, tamdiu præter moleſtam tumoris geſtationem parum incommodi percipit æger. At vero ſi inteſtina protuberantia propter fecum flatuumque congeſtionem aliamque ob cauſam inflammatorio dolore afficiuntur, quam herniæ ſpeciem nonnulli recentiorum incarceratam nuncupant, per quam atrocia funeſtaque mala inde emergunt. Præterquam enim, quod in parte adfecta dolor mirum in modum ſævit, alvus pertinaciſſime obſtruitur, borborygmi & rugitus non ſine ſpaſmodico cruciatu in abdomine oberrant, agrypnia, anxietates immanes, febriles ardores accenduntur, rationis uſus infringitur, iliaca paſſio præ foribus pulſat, vel actu ægrum invadit, ſane ni tempeſtive inflammatio reſolvatur, perfacile ea in gangrænam ſphacelumque mutata intra breve temporis ſpatium ægrum medios inter fœtores enecat.

## §. VI.

Quemadmodum peritonæum abdominis muſculos interne inveſtiens inteſtinis, libere in abdomine fluctuantibus, coercendis a natura eſt deſtinatum; ita quamdiu idem æqualibus viribus inteſtinis diaphragmatis deſcenſu & muſculorum abdominis contractione impulſis renititur, hernia metuenda eſt nulla, ſed enimvero quando portio ejus rupta vel laxata prementi

menti inteſtino cedit, tunc major minorve inteſtinorum pars pro diſcrepante ruptura vel relaxatione modo ſubito, modo paulatim elabitur. Imprimis vero huic adfectui regio inguinalis eſt obnoxia. Quantumvis enim in homine, ſecus ac in quamplurimis brutis, proceſſus peritonæi in abdominis cavitatem non hiet, ſed potius orificium ejus interna peritonæi lamina tegat, externa in tubum ipſum ſeu proceſſum peritonæi explicata, atque ideo vaſa ſpermatica non perforando peritonæum, ſed intra duplicaturam ejus delata proceſſum ſubeant; tamen cum inteſtina in homine erectum corporis ſitum ſervante perpendiculariter proceſſui incumbant, inferiora mole ſuperiorum fortius premantur, peritonæum illic loci ſimplici ſaltem lamella conſtet, atque hinc minori renitendi virtute polleat, ſeroſi humores vel a glandulis inguinalibus & vicinarum partium, vel a ſanguine per venas ſpermaticas quamcumque demum ob cauſam impedito originem ducentes & illic collecti lamellam peritonæi internam & vicinas partes facile juſto laxiores reddant, ratio omnino patet, cur adeo frequenter hernia in regione inguinali, aut ſi paulo impetuoſior fuerit impulſus, in ſcroto vel pudendis mulierum oboriatur. Et licet plerique practicorum hanc ſolum viam delineare ſoleant, tamen cum os ilium ſinuoſitatem, ſuper quam tendines pſoas & iliaci nec non vaſa cruralia ad femur repunt, formet, & locus ille faſcia veluti ligamentoſa, quam aponeuroſis obliqui externi, a ſpinæ oſſis ilii parte anteriori & inferiori ad oſſis pubis ſinuoſitatem excurrens, effingit, obducatur, atque circa præmemoratam ilii partem aponeuroſis hæcce introrſum replicata ovalem aperturam, quam, ut modo monitum eſt, non niſi tendines pſoas & iliaci cum vaſis cruralibus occupant, formet, atque eamdem interne ſaltem peritonæum externe integumenta communia inveſtiant, rationi æque ac experientiæ perquam eſt conſentaneum, facile inteſtina ſub faſcia ligamentoſa ſeu fornice vaſorum cruralium relaxato elabi, & herniam non adeo infrequentem præprimis in ſexu ſequiori conſtituere, quam nonnulli ab inguinali ſupra delineata diſtinguentes cruralem nuncupare ſolent. Præterea idem tumor umbilicum frequenter occupat. Quoniam enim circa internam umbilici partem, per quam in fetu vena & arteriæ umbilicales feruntur, fovea quædam conſpicitur, & umbilicus ex parte abdominis externa protuberans ſubinde ſolito eſt major laxioriſque conſiſtentiæ, ſane cur is non raro inteſtinis eo compulſis cedat, eademque recipiat, ex præmiſſis ſponte innoteſcere arbitror. Rarius paulo in aliis abdominis partibus hernia oritur, quod ſi tamen tale quid accidat, cujuſcumque demum impetus vim ad eam imprimis partem, in qua hernia oritur, dirigi, aut partem eam fibris muſculorum carneis deſtitui, aut tendineas illic loci juſto eſſe tenuiores, veri eſt ſimillimum, præcipue cum iſtiuſmodi naturæ luſum in aliis quoque partibus ſæpe animadvertere ſoleamus. Ratio interim patet, cur peritonæum adminiculis poſtremo nominatis, & renitentiam ejus alias juvantibus, deſtitutum impulſui inte-

inteſtinorum ſufficienter reſiſtere nequeat, ſed potius eidem cedendo herniæ fomitem præbeat.

## §. VII.

Neque vero exiſtimandum, omnem herniam a peritonæi ruptura unice natales ſuos deducere; etenim eidem nudam ejus dilatationem ſufficere, omphalocele non modo, ſed & hernia ſcrotalis, a *Cl. Præſide* [*f*] delineata, affatim confirmat. Quippe is viri cujuſdam hernia completa laborantis meminit, in quo poſt fata ejus proceſſum peritonæi multo naturali ampliorem, & in eo præter vaſa ſpermatica ſacculum membranaceum, ad vaginalem tunicam protenſum, atque inteſtina prolapſa ambientem, obſervavit. Sacculus vero ille a lamella peritonæi interna orificium proceſſus alias tegente originem ducebat; quippe quæ citra rupturam ullam per proceſſum prædictum ad teſticulum protenſa explicataque eum ipſum ſaccum, qui inteſtina complectebatur, formabat. Ægre autem omnino concipi poteſt, quomodo iſtiusmodi pellicula exilis adeo enormiter, & quidem ſine ſui extenuatione & ruptura, extendi & explicari queat. Sane liquores ſeroſos circa proceſſus peritonæi principium & vicinas partes facile colligi, ex antecedenti theſi jam jam conſtat. Ideoque humores initio in internæ peritonæi lamellæ tubulis ſtagnare, ſtagnantes cumulari, cumulatos paulatim ſe in interſtitia fibrillarum inſinuare, haſque pedetentim diſtrahere, veri eſt ſimillimum: atque hoc modo fieri ſolet, ut relaxata peritonæi lamella prementi inteſtino cedens paulatim, & quidem ſine ſui extenuatione explicetur. Cum ea enim res ſit animata, certe dum dilatatur, nutritur, & dum nutritur non modo priſtinam craſſitiem retinet, ſed & interdum paulo majorem acquirit.

## §. VIII.

Præter iſtiuſmodi humorum peritonæum juſto laxius reddentium decubitum multifariæ aliæ occurrunt cauſæ, ad quas lapſus, percuſſio aliæve injuriæ externe illatæ, peritonæum ad crepaturam uſque adigentes, nec non juſto intenſiores abdominis conatus, in diaphragmatis impetuoſo deſcenſu & violenta muſculorum abdominis contractione conſiſtentes, ac inteſtina nimis duriter peritonæum verſus impellentes ſpectant, quales in vociferationibus, tuſſi ferina, teneſmo, partu difficili, vomitu &c. animadvertimus, quibus diſtinctius recenſendis vel explicandis quo minus in præſenti inhæreamus, temporis anguſtia prohibet.

## §. IX.

Equidem hernia inteſtinalis oculis cognoſci & manibus palpari poteſt,



[*f*] In Programmate ſ. c.

tamen cum eidem cum ceteris herniæ ſpeciebus non minima cognatio intercedat, ad eam paulo accuratius cognoſcendam variis indigemus ſignis, quæ imprimis a tumoris conſiſtentia, incremento, decremento, repoſitione aliiſque accidentibus deſumuntur. Siquidem hernia inteſtinalis quidem aliqualem præ ſe fert mollitiem, renitentia tamen omentalem & aquoſam ſuperat. Præterea incrementum & decrementum hujus tumoris ſubitaneis mutationibus eſt obnoxium; quippe flatus aut alimenta in elapſa inteſtina paulo impetuoſius influentia intra breve temporis ſpatium plus vel minus eadem expandunt, quæ tamen brevi denuo expulſis contentis collabaſcunt, imo vero hernioſi pro lubitu ſpiritu nempe cohibito inteſtinali herniæ majus incrementum conciliare poſſunt, ut nihil jam de detumeſcentia cum murmure complicata jam dicam, quæ omnia neque in carnoſa, neque in omentali, neque in cæteris herniæ ſpeciebus obſervare ſolemus. Equidem pneumatocele & hydrocele identidem modo increſcunt, modo decreſcunt, eæ tamen mutationes non tam ſubitæ ſunt, nec ab ægri arbitrio dependent. Denique inteſtina prolapſa convenienti corporis ſitu ſponte ſua relabuntur, aut digitorum miniſterio reponi poſſunt, id quod in cæteris herniæ ſpeciebus, excepta ſaltem omentali, nullatenus obſervamus.

## §. X.

Quomodocumque hernia ſit comparata, ea flocci pendenda non eſt. Quantumvis enim bracherio convenienti quæ coërcetur, nihil periculi alat, geſtatio tamen ejuſmodi inſtrumenti haud parum moleſtiæ ægro creat: magis moleſta & periculoſa eſt hernia, quando inteſtina extra abdomen propendent. Licet enim interdum quarumvis ſubligaturarum uſu, nec non ſcrupuloſo diætæ regimine poſthabito perplures annos ſine vitæ periculo ejuſmodi herniam majorem minoremque gerant ægri, ſeparatis tamen temporibus a flatibus, fecibus aliiſque in prolapſis inteſtinis coacervatis perplura ſentiunt mala. Atque eos fortuna haud parum fovet, qui præmemorata mala brevi eluctantur; etenim facile fieri poteſt, ut inteſtina a quacumque demum cauſa inflata a peritonæo & circumpoſitis fibris carneo-tendineis laquei ad inſtar conſtringantur & ſtrangulentur, ut hinc non mirum, ſi inteſtina conſtricta dolore & propter impeditum ſanguinis motum inflammatione, & hæc ſi tempeſtive haud diſcutiatur, gangræna ſphaceloque adficiantur, aut ſi propter chyloſo-excrementitiæ maſſæ in elapſa inteſtina ingreſſum interceptum in iliacam paſſionem incidat æger. Dolendum ſaltem maximo eſt opere, quod adfectui huic moleſto admodum atque periculoſo non ſemper ex animi ſententia mederi queamus. Equidem ægrotanti recenti hernia laboranti & in optimo ætatis flore conſtituto convaleſcentiæ plenarie recuperandæ ſpes adfulget, non æque tamen ſeni, aut impuris ſcatenti ſuccis, aut hernia inveterata, inſignem magnitudinem indepta, aut vicinis partibus adnata laboranti. Niſi enim herniotomiam admittat,

mittat, quæ tamen pariter, ut ex infra dicendis patebit, promiſcue adhiberi nequit, neceſſe eſt, ſola palliativa cura ſit contentus, tametſi nec hæc præveniendis malis ſemper ſufficiens ſit atque idonea, quin gangræna ſphaceloque, aut iliaca paſſione irrepente tandem medios inter fœtores vitam miſeriarum pleniſſimam finiat æger.

## §. XI.

Ex præmiſſis ſponte innoteſcit, aliam hujus adfectus curam eſſe plenariam, aliam palliativam. Ad utramque remediis tum diæteticis, tum pharmaceuticis, tum chirurgicis indigemus. Quod ad diætetica & pharmaceutica attinet, eorum recenſione perlubenter in præſenti ſuperſedemus. Siquidem modo ea, quæ occaſione ani prolapſus paulo diſtinctius explicata fuere, probe obſerventur, & pharmaceuticis emplaſtrum ad fracturas, ſticticum Crollii ſimileque, nec non cataplaſmata ex emollientibus & carminativis parata, quorum illa conſolidandæ aperturæ peritonæi, hæc inflammationi & flatibus diſcutiendis, dolori conſopiendo, fecibus duris emolliendis apprime conducunt, addantur, omniaque pro circumſtantiarum varietate provide ſeligantur, medicus niſi fallor ſufficienti remediorum diætetico-pharmaceuticorum apparatu ad malum radicitus vel palliative curandum erit inſtructus.

## §. XII.

Quod ad chirurgica remedia attinet, ea ita ſunt dirigenda, ut inteſtina prolapſa reponantur, repoſitorum novus prolapſus impediatur, & peritonæi apertura conſolidetur. Omnibus hiſce curativis indicationibus ut faciamus ſatis, vario inſtrumentorum apparatu indigemus; ſiquidem herniarum cura vel ſine ſectione, vel mediante eadem peragitur, illa omnium eſt tutiſſima ægroque pergrata, cuique poſt inteſtinorum repoſitionem faſciæ & bracheria ſufficiunt. Quod ad repoſitionem attinet, ſane alibi jam monuimus, eam interdum adminiſtratu adeo eſſe facilem, ut æger modum inteſtina tuto reponendi optime calleat, ideoque aliena ope vix indigeat. Alio vero tempore ea eſt paulo difficilior, præcipue ſi inteſtina in ſcrotum aut pudenda muliebria ſint illapſa. Ideoque tum opera eo eſt dirigenda, ut ultimo elapſa inteſtini portio ad annulorum tendinum muſculorum abdominis ductum os ilium verſus, in hernia vero crurali os pubis & ſuperiora verſus molliori digitorum preſſione urgeatur, atque ſic una pars poſt alteram reponatur. Et ſi *Le Quin* multiplici experientia edocto fides danda, ea inteſtini pars, quæ oſſi pubis proxime accumbit, ultimo elapſa atque ideo primo reponenda erit. Interdum inteſtina inflata & inflammata reponi nullo propemodum pacto queunt, imo vero ſi tempore illo inani conatu & duriter tractentur, profecto quævis mala non parum exaſperantur. Quare conſultius eſt, tamdiu repoſitionem differre, donec cataplaſmatibus ſupra indigitatis, dieque ac

 nocte

nocte applicandis, tumor & flatus fuerint diſcuſſi. Accidit aliquando, ut vir generoſus ex oſcheocele inveterata tam deſperanter decumberet, ut iliaca paſſio præ foribus jam pulſaret. In hoc perplexo rerum ſtatu chirurgus quatuor milites accerſſeri jubet, ut ægrum maſcule arriperent, inque caput exſertis probe pedibus volverent, quid fit, certe inteſtina, quæ nulla arte reponi poterant, hoc ſolo corporis ſitu ſponte relabebantur, ægerque a præſentaneo vitæ periculo ex animi ſententia liberabatur. Inteſtinis quocumque demum modo repoſitis, opera nunc eo eſt dirigenda, ut ſubligatura, vel faſciis novus eorum prolapſus impediatur, herniaque plenarie curetur, vel ſaltem palliative tractetur. Sane cum icones ſubligaturarum ſeu bracheriorum in quamplurimorum auctorum ſcriptis delineatæ occurrant, & non pauci chirurgorum neſcio quid arcani in iiſdem conſtruendis crepent, prolixiori eorum deſcriptione in præſenti ſuperſedeo, id ſaltem tacitus præterire nequeo, uſum cujuſvis ſubligaturæ vel faſciæ in loci illius, per quem inteſtina erant prolapſa, compreſſione conſiſtere, quæ ſi cum totius inſtrumenti geſtatione non adeo multum moleſtiæ creet ægro, chirurgus finem ſuum aſſequetur, & gratum ſe ægrotanti præſtabit. Ceterum herniæ recenti interdum ſola faſcia ſufficit, modo hæc cautela probe obſervetur, ut majoris compreſſionis ergo plumaceoli diverſæ magnitudinis loco adfecto applicentur. Ægrotantis vero eſt, ut, ſi cum maxime plenariam curam expetat, ab omni & potiſſimum violento corporis motu abſtineat, quieti indulgeat, diætæ congruæ ſtudeat; Sic enim evenire ſolet, ut peritonæum nimis dilatatum conglutinetur, vel ruptum conſolidetur, cui intentioni ſimul traumatica interne præſcribenda, & emplaſtra ad fracturas loco adfecto applicanda apprime conducunt. Quod ſi vero hæc omnia haud ſufficiant, propterea tamen bracheriorum uſus inſuper habendus non eſt, utpote quorum miniſterio ægri ſaltare, curru equoque vehi, & aliis paulo vehementioribus motibus ſine damno indulgere queunt, cum contra iis neglectis moles inteſtinorum prolapſorum fere quotidie augeatur, malumque ingraveſcat, infinitaque alia ex eodem propullulent.

## §. XIII.

Quando æger palliativa cura haud eſt contentus, modoque enarrata remedia incaſſum adhibentur, tandem ad herniotomiam confugere ſolemus, tametſi nonnulli cordati, ambiguum ejus eventum prævidentes, non niſi in extremo neceſſitatis caſu eam adprobent, cum, quoſdam durante operatione vel brevi poſt interiiſſe, autopſia eheu nos ſatis ſuperque doceat. Videas tamen interdum ægros, qui herniæ vel ligaculorum pertæſi herniotomiam, modo ex eadem plenariæ medelæ ſpes ipſis adfulgeat, haud parum expoſcant, aut alios potiſſimum empiricos, qui idem remedii genus tanquam tutum certumque ac unicum miſeris commendent, licet interdum fallantur alioſque fallant. Minimum operatio hæcce ſenibus, aut tabe, ſcorbuto inveterato ſimilique morbo adfectis, aut herniæ inſignis magnitudinis

minus

minus appoſite convenit. Ceterum tempus operationi huic dicatum eſt vel commoditatis, vel neceſſitatis. Etenim interdum hernioſi ceteroquin bene ſatis ſe habent, quo tempore certe a chirurgi arbitrio dependet, quando operationem inſtituere velit. Alio vero tempore hernia incarcerata præſentaneum vitæ periculum dum ægro minatur, neceſſitas imperat chirurgo, ut, quantocyus fieri poteſt, ad eam progrediatur; quando enim partes elapſæ gangræna ſphaceloque jam dum ſunt correptæ, id quod ex dolore ſubito obmuteſcente nec non flacciditate & diſcoloratione tumoris conjicitur, fruſtraneam tunc eſſe operationem, quilibet vel me tacente facili perſpicit negotio.

## §. XIV.

Modi operandi ratione hernioſi loci, ut & operationis ipſius differunt. Siquidem omphalocele reliquiſque ventralibus herniis præſentibus, univerſa operatio in provida integumentorum inciſione, elapſorum inteſtinorum repoſitione, & tandem in gaſtroraphia circumſpecte adminiſtranda conſiſtit. Præſente vero hernia inguinali, ſcrotali aut pudendorum muliebrium, nonnulli ſtrictam proceſſus peritonæi ligaturam & teſticuli exſtirpationem, alii aureum punctum, alii proceſſus dilatati, excluſis provide vaſis ſpermaticis, arctam ligaturam, alii proceſſus inciſionem & circulorum tendineorum ſcarificationem ſuadent.

## §. XV.

Quacumque operandi methodo utamur, ante omnia elapſa inteſtina reponenda veniunt. Jam vero ſi inteſtina externis partibus ſunt adnata, aut hernia adeſt incarcerata, eam facta demum integumentorum inciſione inſtituendam eſſe, ſponte innoteſcere arbitror; Et quidem in omphalocele aliaque abdominis hernia integumenta ab adſtante miniſtro & ab operatore elevata tam circumſpecte lateque incidenda veniunt, ut illæſa & nuda inteſtina in conſpectum prodeant, in hernia vero inguinali vel ſcrotali integumenta ad tractum proceſſus peritonæi ita ſunt ſecanda, ut non modo proceſſus peritonæi illæſus permaneat, ſed & ſectio oſcheocele præſente ad ſcrotum uſque extendatur. In hernia vero crurali nonnulli recentiorum ſuadent, ut integumenta ad tranſverſum fornicis vaſorum cruralium ductum tranſverſim & nonnihil oblique incidantur. Et cum inciſio imprimis in hernia incarcerata paulo ſit difficilior, opus interdum eſt, ut quacumque apertura facta, ea ſtylo ſulcato cultroque convenienti, vel forfice crure obtuſo inſtructa provide dilatetur. Facta inciſione ſanguineque abſterſo inteſtinorum prolapſorum repoſitio omnibus modis eſt molienda, ad quam juvandam neceſſe eſt, in bubonocele, ut ſaccus molliori digitorum preſſione tractetur & inteſtina paulatim in abdomen intrudantur, quibus repoſitis, ſaccus in acervum collectus aperturæ inſeratur, huicque pilula ex linteo filamentis concerptis repleto confecta, & mixtura, ex albumine & vitello ovorum nec non ſpiritu vini

facta,

facta, probe imbuta, huicque plumaceoli ſuperimponantur, omniaque faſcia congrua firmentur, ſic fieri interdum ſolet, ut ſine ſacculi inciſione hernia ex voto curetur. Quod ſi vero hac methodo inteſtina reponi nequeant, opus eſt, ut ſaccus inteſtina comprehendens provide incidatur, inteſtina tum hic, tum aliis in herniis alibi adnata circumſpecte ſeparentur, flatuſque diſcutiantur. Hunc in finem non inepte portio inteſtini ultimo elapſa prehenditur leniterque trahitur, quo per partem inteſtini ex abdomine recens extracti flatus diſſolvi, faciliuſque molliori inteſtinorum preſſione in abdomen urgeri queant, quæ methodus illi merito præfertur, qua acu triangulari hinc & inde inteſtina ad flatus incarceratos eliciendos punguntur; ut enim de aliis incommodis nil quicquam dicam, ſane fruſtra non raro inteſtina hoc modo pungi, fida rerum magiſtra, experientia puta, perſpicue docet. Porro neceſſe eſt, aliquando peritonæum vel annuli tendinei provide inciſionis beneficio dilatentur. Quando namque prædictæ cautelæ haud ſufficiunt, atque anguſtia annulorum tendineorum vel peritonæi omnem inteſtinorum repoſitionem prohibet; peropus eſt, ut partes hæ circumſpecte incidantur, quem in finem ſtylo ſulcato cultroque inciſorio, vel peculiari inſtrumento, partim ſtylo curvo & ſulcato, partim cultro in eo abſcondito conſtante, chirurgus utitur. Et licet in omphalocele aliaque abdominis hernia parum damni ex inciſione peritonæi, modo non eodem tempore inteſtina improvide ſaucientur, ſit metuendum, annuli tamen tendinei paulo circumſpectius incidendi veniunt, etenim inciſionem magis ad internam, quam externam annuli columnam dirigendam eſſe, arteria externæ accumbens admonet. Nihilominus ſi operationis tempore præter opinionem accidat, ut ſanguis proſiliens operatorem conturbet, opus eſt, ut ſtyptico effluxus ejus illico ſiſtatur. His probe obſervatis, ſine mora inteſtinorum repoſitio eſt adminiſtranda, circa quam ne verbulum quidem addo; utpote de qua alibi jam tum ex inſtituto egimus. Repoſitis quibuſvis partibus, reliqua cura in eo conſiſtit, ut in omphalocele aliaque abdominis hernia gaſtroraphia dextre perficiatur, in inguinali vero & ſcrotali annuli tendinei convenienti inſtrumento provide ſcarificentur, tametſi plures hodiernorum Chirurgorum prædictam ſcarificationem ceu ſuperfluam & nocivam penitus rejiciant, atque ideo ſtatim aperturæ vel pilulam ſupra deſcriptam, vel plumaceolos diverſæ magnitudinis liquore ſtyptico imbutos applicent, omniaque faſcia congrua firment. Sic fieri omnino non raro ſolet, ut etiam herniæ incarceratæ ex voto medeamur, id quod *Garengeot* [g] non modo pluribus obſervationibus confirmat, ſed & varia ſimul proponit, quæ huic operandi methodo non minimam lucem accendunt, ad quem propterea benevolum Lectorem jam remitto.

## §. XVI.

Quod ſi vero ante ſectionem elapſa inteſtina jam tum fuerint repoſita, ita ut



[g] Traité des Operations T. 1. c. 6. 7. 8.

ut in bubonocele & oſcheocele peritonæi proceſſus inciſione, præcipue ſi ſupra enarrata methodo herniæ mederi nolimus, opus non ſit, ſane nonnulli & imprimis empirici, via compendioſa omniumque ſimpliciſſima, facta nempe in regione inguinali ad ſcrotum uſque inciſione, teſticulum lateris adfecti non mediocri celeritate a ſcroto binis anterioribus digitis ſeparant, ſeparatum cum proceſſu peritonæi protrahunt, huncque prope muſculi obliqui externi tendinem filo lino ceratoque fortiter conſtringunt, ſubque ligatura cum teſticulo abſcindunt, ſicque intra breve temporis ſpatium adfectum huncce curant. Licet vero conſolidata reſidua proceſſus peritonæi portione novus inteſtinorum prolapſus optime impediatur, ſunt tamen alii, qui operationem hancce tanquam crudelem, periculi vitæ minime expertem & cum caſtratione complicatam penitus rejiciunt, id ſibi potius curæ cordique ducentes, ut vaſa ſpermatica cum teſticulo illibata conſervent. Quare jam aureo puncto, jam provida ligatura utuntur; ad illud filum aureum aut plumbeum craſſitiem acus communis æquans adhibetur; Siquidem repoſitis reponendis factaque cutis inguinalis inciſione proceſſus dilatatus vel ruptus a vicinis partibus ſeparatur, filumque ſub eo prope abdomen trajicitur ita, ut idem totum proceſſum ſtringat. Non parum autem intereſt, ut fili extremitates tam artificioſe contorqueantur & occultentur, ut neque aculeis ſuis quicquam moleſtiæ vicinis partibus creent, neque idem filum proceſſum anguſtans & inteſtinorum prolapſum impediens, vaſa ſpermatica premat, neque motum cum ſanguinis, tum ſpermatis cohibeat; Etenim ſic demum per totum vitæ tempus idem in vulnere conſolidato ad præpediendam inteſtinorum eruptionem relinqui poteſt. Ad alterum operandi modum quod attinet, ſunt omnino nonnulli, qui ſuadent, ut acus filo inſtructa per dilatatam proceſſus partem trajiciatur, hæcque filo relicto firmiter conſtringatur, ſtudioſe cavendo, ut ne unum alterumque vaſculum ſpermaticum ſimul prehendatur, ſed potius provide ſeparata in parte proceſſus non ligata intacta relinquantur. Licet itaque hi operandi modi ſint ſatis ingenioſi, eos tamen adminiſtratu eſſe perdifficiles, non raro fruſtraneos, imo nocivos, rem accuratius paulo perpendenti cognitu difficile non erit. Quare niſi hernia incarcerata præſentaneum vitæ periculum ambigui eventus remedium potius, quam nullum poſtulet, fortaſſis e re ægrotantis magis erit, ſi ſola palliativa cura ſit contentus.

CAPUT

# CAPUT IV.

## *De inteſtinis e ſuperficie abdominis externa protuberantibus.*

§. I.

EQuidem nunc mihi perapta daretur occaſio, de vaſtis abdominis vulneribus, deque inteſtinis illorum occaſione prolapſis, atque jam integris, jam ſauciatis, nunc inflammatis, nunc flatu expanſis alioque morbo adfectis, nec non de ſutura tum vulnerati inteſtini, tum abdominis, quam poſtremam græce gaſtroraphiam nuncupare ſolemus, diſtinctius paulo agendi. Sed liceat certas ob rationes hæc omnia ſicco præterire pede, ſaltem caſus paulo rariores impræſentiarum nonnihil comtemplaturus. Sane *Cl. Schrœckius* [*h*] memorabilem recenſet hiſtoriam: *dum aurifabri noſtratis*, inquiens, *uxor gravida*, *aliquot jam antea liberorum mater facta, poſtquam vituli exenterationem in macello non ſine horrore contemplata fuiſſet, filiolam mortuam partu admodum difficili excluſit*, *cujus pars dextra abdominis non procul ab umbilico*, *ad ſpithamæ fere longitudinem dehiſcebat*, *lateribus divulſionis ſignum non præbentibus*, *ſed callo quaſi obductis*; *e quo hiatu inteſtinula propendebant.* Itaque quaslibet gravidas paterne hortatur, ut vehementiores animi commotiones tantas in tenello turbas excitantes, quantum poſſibile, fugiant. Simile quid citra iſtiuſmodi animi pathema fieri poſſe, catulus maturus me docuit, quippe qui partu excluſus non modo tres ſaltem pedes ſpectandos exhibebat, caruncula prominente defectum pedis quarti ſupplente, ſed & inteſtinola fere omnia cum omento ex abdomine a pectore ad os pubis hiante protuberabant, quem curioſitatis ergo *Excellentiſſimus Dn. Præſes* etiamnum rariora inter aſſervat.

§. II.

Porro *Dodonæus* [*i*] quondam mulierem vidit, de cujus vulva diſrupta inteſtina omnia profluxerant, quæ paucis poſt diebus miſeram finiit vitam. Neque minus memorabilem caſum *Bourchardus* [*k*] recenſet; is namque cæteroquin bene ſe habentem vidit militem, ex cujus abdomine, ante triennium catapultæ glande vulnerato, coli pars ſemipalmo longior protuberans feces egerebat omnes, conſueto earum exitu per anum penitus

nitus

[*h*] Ephem. N. C. D. 1. A. b. Obſ. 232.
[*i*] Obſ. Medicin. C. 5. p. m. 135.
[*k*] M. N. C. D. 1. Ann. 3. Obſ. 8.

nitus intercepto. Non abſimiles caſus [*l*] *Blegny* [*m*], *Mackius* atque [*n*] *Anhornius de Hartwis* recenſent, quibus multo curioſiorem *Excell. Dn. Præſes* [o] addit; *nempe miles*, inquit, *paucis ante diebus ad me accedens, referebat, ſe quatuordecim annos per epicolicam regionem ſiniſtram feces excreviſſe. Curioſitatis itaque gratia locum adfectum pluribus diſcipulis præſentibus, & poſtea ter quaterve ſeorſim attentius paulo perluſtravi, atque non ſine admiratione coli portionem ſedecim pollices longam, & novem pollices craſſam, ex præmemorato abdominis loco protuberantem, penituſque inverſam obſervavi, media circiter ejus parte veluti baſi vulneri externo quatuor pollices lato firmiter adnata. Inteſtinum hoc prolapſum duplici gaudet orificio, uno ſuperiori, altero inferiori; ex illo feces promanant, in hoc infuſus liquor per breviſſimum temporis ſpatium ano excluditur. Æger ſine dolore ullo in utrumque orificium digitum alte non modo inſerit, ſed ſano quoque lateri incumbens, quamlibet inteſtini portionem in abdomen paulatim reponit. Huic malo vulnus, olim abdomini gladio punctim inflictum, occaſionem dedit: cum enim ex eodem juſcula deglutita prodirent, vulnus inteſtini merito ſuſpicabatur chirurgus; proinde miſerum ex mediis orci faucibus ut eriperet, vulnus externum ad denudandam inteſtini vulnerati portionem circumſpecte dilatavit, at inteſtinum inverſum animadvertens funeſta quævis ominabatur, præcipue cum partem inverſam rite reponere, atque ideo ſuturam adhibere nequiret. Accidit vero, ut ſolius fere naturæ operantis miniſterio non dumtaxat inteſtinum vulnere paulatim egrederetur, ſed & portio ejus media & inferior vulneri externo undiquaque agglutinaretur, ægrotante alioqui valido firmoque exiſtente. Quemadmodum vero tunica villoſa rubedine perfuſa, nec non glanduloſa corpuſcula hinc & inde diſperſa, ut & motus inteſtini, utpote quod imprimis ad aeris frigidioris attactum ſenſibiliter & abbreviatur & contrahitur, in ſenſum cernendi venit; ita veriſimillimum videtur, ex ſauciata inteſtini parte tum ſuperiorem, tum inferiorem coli portionem non modo inverſe extra abdomen fuiſſe protruſam, ſed & utramque aut clarius loquendo mediam partem vulneratam atque inverſam cum vulnere externo coaluiſſe, ut jam quidem prolapſus ille unius inteſtini faciem referat, cum tamen vere duplex ſit coli portio, id quod non obſcure exinde innoteſcit, quod liquor in orificium inferius infuſus per ſuperius non redeat, ſed ad anum urgeatur, uti ex ſupra dictis jam jam patet. Et hæc dubio procul eſt ratio, cur, repoſitis hiſce partibus & ægrotante placide dormiente, nihil ſecum in abdomen illabatur, ſed pars earum per vulnus eliminetur, pars vero ab inferioris inteſtini orificio abſorbeatur, atque hinc æger utut perraro aliquid ſecum per anum egerat.*

§. III.

[*l*] Zodiac. Gallic. Ann. 2. p. 123.
[*m*] M. N. C. D. 2. Ann. 8. Obſ. 229.
[*n*] Obſ. N. C. Cent. 1. Obſ. 6.
[*o*] Programm. occaſione cadaveris maſculin. d. 24. Aug. 1720. edit.

## §. III.

Quemadmodum vero *Excell. Dn. Præſes* in eodem programmate fatetur, hæc omnia accuratum mereri examen, ita *Clariſſimus Vateriis* [*p*] eum laborem præclare quidem executus eſt, tamen cum mihi *Excell. Dn. Præſes* ante iſtius diſſertationis editionem tres icones monſtraverit, quarum una inteſtini prolapſi diſpoſitionem plenius niſi fallor ob oculos ponit, reliquæ vero phænomeni rariſſimi rationem clare & perſpicue explicant, tandem ab eo propemodum invito obtinui, ut eas æri inciſas diſſertationi huic majoris illuſtrationis ergo adjicerem.

## §. IV.

Interim perrari iſtiuſmodi caſus non modo inſignes naturæ vires affatim loquuntur, ſed & medentes hortari videntur, ut in gravioribus inteſtinorum vulneribus veſtigia ejus legant, & ſi non alia medendi methodus ſuppetat, inteſtini etiam tranſverſim diſſecti portionem ſitu ſuperiorem externo vulneri adnectant, ſicque efficiant, ut ne feces in abdomen effundantur; ſed potius per adſutum inteſtinum tanquam novum anum excernantur, id quod non infelici ſucceſſu quondam fuiſſe peractum, *Cl. Blegny* teſtatur.

---

## TAB. XVI. EXPLICATIO.

*Figur. I.*

A. Inteſtini coli portio ſuperior inverſa, per quam feces excernuntur.
B. Ejuſdem inteſtini portio inferior nihil ſecum reddens.
C. C. Portio inteſtini vulnerati inverſa, cum externo vulnere coalita, & cum a. b. unum quoad externam faciem canalem formans, ut ut mirabili præmemoratarum partium inverſione a. b. duo ſint diſtincti canales.

*Fig. II.*

A. Vulnus inteſtini.
B. C. Duæ ejuſdem inteſtini portiones, quæ e vulnere a. facile inverſe protrahi poſſunt, ut in fig. 3. animadvertere eſt.

*Fig. III.*

[*p*] De vulnerum in inteſtinis lethalitate &c.

*Fig.* III.

A. B. Duæ unius inteſtini portiones.
A. C. Superior inteſtini portio vulnus ingrediens.
C. E. Eadem portio vulnere egreſſa & inverſa.
B. D. Inferior inteſtini portio idem vulnus ſubiens.
D. F. Eadem portio vulnere egreſſa & inverſa.
G. G. G. Portio inteſtini vulnerata in fig. 2. repræſentata atque inverſa, canalem h. e. g. g. f. i. quoad externam faciem continuum formans, tametſi c. e. & d. f. vere duo diſtincti canales ſint; etenim cum e. c. ad a. & f. d. ad b. pertineat, ſane quicquid per a. c. deſcendit, non per i. ſed ſaltem per h. effluet, & quicquid per i. infunditur, ad h. non tranſibit, ſed per d. b. adſcendet, & per orificium k. effluet. Hæc ſi figuræ 1. applicentur, ratio clare patebit, cur a. b. duo diſtincti ſint canales, licet unius inteſtini duæ ſint portiones & cum e. c. continuum quoad externam faciem canalem forment.

*Fig.* IV.

A. Inteſtini portio ſuperior notabiliter contracta.
B. C. D. Inteſtinum duplicatum.
E. Meſenterii portio cum inteſtino a. proximum ſubiens.

FINIS.

DIS-




Disp. Chirurg. Tom III. P. G. SCHACHER DE MORBIS A SITU INTESTINORUM MUTATO. pag. 36.



LIX.

# DISSERTATIO
## MEDICO-CHIRURGICA,
*DE*
## ΕΝΤΕΡΟΠΕΡΙΣΤΟΛΗ
SEU
## INTESTINORUM COMPRESSIONE.

*Quam tuebatur*

J. H. LAVATER,

*TIGURINUS*

Baſileæ 18. Septembris 1672.

# Σὺν Θεῷ.

TRitum Gallorum fert adagium, *La bouche eſt faite pour prendre, & non pas pour rendre;* Os homini natura dedit tum ad alimentorum in ſubſtantiam corporis convertendorum, tum ad medicamentorum ejuſdem incommoda depellendorum aſſumptionem, non vero ad eorumdem rejectionem: Quare quæ ore ejiciuntur in cenſum τῶν παρὰ φύσιν refero, quæ varia dico. Vel enim ſunt toto genere præter naturam talia, ut pili cum pedibus vitulinis ingeſti e lanii ventriculo pilarum forma egeſti, capilli in μαλακία comeſti vomitu rejecti, fila inter ſuendum ore detenta deglutitaque è netricis ventriculo globulorum figura reddita, vel partium adnata, ut mucus ventriculi tunicæ internæ, eæque rugoſæ in ejus ἕλκει, vel partium ſubſtantiæ, ut pulmonum ad conſumptionem totalem carunculæ in φθίσει, vel Corporis humores naturales, ut ſanguis in αἱμοπτύσει, præternaturales, ut pituita aquoſa in cerebri δυσκρασία frigida, melancholia in bilem atram degenerata, piciſque inſtar ſplendida in lienis ὄγκῳ, bilis porracea in ventriculi κακοπεψία, excrementitii, ut ſanguis menſtruus in menſium ἐκλείψει, urina in ἰσχουρία, ſtercus in κοπρῳημετία, cujus ſymptomatis horrendi (utpote quo ægroti ſumma cum miſeria, horrore, ac fœtore per os rejiciunt ſtercora) cauſa frequens, curatuque difficilis eſt ἐντεροπεριστολὴ, de qua ἐντῶνυνί.

## THESIS I.

Πρᾶξιν ex neceſſitate inevitabili cum θεωρία conſueverit præire, primum de illa, primordio à definitione ipſa deducto, quam in ὀνοματώδην ſeu nominis & πραγματώδην ſeu rei divido.

## II.

Ὀνοματώδει ἐντεροπεριστολῆς originem ab ἔντερον, ου, τὸ, inteſtinum, & περιστολὴ, ῆς, ἡ compreſſio, derivo, unde illam inteſtinorum compreſſionem, alias conſtrictionem, ſtrangulationem & incarcerationem voco, quam bifariam pronuntio: Impropriam, qua inteſtina intra abdominis capacitatem conſtringuntur contenta, idque vel per πρωτοπάθειαν ſeu propria, vel per δευτεροπάθειαν ſeu partium vicinarum, ut omenti, meſenterii, veſicæ, uteri παθήματα, quorum φλεγμονὴ καὶ σκίῤῥος ſunt frequentiora: Propriam, qua inteſtina extra imi ventris ſpatium comprimuntur prolapſa à peritonæo aperto, eoque vel rupto, vel relaxato, mediate vel immediate, in qua ſignificatione poſtrema illam accipio.

III.

## III.

Πραγματώδει εντεροπεριςολὴν morbum inteſtinorum in via, à peritonæo varie comprimente ortum, tumore, dolore, motus periſtaltici everſione, alvique conſtipatione comitatum, definio.

## IV.

Obſervatis hiſce circa definitionem obſervandis ad ἐντεροπεριςολῆς differentias deſcendo, quarum Quatuor potiſſimum agnoſco, & primam à ſubjecto, ſecundam à morbo, tertiam ab efficientibus, quartam ab accidentibus peto.

## V.

A ſubjecto ἐντεροπεριςολὴν aliam inteſtinorum tenuiorum, aliam craſſiorum, ſtatuo. Tenuiora chylum perficientia, & in ductus lacteos diſtribuentia, quia κινητὰ ſive mobilia, duodeno excepto, facile comprimuntur. Duodenum rarius, & non niſi à vulneribus abdomini inflictis, jejunum ſæpe, id quod primum ad longitudinem quatuor digitorum tranſverſorum latitudinem ſub coſtis ſpuriis in hypochondrio dextro compreſſum, vidi *Tiguri cum Domino Parente anno M. DC LXVII. in Joſua Bindſchedlero de Hottingen*, ilium ſæpius, & indifferenter in partibus abdominis omnibus, ſuperioribus, inferioribus, & lateralibus, ob circumvolutionem, longitudinem, ac commotionem variam. Craſſa fæces colligentia, & per alvum excernentia, quia ἀκίνητα ſeu immobilia, difficile conſtringuntur. Cæcum in latere, in quo ſitum eſt dextro, idque potius in infantibus, quam vero in junioribus, atque ſenioribus, in quibus jam in proceſſum vermicularem, longitudine vix quatuor digitorum tranſverſorum latitudinem excedentem, contractum, Colon in partibus abdominis variis ob ſitum illius, quod plus quam pugni magnitudine in ſcroti parte dextra conſtrictum conſpexi *Pariſiis cum Domino Bienaiſio, Chirurgorum Pariſienſium experientiſſimo, practico feliciſſimo, Præceptore, hoſpiteque meo in æternum mihi honorando, an. M DC LXXI. ad finem Auguſti, in Leonhardo Drovino limbolario, vicum divi Martini inhabitante.* Inteſtinum rectum quoque, non tamen à peritonæo ut cætera, tam ob ejus ſituationem rectam, quam connexionem partibus adjacentibus firmam, ſed à phlegmone ut plurimum comprimitur. Quæ inteſtini recti compreſſio, vel eſt totalis, qua totum à relaxatione ani muſculorum levatorum, à tuberoſitate iſchii oriundorum, inteſtinum prolapſum premitur, vel eſt partialis, qua tunica tantum interna, à muci depravati, vel humoris alterius corrupti copia, propulſa comprimitur, phlegmonem gangræna ſubſequente, quam tunicam internam ſphacelatam cum ſalute ægri abſciſſam vidi *Lugduni Gallorum à Domino Horatio Panthoto, in Noſocomio p. t.*

Chi-

*Chirurgo ordinario, Fautore & amico meo ſuſpiciendo, anno M DC LXIX. in Menſe Septembr.* ſed hæc in tranſitu.

## V I.

A Morbo ἐντεροπεριςολὴν aliam ſimplicem, qua inteſtina ſola implicantur, aliam vero compoſitam, qua partes corporis reliquæ, idque vel frequenter, ut omentum, vel rarius, ut meſenterium, uteri ligamentum latum, complicantur, pono. Meſenterium, *Johanne Dominico Sala Patavino* atteſtante, cum inteſtinis tenuibus omnibus in ſcrotum delapſum fuiſſe, abdomen alterum præ ſe tuliſſe, & mole ſua veſicæ collo compreſſo, urinæque tranſitu impedito, neceſſitatem moriendi ægro intuliſſe, legimus apud *Bartholinum hiſtor. anat.* 95. *cent.* 2. Ligamentum uteri latum, quo ad extremum, *ſeu Diaboli* morſum, *Pariſiis* cum inteſtinis in inguine complicatum, reperit *Dominus Beſſier, Chirurgus peritus.* Utramque illam ſubdivido; *Primo* in levem, qua inteſtina leviter ſtrangulata, ob ſymptomata mitiora ab ægris ipſis, vel artis imperitis in abdomen reducuntur, vel gravem, qua inteſtina graviter incarcerata, ob accidentia vehementiora à Chirurgis vel manu ſola, vel ſectione in ventrem imum reponuntur. Prior infantibus ob relaxationem ab humiditate nimia, poſterior vero ſenibus ob contractionem ab exſiccatione multa, communior. *Secundo* in completam, qua inteſtina ex toto ſtringuntur, ita, ut neque per inferiora injecta rejiciantur per ſuperiora, neque per ſuperiora aſſumpta ejiciantur per inferiora, ſeu in incompletam, qua inteſtina ex parte tantum conſtringuntur, unde per os ingeſta per alvum excernuntur, & per alvum immiſſa per os evomuntur. *Die* 24. *Junii* M DC LXXI. *Dominus Bienaiſius* ſub horam undecimam veſpertinam in ſuburbium *divi Anthonii* accerſitus ad inviſendam ægram ἐντεροπεριςολῇ laborantem, cum nimis ſero eſſet, & ob negotia graviora eo ſe conferre non licuiſſet, quemdam ex miniſtris ſuis mecum ad ægram miſit, nomine *Magdalenam Hauchet* textricem, in qua ἐντεροπεριςολὴν inguinalem ſiniſtram, à graviori lignorum onere ſublevato ortam, βυβονοκήλην ſubſecutam reperimus, (qua enema ex oleis variis compoſitum, paulo ante injectum, nobis præſentibus cum admiratione & ſtupore, per os fuit rejectum) quam cum reducere non potuimus, remedia ad inteſtinorum compreſſorum ſolutionem, ſolutorumve reductionem admovimus, quibus ægram capite declivi, & pedibus in altum elevatis in diem craſtinum reliquimus, quo manibus reductione in caſſum tentata, operatio ſectione *à Domino Bienaiſio* ſuſcepta, & ægra intra menſes duos perfectiſſime reſtituta fuit. Hac ἐντεροπεριςολῇ incompleta ægrota non ſolum clyſteres per os rejecit, ſed & excrementa liquida toto compreſſionis tempore (ad diem uſque ſeptimum) per alvum dejecit, cujus rei cauſam operator inteſtinum ex parte tantum conſtrictum, reperit. In affectu ſimili enemata per ſuperiora rejecta fuiſſe, notat *Fabr. Hild. cent.* 6. *obſ.* 70. *Tertio*, in eam, quæ fit vel ſine ſolutione

continui, ubi partes continentes tam propriæ, quam communes relaxantur, diſtenduntur, & inteſtina incarcerata tecta ac cooperta manibus contrectantur, vel cum ſolutione continui, ubi peritonæum vel ſolum rumpitur, vel muſculi ſimul cum integumentis dividuntur, & inteſtina detecta ac nuda oculis luſtrantur. Sic in vico *Hafnienſi Laurentii Biornonis* ſartoris filiolo, ſex menſes nato, laboranti ἐντερομφάλῳ, rupto umbilico prodiere foras inteſtina tenuia membranula tecta, per anguſtum abdominis, & peritonæi foramen, quo quaſi circulo calloſo inteſtina conſtringebantur, imo rupta quinto die membranula, latius diſcerpto peritonæo, nuda prorſus inteſtina propendebant, ad longitudinem mediæ ulnæ per gyros conſuetos intorta. Conſilium fuerat ampliare foramen, ut intrudi poſſint, & in locum ſuum reponi, ſed ante puerulus fatis ceſſit, quam Chirurgus advenerit, poſt mortem longius adhuc inteſtina proceſſerunt, ſine dubio in extremo morientis conatu protruſa *Bartholin. Hiſt. Anat. 22. cent.* 3. Ita *Claudio Molier Pariſienſium* thermopolæ, in via macelli, in Suburbio *Sancti Germani* commoranti, die 31. *Aprilis M DC. LXXI.* per ædium ſcalas decidenti: & aſſerem acutum offendenti, in inguine dextro integumenta tam communia, quam propria dilacerata, & diviſa, hinc inteſtina tenuia in copia magna protruſa fuere ſtrangulata, quæ *Dominus Juillet Pariſienſium Chirurgus exercitatiſſimus, anatomicus accuratiſſimus, Hoſpes & præceptor meus plurimum mihi venerandus*, incarcerata liberavit, in locum naturalem collocavit, γαστροραφίαν celebravit, & ægrum brevi temporis ſpatio quam feliciſſime ſanavit. In ἐντεροπεριστολῇ ſimplici & compoſita, levi & gravi, completa ac incompleta, ſine ſolutione continui partium continentium communium, aliquando aquas deprehendimus, de qua verba inferius inſtituemus.

## VII.

Ab efficientibus ἐντεροπεριστολὴν aliam à cauſa externa fortuita, aliam ab interna antecedente, producta ab externa neceſſaria, fieri aſſero, quam differentiam cum cæteris notatu dignam cenſeo.

## VIII.

Ab accidentibus ἐντεροπεριστολὴν varie diſtribuo & *primo* à quantitate, in parvam, mediocrem, magnam. *Die* 13. *Septembris anno M DC LXXI. Clariſſimi Domini Bienaiſii* Chirurgicas imploravit manus *Pariſienſium* notarius, nomine *Claudius Merlet*, laborans ἐντεροπεριστολῇ duplici ὀσχεοκήλῃ ſuccedente, quæ tantam ob incuriam perizomatum magnitudinem nacta, ut inter femora magnitudine capitis quaſi duplicis conſpiciatur pendula, unde compreſſio levis, ſed continua, qua abſente & inteſtinis in abdomen intruſis, ob partium contractionem dolores ingraveſcunt, qua vero præſente & inteſtinis extra abdomen protruſis miteſcunt, ſed nunquam evaneſcunt.

Penem

Penem quin & inteſtina prolapſa pondere ſuo retrahunt & abbreviant, relicto utpote parvo illius veſtigio, unde urinarum in ſcroto œdematoſo collectio cum fœtore moleſto, inceſſu laborioſo & doloroſo. Hoc exemplo hernioſi cuncti ſapiant, & perizomatum curam exactiſſimam gerant. *Secundo* à figura, in æqualem & inæqualem. *Tertio* a qualitatibus, in calidam & frigidam, mollem & duram, in belle coloratam ſeu cuti concolorem, & male coloratam ſeu lividam. *Quarto*, à loco, alia eſt umbilici, alia ventris, alia inguinis, alia ſcroti. Umbilici ὀμφαλοκήλην ſequitur, in qua cum inteſtinis omentum umbilico proximum ſæpiſſime premitur. Compreſſionem talem gangræna & morte terminatam annotavit *Hieronymus Welſchius in ſuis Obſerv.* Ventris proprie dicti κοιλικήλην (quam duplicem paululum infra umbilicum luſtravi in *Jacobo Hindermann ex Tigurinorum* cœtu *Hong die* 3. *Septembris anno M DC LXVIII.*) ante, pone, & ad latera talem inſequitur, quæ frequentior cæteris cum ſolutione continui integumentorum omnium, quam propriorum (aut nulla cum ſolutione continui) qualem poſt *Joſuæ* noſtri *Bindſchedleri Theſ. V. allegati*, conſpexi *die* 10. *Julii anno M DCLXXI. cum Domino Bienaiſio* in quodam Monacho, cui peritonæo duos digitos tranſverſos ſupra umbilicum diſrupto in latere ſiniſtro, inteſtinum colon, pugni magnitudine extra abdomen prolapſum, leviter comprimitur cum dolore, ſpirandi difficultate, imo per intervalla cum λειποθυμία ægro videlicet errorem quoad externa committente. Repoſita dolorem, ob partium internarum retractionem, inferunt majorem. Huic ἐντεροπεριςολὴ omnium maxime canes ob ictus ſunt obnoxii qualem etiam *die* 2. *Decembris anno M DC LXXI. cum Domino Liotot Aquenſi Chirurgo* reperi, canem receptaculi *Pecquetiani* ergo cultro anatomico ſubjiciendo. Peritonæum in margine jam calloſum fuit. Inguinis βουβονοκήλην (quam duplicem vidi in *Annæ Mugler ex Tigurinorum cœtu Waſſerſtorf* concomitatam δυσουρία *die* 11. *Auguſti anno M DC LXVIII.*) conſequitur, in qua cum inteſtinis omentum adhuc frequenter, idque potius in mulieribus, quibus longius, quam vero in viris, quibus brevius, ſtringitur. Rarior tamen mulierum quam virorum, quia illarum pars affecta non admittit, ut æque dilatatio ac ſinus magnus ab inteſtino efformetur. Scroti ὀσχεοκήλην ſubſequitur (ut plurimum, ut cæteræ) quæ omnium frequentiſſima ob inteſtinorum procidentium pondus, locum decliviorem, & cauſam proximam. In hac omentum ob ejus brevitatem cum inteſtinis raro conſtringitur, quod tamen conſtrictum in copia magna reperimus in *Leonhardo noſtro Drouino th. V.* citato. Omnes hæ ἐντεροπεριςολῆς differentiæ, umbilicali excepta, ſunt vel alterutrius, vel utriuſque lateris, in uno latent, in altero patent, utrobique vel apparent, vel diſparent, quibus etiam cum ſubſequentibus divitibus pauperes, & illorum viri quam mulieres, ſæpius affliguntur. *Quinto*, à tempore, alia eſt recens, alia inveterata. *Sexto*, à motu, alia fit ſenſim, alia confertim.

## I X.

Differentiis ἐντεροπεριστολῆς dilucidatis cauſarum ſeriem ſpecto, quas in præcedentes & ſuccedentes divido. Priores ſunt vel neceſſariæ, vel fortuitæ; poſteriores aut antecedentes, aut conjunctæ.

## X.

Conjuncta, quæ proxima & immediata, eſt peritonæum apertum, ruptum, vel relaxatum, ſecundum locum varium varie comprimens. In umbilico peritonæum inteſtina prolapſa proceſſu brevi, vaſa umbilicalia in fetu continente, funiculo umbilicali mediante, ſtringit. Inter corpora enim hæc duo, non vero inter partes proprias funiculi umbilicalis, in ligamenta ob uſum deſinentem mutatas, inteſtina conſtringuntur. In abdomine peritonæum inteſtina extrinſecus ſolum nullo corpore alio adjuvante, idque juxta partes diverſas diverſimode, hoc eſt, modo fortius, modo levius, id quod dependet à ſtructura & compoſitione peritonæi, quæ mox fortior, mox debilior, nunc craſſior, nunc tenuior, premit. In inguine & ſcroto peritonæum inteſtina protruſa proceſſu vel longo, vaſa ſpermatica in viris involvente, ἀπονευρώσει muſculorum abdominis obliquo deſcendentium adjuvante, vel brevi, ligamenta uteri rotunda extra abdomen in mulieribus deducente, ſtrangulat, quo tempore inteſtina intumeſcunt, inflammantur, alterantur, albeſcunt, nigreſcunt.

## X I.

Antecedens, quæ primum facit & fovet morbum, vel eſt inflammatio cum dolore acuto, calore, rubore, vel ſtercus cum dolore gravativo, duritie & alvi conſtipatione, vel flatus cum dolore tenſivo & rugitu, quæ reperias vel ſola & ſimplicia, vel plura & complicata; ita tamen, ut unum reliquis prædominetur, juxta quod & remedia ipſa præſcribenda veniunt. Cauſam omnium creberrimam agunt inteſtinorum contenta excrementa ſenſim accumulata, indurata, flatuumve acceſſione aucta, unde inteſtinis extra abdomen egreſſis ac compreſſis ingreſſum denegant, & injuriis accedentibus externis dolores, inflammationes, rugitum, ructum, ſingultum, vomitum, imo excretione totali per alvum prohibita κοπρεμετίαν ſeu fæcum alvinarum evomitionem cum mortis periculo excitant.

## X I I.

Fortuita eſt varia; belluarum occurſus, caſus, ictus, vulnus gladio, lapide, baculo, aut alio inſtrumento inflictum. Compreſſionem inteſtinorum

rum talem herniæ ventrali in latere umbilici ſupervenientem, à cornuum tauri perfoſſione cum febri acuta & κοπρεμμελία proponit *Schenck. obſ.* 370. *l.* 3. Caſu inteſtinorum ſtrangulationem incurrit thermopola noſter *theſ. VI.* allegatus. Ab ictu gladii eſt frequentiſſima, qua prolabuntur ac involvuntur inteſtina, & præprimis mobilia.

## XIII.

Neceſſaria eſt multiplex; aër frigidus & humidus, ventoſus, nebuloſus, pluvioſus, vel aliter tempeſtuoſus, inteſtina procidentia frigefaciendo, humectando, condenſando, inflando, lædit, unde diſtenduntur, intumeſcunt, comprimuntur, & in locum naturalem retrudi nequeunt, exemplo nautæ, cui naufragio ob cœlum tempeſtuoſum imminente, varias tam aëris, quam aquæ frigiditates & humiditates perpatienti, peritonæi proceſſu in inguine relaxato, inteſtina in ſcrotum devoluta, & flatibus diſtenta, fuere ſtrangulata. *Tulp. obſ.* 37. Sic Bajulus quidam ἐντεροκήλῃ laborans cum circa mœnia tempore frigido & ventoſo alvum deponeret, inteſtina in ſcrotum prolapſa refrigerata reponi non potuerunt, unde εἰλέωσις, ſingultus, & mors fuit ſequuta *Foreſt. obſ.* 16. *l.* 27.

Cibi & potus uſus immodicus maxime eſt nocivus inteſtina enim extra abdomen contenta replet, obſtruit, fæcibus impactis tranſitum impedit, unde ſtringuntur. Cujus rei fidem primus mihi dedit *Jacobus Ladinier*, cui poſt ciborum ingurgitationem nimiam, inteſtina contentis durioribus infarcta, cum morte fuere convoluta, *Lugduni Gallorum* in noſocomio *anno M DC LXIX.*

Vigiliæ immoderatæ corpus calefaciendo, exſiccando, inflammationem, dolorem, fluxionem promovendo, junctis reliquis, non parum obſunt.

Motus exceſſivus peritonæum vel rumpendo, vel eodem jam diſrupto inteſtina propellit, diſtendit, unde incarcerantur, atteſtante noſtro *Bindſchedlero*, cui à ſublevatione trabis gravi & oneroſa, peritonæo rupto inteſtina prolapſa mox fuere incarcerata.

Motui in partu laborioſo & difficili ſubinde ſuccedit hernia ὑστεροκήλη ab antecedentibus nuncupata, in umbilico, abdomine & inguine, quæ partu reiterato ſæpius in ἐντεροπεριστολήν, ſi non gravem, ſaltem levem abit. Ὑστεροκήλη autem illa, qua aperto peritonæo à partu gravi & operoſo protruduntur inteſtina, impropria; qua vero ipſe elabitur uterus, quo aliquando extra abdomen continetur fetus, propria ſtatuitur. Fando accepi à *Clariſſimo atque Doctiſſimo Viro Domino Carolo Sponio*, *Medicorum Lugdunenſium Gallorum vice Decano Digniſſimo*, *Experientiſſimo*, *Feliciſſimo*, *Præceptore Hoſpiteque meo in æternum mihi honorando*, ſe duas etiamnum ſuperſtites noviſſe fœminas, quibus poſt multiplices, quas expertæ ſunt graviditates, peritonæum à ſuppoſitis integumentis adeo viſatur relaxatum in hypogaſtrica regione, ut inſtar ſacci aut peræ ultra media

femora propendeat, quæ tamen fetus non paucos pulchre tum conceperunt, tum ad maturitatem perfectam pertulerunt, utero in illum quaſi ſaccum una cum fetu ſubſidente. Plura de ὑστεροκήλῃ qui deſiderat, *Sennert.* & *Fabr. Hild.* conſulat.

Excernenda retenta, ut ſtercora, flatus, inteſtina obſtruunt, imo ad ſalubriorem vitam excludenda noxia eadem propellunt, & irretiunt. Germanus quidam linguarum Magiſter (cujus nomen non prodam) ob ingurgitationem in ventriculi βραδυπεψίαν incidit, ad quam præmiſſis alloioticis tam aſſumtis, quam injectis debellandam, ſequens catharcticum propinatum fuit ℞. *medull. caſſ.* ℥ß. *rhabarb. pulverat.* ʒj. *cremor. tartar.* ʒß. *ſeminis coriandr.* ℈. *j. cum Syrup. capill. Vener.* humectentur, & in bolum cum Sachar. redigantur, quo alvo ſexies ſubducta in ὀσχεοκήλῃ inteſtina expulſa & cum dolore contorta fuere, ante purgationem non ſolum non iis in abdomen repoſitis, ſed in purgatione ipſa faſciis neglectis, hernia medico ignota. Sic βουβονοκήλη inguinis ſiniſtri, magnitudinis ovi anſerini, poſt medicamentum purgans ab empirico aſſumtum, ita fuit ampliata, ut caput nunc ſuperet, *Bartholin. Hiſtor. anat.* 51. *cent.* 5. Ita fluxum ventris diuturnum ob dolores, tormina, flatus, inteſtini coli in βουβονοκήλῃ prolapſus, & compreſſio ſubſequuta fuit, *Foreſt. l.* 21. *obſ.* 20. Κάθαρσις in hernioſis cauta ſit.

Verecundia denique damnoſa cauſa mali hujus eſt frequentiſſima, quare mortalium nemo herniam medico reticeat, ne mortis periculum incurrat, imo mortem ipſam ſubeat, *Furnarii cujuſdam Genevenſis nomine du Four, uxor, menſe Aprili M DC LXXII.* ἐντεροπεριστολῇ βουβονοκήλην inveteratam inſequente, obiit, quia eam & medico, & marito reticuit.

*Dominus Boulanger, Strenuiſſimi ducis Neocomenſis p. m. Secretarius* affectu ſimili eſt mortuus, *anno M DC LXIII.* quem medico abnegaverat, referente *Clariſſimo atque Doctiſſimo Viro Domino Theophilo Boneto, Genevenſium medicorum celeberrimo.* Annotetur hic velim, ut medici quoad ad febres ſingultuoſas debellandas, vomitus bilioſos ſiſtendos, infringendos, alvi conſtipationes ſolvendas, abdomen, ſi unquam, tunc tangant, quo cauſam detegant, ſin minus manifeſtam eam deprehendant, aut ipſi ægri ſe hernioſos dicant.

## §. XIV.

Ἐντεροπεριστολῇ tandem potius obnoxii alvum qui habent ſiccam, quam humidam, quia excrementa facilius indurantur, ſeniores quam juniores, quia ſicciores, viri quam mulieres, quia illis labores graviores ſuſcipiendi, cæteræque injuriæ externæ ſæpius ſubeundæ, tempore potius hyberno, quam æſtivo, quia frigidum & humidum. Malo quin & huic perículoſiſſimo ſeſe exponunt, qui hernioſi perizomatum aſſuetorum uſum intermittunt. *Pariſienſis quidam nomine Dominus Pernet* ὀσχεοκήλῃ laborans, qua jam

jam ſemel ἐντεροπεριϛολῆς ſectionem dolorificam & periculoſam ſuſtinuit, faſcia neglecta & ob avaritiam uſu trita, in eamdem recidit, operationem admiſit, ita, ut eum ſecunda vice *Dominus Bienaiſius* è mortis imminentis faucibus, ſanitatem priſtinam reſtituendo, eripuerit. Hernioſi ejus exemplo ſapiant, & perizomatibus iiſque veris, non ſpuriis, cincti diligenter incedant.

## X V.

Cauſis differentiarum perpenſis, ad ſigna Διαγνωϛικὰ tranſeo, quorum claſſes quatuor conſtituo: παθογνωμονικὰ, συνεδρεύοντα, ἀναμνηϛικὰ & diſtinctiva.

## X V I.

Παθογνωμονικὰ, quæ ſigna propria & inſeparabilia, ſunt tumores, dolores, motus periſtaltici everſiones, alvi conſtipationes.

## X V I I.

Tumores, qui cum ἐντεροπεριϛολῇ incipiunt & deſinunt, modo majores, modo minores ſunt, mox extrinſecus patent, mox intrinſecus latent, unde illos nunc viſu elevatos, nunc tactu duros, dignoſcas. Hæc qui cum ſubſequentibus ſignis obſervabit, ἐντεροπεριϛολὴν neque pro ilio, ab excrementorum ſimplici retentione alvique conſtipatione orto, neque pro bubone venereo, tumoreve inflammatorio cum barbitonſoribus, neque pro matrice relaxata cum obſtetricibus, accuſabit; & conſequenter ægros neque balneis ſolis & enematibus, neque ſectionibus abdominis inutilibus, neque emplaſtris vigoniatis & mercurialibus, neque venæ ſectionibus, neque matricem relaxatam reſtringentibus & reponentibus, neque vomitoriis bilem evacuantibus, neque roſarum conſervis ventriculum roborantibus, pertractabit.

Dolores ob inflammationem, tumorem, adeoque & alterationem, & continui ſolutionem, ſunt tenſivi, fixi, v. g. in inguine circa ἀπονεύρωσιν muſculi obliqui deſcendentis externi. Ubi dolor, ibi morbus.

Motus inteſtinorum περιϛαλτικὸς (qui omnium optime in felibus ob tunicas inteſtinorum craſſiores & quaſi corneas, hincque ſpirituum diſſipationes tardiores & longas, cernitur) evertitur, fibris illorum orbicularibus & tranſverſis, non κατὰ φύσιν & à ſuperioribus verſus inferiora, ſed παρὰ φύσιν & ab inferioribus verſus ſuperiora retractis, quam etiam contenta ad ventriculum protruduntur, & evomuntur. Contrahuntur irritatæ, idque partibus etiam infra compreſſionem in conſenſum aliquando tractis, unde enemata per anum injecta, per os ejecta vidimus, obſervando

vando circuli carnoſi termino ilii conceſſi, nomine valvulæ venientis, excrementa in inteſtina craſſa deponentis, regurgitationemve eorum impedientis, ruptionem atque dilacerationem ſubſequi, imo eam excretionem alvi liquidam conſequi, id quod non ſemel de croco metallorum in aliis morbis per inferiora immiſſo, & per ſuperiora emiſſo; notavi.

Alvus conſtipatur, quia inteſtinis compreſſis tranſitus excrementorum denegatur, mox magis, mox minus, quamobrem nunc vix ſpecilli extremum recipit, & nil quicquam excernit, nunc vero digitum quaſi admittit, & aſſumtorum liquidorum aliquid dejicit. In principio excrementa quædam infra inteſtinorum partes compreſſas detenta, à facultate expultrice vel per ſe, vel arte irritata, ſolvuntur.

## XVIII.

Συνεδρεύοντα, quæ ſigna communia & ſeparabilia, ſunt febris, nauſea, ructus, ſingultus, vomitus, ſpirandi difficultas, præcordiorum anguſtia, lipothymia, cordis tremor, virium languor, extremorum frigiditas, vigiliæ, inquietudines, delirium, convulſiones.

## XIX.

Febris ex inflammatione inteſtinorum præprimis tenuium ob multitudinem vaſorum; calor enim ibi generatus partibus adjacentibus & cordi communicatus, atque hinc in corpus totum per arterias diſtributus, maſſam ſanguineam accendit, inflammat, & febrim excitat.

Nauſea, ructus, ſingultus, vomitus, accidunt per συμπάθειαν ſeu membranarum communionem ex vehementia doloris & inflammationis, vel ab humoribus tam quantitate & copia moleſtis, quam qualitate & acrimonia inimicis, ventriculum magis vel minus evertentibus, vellicantibus.

Vomitu revertuntur aſſumta tum alimenta, tum medicamenta, contenta bilioſa, pituitoſa, imo ipſa excrementa in κοπρημετία, quæ celerior aut tardior, longior aut brevior, ſecundum variam ægrorum diſpoſitionem & remediorum adminiſtrationem. Inteſtinis tenuibus affectis vomitus eſt vehemens, aſſiduus, (quo chyli partes tenuiores à craſſioribus non ſeparantur, multo minus per ductus lacteos diſtribuuntur, aut ad inteſtina craſſa deponuntur, ſed una evomuntur & excrementum improprie dicuntur) cito ſuperveniens, ventris doloribus magis ad ſuperiora vergentibus. Inteſtinis vero craſſis afflictis, vomitus non ita eſt violentus, nec continuus, (quo primum chylus à fæcibus ſegregatus, ſed ob inflammationem ad loca deſtinata non delatus, dein ipſa excrementa ex receptaculis propriis, in quibus jam contenta, rejiciuntur & proprie talia ſtatuuntur) tardius ſuccedens, abdominis torminibus cum lumborum gravitate ad hypochondria inclinantibus.

Spiran-

Spirandi difficultas à ſanguinis inflammatione, rarefactione, & vaſorum pulmonalium diſtentione.

Præcordiorum anguſtia, lipothymia, cordis tremor, à fumis putridis, vaporibus male olentibus, cum ſanguine, & ſpiritibus cor petentibus, nec non à doloribus vehementibus ſpiritus reſolventibus.

Virium languor, à ſpirituum, ob inflammationis & febris intenſionem, vomendi conatum inanem, vel vomitum enormem & excedentem, diſſipatione. Extremorum frigiditas propter ſanguinis cum ſpiritibus à circumferentia ad centrum, revocationem. Vigiliæ, inquietudines, à dolore atroci ſomnum impediente, cujus cauſa naturali abſente, coctione videlic. deficiente, exhalationes febriles excitat, ſpiritus animales inflammat, & inquietudines varias creat.

Delirium, à meningum propter ſanguinis fervorem inflammatione.

Convulſiones per ſtomachici, ſexti paris nervi, conſenſum.

## X X.

Αναμνηστικὰ, quæ ſigna præteritum corporis ſtatum in memoriam revocant, ſunt, ubi ægri hernia laborarunt, aut ſe aliquid in umbilicum, abdomen, inguem, aut ſcrotum prolabi audiviſſe affirmarunt.

## X X I.

Diſtinctiva, quæ ſigna inteſtinorum compreſſionem v. g. à teſticulis in inguine adhuc ob calorem debilem latentibus, diſtinguunt, ſunt, quod dolor in teſtium retractione abſit, in inteſtinorum vero incarceratione adſit, imo teſticulus ea ſcroti in parte, qua inteſtinum ſtringitur, deficit. Cætera brevitatis ergo prudentiæ cujuſvis relinquo, quæ ex allatis peto.

## X X I I.

Signis διαγνωστικοῖς conſideratis ad προγνωστικὰ me confero, quæ in generalia & particularia dirimo. In genere ἐντεροπεριστολὴν omnem periculoſam duco, in qua ægri aut ſalutaria refugiunt, aut ſaltem tempeſtive præſcripta negligunt; in ſpecie vero à parte affecta, morbi ſpecie, cauſa, & accidentibus πρόγνωσιν deduco.

## X X I I I.

Ratione partis affectæ, ἐντεροπεριστολὴ inteſtinorum ſuperiorum periculoſior eſt quam inferiorum, tum ob συμπάθειαν cum ventriculo faciliorem, unde vomitus qui ſemper malus, ſupervenit citius, tum ob chyli diſpenſationem impeditam, & fæcum alvinarum ab illo ſeparationem in-

terruptam. Accedit, quod inteſtinis in locum ſuum reductis, tutius inferiora inflammata injectis, quam ſuperiora accenſa aſſumptis, corrigantur. Superiorum tam ilii quam duodeni & jejuni, tam ob ſubſtantiæ habitudinem, quam vaſorum copiam, unde inflammatio intenſior, alteratio, gangrænoſis, ſyderatio citior, frequentior. Inferiorum coli quam cæci propter ligamentorum variorum relaxationem, vel ruptionem, fæcum alvinarum excretionem depravantem.

Ratione ſpeciei, difficilior eſt compoſita ſimplici, omentum enim adipoſum, ac lubricum procidens, ab ambiente refrigeratum & incraſſatum, inteſtinorum reductionem moleſtiorem efficit, id quod *Leonhardus Drovinus Theſ. V. citatus*, me edocuit, cui omentum prolapſum ab aëre induratum & condenſatum, inteſtinorum repoſitionem tam difficilem reddidit, ut *ἀπονευρώσις* obliqui externi quater dilatanda fuerit. Operoſior eſt cum *συμφύσει* partium vicinarum adjacentium, nec non copia aquarum, quam ſine his. Infeſtior gravis levi, & quidem quæ levi ſuccedit brevi, ob vires collapſas, parteſque debilitatas: completa incompleta, quia calor, dolor, rubor, inflammatio, cæteraque accidentia intenſiora. Moleſtior quæ fit ſine ſolutione continui integumentorum communium, & propriorum, quam vero quæ accidit cum ſolutione continui eorum, cujus funeſta quæ contingit in medio non in latere, funeſtior quæ partes ignobiliores, omentum, meſenterium lædit, funeſtiſſima, quæ partes nobiliores, ventriculum, hepar, lienem offendit.

Ratione cauſarum, laborioſior eſt quæ evenit à peritonæo comprimente rupto, quam relaxato, quia major conſtrictio, calamitoſior ab inflammatione, quam à fæcibus & flatubus, metu alterationis.

Ratione accidentium & *Primo*, à quantitate gravior minor mediocri & hæc majori, retruduntur enim difficilius ob foramen minus. *Secundo*, à figura inæqualis æquali, rotunda oblonga, tum ratione compoſitionis, tum ratione reductionis. *Tertio*, à qualitate, malæ ſunt ad tactum frigidæ, quia inteſtinorum non tam *νάρκωσιν* quam *νέκρωσιν* denotant, pejores molliores duris, quia eorumdem *τόνον* ſi non abolitum, ſaltem diminutum indicant. Sic *Dominus de la Sale* Chirurgus *Lugdunenſium* peritus inteſtina papyri madidæ inſtar mollia, in quodam milite *Helvetio*, *Rhodani* portam cuſtodiente, reperit, quæ etiam mors ſubſequuta fuit; peſſime omnium verſicolores, lividæ, nigræ, quæ inteſtinorum alterationem gangrænoſin & ſphacelum, qui ut plurimum, non ſemper *θανατώδες* demonſtrant; in *ἐντεροκήλη* enim, in qua inteſtinum in ſcroto incarceratum remediis nullis in locum ſuum reponi potuit, retentio fæcum alvinarum conſequuta fuit, qua feces non per os, ut vulgo, ſed aperto ob alterationem cum ſcroto inteſtino, per illud ejecit, imo fiſtula ſanata per vias ordinarias dejecit. *Gouvillard. in Celotom. obſ.* 19. *Quarto*, à loco periculoſa umbilici ob chordam in ſectione evitandam, minus periculoſa abdominis, periculoſior inguinis, ubi inteſtina compreſſa profunde, reducun-

cuntur difficile, ἀπονευρώσιν accedente. Imo in mulieribus eſt difficilior quam in viris, cum iis oſſa pubis ſint elevata, & inteſtina profundius, & prope femur in parte cava compreſſa, quo inſtrumentis difficulter pervenimus. Periculoſiſſima tandem eſt ſcroti, tam ratione profunditatis, quam dilatationis. *Quinto*, à tempore funeſtior inveterata recenti, ob caloris nativi diminutionem, depravationem, extinctionem, corruptionem, ægris diu morantibus, ut plurimum imputandam. *Sexto*, à motu moleſtiores ſunt, quæ fiunt ἀθρόως, quam vero ἀκροθιγῶς, quoniam hæ ruptionem, illæ relaxationem præſupponunt.

## XXIV.

Urina fætida putredinis, nigra extincti caloris eſt index. Si excrementa evomantur, malum, imo ubi operatione peracta fætida, livida, nigra dejiciantur, exitiale. Delirium tandem, cordis tremor, pulſus languidus, ſudor frigidus, omnia funeſta, idque eo magis cum morbus per ſe magnus juvenem temperamento ſanguineum, habitu quadrato donatum æſtate prehenderit, ratione inflammationis & caloris nativi ſuffocationis. Quamvis & in ſenibus tempore hyberno morbus calore jam diminuto, ſit periculoſus.

## XXV.

A Θεωρία nunc ad πρᾶξιν me accingo, & in præſidia ad ſalutem ægri neceſſaria per indicationes inquiro. Hæ, ſunt inteſtina compreſſa ſolvere, ſoluta reducere, reducta continere; illa, diæta, pharmaca, chirurgia.

## XXVI.

Diætam quod attinet, àër, cujus mutatione affectum hunc gravem ægroti ſæpius incurrunt, qualitatibus ſuis temperetur, inedia, (viribus perpenſis) aut victus tenuis & leniens, ſucci boni, coctionis facilis (*juſcula carnium tenuia*, & *ova ſorbilia*) imperetur, quo excrementa aut nulla, aut pauciſſima generentur, & inteſtina non multum graventur. Non igitur calidus, ſed temperie moderatus, non ſolidus, ſed conſiſtentia liquidus concedatur, & à vino etiam in decrepitis (robore conſiderato) abſtineatur. Vigiliæ immodicæ corpus calefaciunt, exſiccant, ſpiritus diſſipant; ſomni vero refrigerant, humectant, vires reſtaurant, quare quidam pervigiles præſidia convenientia abnuentes, hypnoticis ad ſomnum cogunt, e quo excitati in lecto quieti ſe teneant, excrementa reſidua arte excernant, & patientes vivant.

## XXVII.

Pharmaca quod ſpectat, φλεϐοτομία ob inflammationem præſentem, ante, & poſt operationem ad evacuationem, diminutionem, refrigerationem, derivationemve e brachio dextro, vel affecti lateris, inſtituatur. Cathartica ante operationem per os nulla aſſumantur, quia illis humores e venis ad inteſtina trahuntur, ad partem affectam ducuntur, non educuntur, inteſtinorum enim commeatu non libero, ſed interrupto, exitum nullum invenientes ad ſtomachum rapiuntur, cum fætore, ægrorum clamore, imo ſæpius cum morte evomuntur. Purgantia etiam poſt inteſtinorum ſolutionem eorumdemque reductionem metu ſymptomatum graviſſimorum & recidivarum moleſtiſſimarum, caute & prudenter propinanda. In catharticorum igitur generalium ex parte nocivorum, ex parte vero ſuſpectorum locum, particularia, quæ enemata, ſubſtituo; quorum uſus ante & poſt operationem non ſolum tutus, ſed præſentiſſimus, & virtutis maximæ. Ante operationem, feces alvinas, obſtruentes, calefacientes, exſiccantes, educunt, deobſtruunt, refrigerant, humectant, inflammationem diminuunt, deplent non replent, & ſic tumores tam ab inteſtinis ſuperioribus ſtrictis, quam ab inferioribus irretitis obortos, non augent. Enema primum injectum, ubi non rejiciatur, ſecundum, imo tertium immittatur, quo facultas ſopita (oleis non obtundenda) à quantitate vel qualitate ad expellendum irritetur. Quantitate alia ſunt parva, quæ priora, alia magna, quæ poſteriora. Qualitate alia alterant, quæ vel refrigerant, & inflammationes tollunt, *ex hord. integr. furfur. macr. fol. cichor. endiv. acetoſ. lactuc. portulac. ſemperviv. Sem. 4. F. M. flor. violar. nymph. Mell. violat. nenupharin. cum aq. commun. vel oxycrat.*; vel emolliunt, & feces induratas attenuant, *ex malv. alth. violar. parietar. mercurial. bet. branc. urſin. ſem. lin. fœnugr. flor. chamom. melilot. ficub. mell. mercurial. cum jur. pull. vel. decoct. inteſtinor. & capit. vervecin.*; vel diſcutiunt & flatus diſſipant *ex menth. calamenth. majoran. origan. puleg. anet. ſem. aniſ. fœnicul. cumin. carv. lin. fœnugr. flor. ſambuc. chamom. melilot. mell. anthoſat. cum vin. vel commun. alb. potius quam rubr. vel malvat.*; alia purgant, quæ vel leviora, *ex medull. caſſ. recenſ. extract. & traject. lenitiv. optim.*; vel fortiora, *ex diaphœnic. benedict. laxativ. quæ ſale communi ſal. gem. criſtal. mineral. hier. picr. Galen.* ſunt acuenda. Quantum talia enemata proſint, fidem facit *Ballon. Ephemerid. l. 2. p. 263.* ubi in hæc erumpit verba. *Claudius à Cruce* ramicoſus, vomit aſſiduo. Inteſtinum reponi nequit fotu, litu. Demum contuliſſe viſus eſt clyſter *ex vino malvatico cum hiera.* Tandem contra ſpem repoſitum. Eodem remedio & in alio inteſtinum extra abdomen compreſſum, repoſitum fuiſſe, atteſtatur *Guilhelm. de Baillou, Medicus Pariſinus in ſuis obſ.* Poſt operationem, feces ſi quæ reſiduæ ſunt, expellunt, inteſtinorum tonum diminutum reſtituunt, debilitatum corrobo-

rant,

rant, *ex farin. frument. flor. roſar. rub. verbaſc. mell. roſat. catholic. duplicat. cum rhabarb. ſachar. rubr.* Quæ, cum inteſtina ad quæ pertingunt, ſint ſemimortua, ut plurimum in minori doſi, & ſæpius juxta neceſſitatem ſunt injicienda, ex nullis refrigerantibus & humectantibus, niſi cum ægrotorum pernicie, componenda, notando, quod rejecta, & quidem cum excrementis, ſignum ſint ſalutis, non tamen infallibile & certum, teſte adoleſcente, cui ab oneroſa lapidis ſublevatione, inteſtino in ὀσχεοκήλη prolapſo & compreſſo, ſectione ſoluto & reducto, more ſolito enema immiſſum fuit, quo cum excrementis emiſſo, poſtridie obiit, *Menſe Aprili M DC LXXII. Pariſiis* in noſocomio charitatis, operatore *Domino Moſchele*, Chirurgo p. t. ordinario. His ſuccedunt in regionibus noſtris ſuppoſitoria acria, *ex Sal. commun. Sal. gem. hier. picr. logad. colocynt. troch. alband. cum mell. ſ. q.*

Sed ad topica, quorum alia morbo, ejuſque cauſæ, inflammationi, ſtercori, flatui, deſtinata, alia vero ſymptomatibus, tetro ſapori, fœdo odori, ventris dolori, dicata.

Inflammationi, ſtercori, flatui, conveniunt refrigerantia, humectantia, repellentia, emollientia, incidentia, diſcutientia, reſolventia ſuperius recenſita, ex quibus ſecundum medicorum indicationes varias, fiant fotus varii, & ex horum reſidentiis contuſis, & per cribrum trajectis, cataplaſmata (additis *oleis violar. lilior. rut.*) partibus mox poſt fomentationes (ſpiculis ſuis v. g. *aceto*, *ſpiritu vini* donandas) admovenda & ſingulis trihoriis renovanda. In ſpecie & pro baſi in inflammatione *ſempervivum minus vermiculatum inſipidum*, vel ejus defectu *ſedum majus vulgare*, in ſtercore indurato, *parietariam officinarum*, & in flatu, *ſambucum fructu nigro*, commendo; è contra *frigidam ſolam*, quia calidum inſitum extinguit, unde pars liveſcit, nigreſcit; *ſpiritum vini ſimplicem*, quia cito avolat, nimis exſiccat, & ab aliis non irretitus ſtercoris partes tenuiores relictis craſſioribus reſolvit, *adſtringentia nuda*, quia ſtercora magis impingunt, flatus retinent non reſolvunt, refuto.

Balnea, inſeſſus maxime proſunt, & ex iiſdem, quibus fotus, doſi aucta fiunt, quorum uſus cum pharmacis reliquis ad mortem interdum continuandus, ubi vel ægri & adſtantes rogatu ardentiſſimo ſectionem ſumme neceſſariam rejiciunt, vel artis periti, qui eam ſuſcipiant, deficiunt; id quod in quadam *Gallorum* urbe accidiſſe ſcio, cujus nomen lubens reticeo.

Tetrum odorem & fœdum ſaporem depellunt *vinum*, *acetum*, *aliaque grata & odorata*, ore detinenda.

Singultum corrigunt, & ventris dolores leniunt olea chalaſtica, refrigerantia, adſtringentia, *lilior. chamom. violar. nymph. roſar. melin. maſtichin.*

## XXVIII.

Chirurgiam quod concernit, illa pharmacis præſcriptis præmittendis & à medicis imperandis, in applicatione manuum conſiſtit, quæ, ut ſana & me-

methodica ſit, chirurgus ægro ſituationem morbo accommodatam tribuit; dein inteſtina compreſſa in latere dextro manu ſiniſtra, in ſiniſtro dextra, digitis oleo inunctis in abdomen, & quidem partem prolapſam ultimam primam prudenter, leviter, non vi, non impetu, multo minus reiteratione frequenti & diu, irritationis, inflammationis intenſioris, alterationis, corruptionis metu retrudit, retruſa medicamentis, & faſciis idoneis mox deſcribendis continet, & curationem reliquam, ut in hernia inteſtinali ſimplici explet. Quod ſi autem manu inteſtina reponere non poſſit, ad ſectionem ipſam pervenit, quam in tempore, viribus conſtantibus, non in imbecillis & ſenibus, inteſtinis integris, non contaminatis, non in guloſis & intemperantibus, niſi *Celſi edicto*; Satius eſt anceps experiri auxilium quam nullum, ſuſcipit, ſi jam antea quatuor, apparatum, impedimenta, ſitum, & vincula adverterit.

## XXIX.

Apparatus patinas duas includit, quarum prima continet, *Primo* faſcias liquoribus aptis v. g. *Oxycrat. vel vin. rubr. incoct. flor. roſar. rubr.* imbutas diverſas, ſecundum diverſitatem locorum & ſymptomatum. In umbilico & abdomine mantile, ſcapulari tenendum, in inguine & ſcroto ſpica, acubus detinenda, & ægris inquietis capellina formidine recidivæ, quæ, ut cæteræ, laxior vel ſtrictior inſervit. *Secundo*, ſplenia, *eidem liquori*, cui faſciæ intingenda, quæ in umbilico & abdomine figura ovalia, vel quadrata, in inguine & ſcroto triangularia, numero tria, modo tenuiora & ſimpliciora, modo craſſiora & magis compoſita, quorum poſteriora prioribus majora, ſuccedente quarto eoque ſicco, quo abdomen totum *oxyrrhodino ex oleis chalaſticis, refrigerantibus, & aſtringentibus Thes. XXVII.* enarratis, inunctum, obtegendum. *Tertio* Cerata figura ſpleniis ſimilia, aſtringentia, repellentia, *ex emplaſtris oleis liquandis, & pulveribus conſolidantibus addendis* conficienda, & linteolo ſimplici ac ſicco, ſuturam cooperiente, admovenda. *Quarto* plumaceola, quæ ex carpamentis ſeu panno linteo uſu trito & decerpto compoſita, figura varia, *medicamentis convenientibus donanda. Quinto* turundas, quæ vel ſpuriæ ex panno linteo leviter & inæqualiter circumvolutæ, ad ſanguinem, ob vulnus recens inflictum, exſiccandum, detergendum, vel veræ, ex linteo fortiter & æqualiter cum emplaſtro aliquo contortæ, ad foramen à ſutura relictum obturandum & pus evacuandum. Priorum ad manus ſint plures, poſteriorum duæ vel tres, magnitudinis propter incertitudinem foraminis diverſæ, quæ filo alligandæ, & digeſtivo *ex ovor. vitell. cum, vel ſine albuminib. vel digeſtiv. commun ex terebinth. lot. in aq. roſar. ol. roſar. & vitell. ovor. vel ex ejus æquis partibus cum ſuppurativ. commun. addit. croc. vel aliis* pro re nata, illinendæ.

Secunda comprehendet inſtrumenta, & *Primo* ſcalpella & ſyringotomos rectos, ac incurvos ad integumenta incidenda, & peritonæum cum partibus comprimentibus aliis dilatandum. *Secundo* forfices rectos & incurvos ad

vela-

velamenta eadem amplianda. *Tertio* hamulos, vel uncos ad inteſtina, membranas ea obtegentes dilacerando, denudanda. *Quarto* ſtylos excavatos ad peritonæum in umbilico & abdomine ſolvendum, & ἀπονευρωσιν muſculi deſcendentis obliqui externi cum ſyringotomo dividendam. Interea hamulos, uncos, ſtylos excavatos non in uſum duco, ſed unguibus membranas dilacero, & ſyringotomo incurvo tam peritonæum, quam ἀπονευρωσιν ſupra digitum incido. *Quinto* acus incurvas funiculo ex ſerico inſtructas tres, primam ad omentum refrigeratum ligandum, ſecundam & tertiam ad γαστροραφίαν celebrandam. Lintea inſuper & carpamenta ex his decerpta non deſint, quæ cum cæteris ante operationem probe diſpoſita, moram ullam in operatione injiciant, ac ægros languere faciant.

## X X X.

Impedimenta ſunt pili, in inguine & ſcroto ante operationem abradendi.

## X X X I.

Situs juxta partem affectam & locum eſt varius; duodeno extra umbilicum aut abdomen ſtrangulato, caput elevatur, & pedes deprimuntur, Ileo in inguine & Scroto incarcerato, pedes in altum attolluntur, & caput declive tenetur, vel in lecto, ubi incidendum, vel prope eum, ubi inteſtinum cum difficultate reponendum, ita, ut ægrotus caput ſupra integumenta & pulvinaria haud procul a lecto diſpoſita, deorſum, terram verſus, teneat, & crura, ſurſum, lectum verſus, vergat, Chirurgo abdomen ob inteſtina contenta in locum primo diſponenda commovente, & prolapſa mox ſecundum artem reponente. Situs poſt operationem idem, ſed in lecto per horas 24. ad minimum tenendus, ſacculis, inteſtinis manu reductis, repellentibus, aſtringentibus, conſolidantibus *ex fol. herniar. perfoliat. veronic. plantag. burſ. paſtor. flor. roſar. verbaſc. violar. Vino nigro* incoctis, & *ovi albumine*, in quo *alumen rupeum* diſſolutum, imbutis, admovendis, faſciis retinendis, quibus ſublatis, ut hernioſi perizomatibus veris ſunt ſublevandi.

## X X X I I.

Vincula, quibus ægro in lecto ſupra aſſerem integumentis impoſitis decumbenti, brachia & crura alligentur, maxime neceſſaria, ne in operatione ſe commoveat, quia motus operatorem interturbat.

## X X X I I I.

Annotatis hiſce ante operationem annotandis Chirurgus ad operationem ipſam ſe accingit, quam, inteſtina compreſſa ſolvendo, ſoluta reducendo, reduc-

reducta continendo, perficit. Solvuntur unita dividendo, & diviſa dilatando, reducuntur prolapſa impellendo, continentur disjuncta reuniendo.

## XXXIV.

Dividuntur integumenta tam communia, quam propria unita, linea prius ſupra compreſſionem ducta & tranſverſali, ſecundum quam miniſter integumenta duobus digitis utrinque adducta elevat, & recta, vel obliqua, juxta quas operator, ſcalpello vel ſyringotomo inciſionem ad longitudinem digitorum duorum tranſverſorum latitudinem, plus vel minus, diverſimode celebrat. In umbilico in latere dextro, vel ſiniſtro, ſecundum lineam rectam, in abdomine à latere lineæ albæ, nervoſæ, & ſecundum lineam perpendicularem, in inguine & ſcroto ſecundum lineam obliquam, & in ſpecie, in inguine abdomen non ſcrotum verſus, & in ſcroto inguina non ejus fundum metrum.

Dilatatur dein cutis cum muſculis ſubjectis forcipibus, idque ut plurimum in umbilico & abdomine rectis, in inguine vero & ſcroto incurvis ſecundum eaſdem lineas ad ſpatium longius, id quod compreſſionis magnitudine terminatur. Ampliatur peritonæum in umbilico & abdomine, viſcera nobiliora, ut hepar, & lienem cum linea candida, & doloroſa effugiendo, ſyringotomo communi ſupra cannulam argenteam craſſitie pennæ anſerinæ, una ſui parte rotundam & gibbam, altera vero cavam; prævalet tamen dilatare ſupra digitum ſyringotomo incurvo lente in extremitate inſtructo, & dorſo latiore ac obtuſiore donato, interiora & inteſtina verſus vertendo, qua via etiam in inguine & ſcroto incedendum, ubi proceſſu peritonæi vaginali neceſſario non inſtrumentis, ſed unguibus dilacerando, ne aquæ cum inteſtinis in capacitatem retrudantur, quæ ibi ſæpius reperiuntur, & vagina nondum aperta, inteſtinove denudato, haud dignoſcuntur, *ἀπονεύρωσις* amplificanda tantum, quantum libero inteſtinorum regreſſui debetur. Digitus manus dextræ vel ſiniſtræ index inter inteſtina & peritonæum, vel inter inteſtina, peritonæi proceſſum longum & *ἀπονεύρωσιν* obliqui externi fortem ac validam immittatur, quæ ab inteſtino in altum elevata manu vel dextra vel ſiniſtra incidatur, & ſic inteſtinum compreſſum ſolvatur. Inteſtina extra capacitatem ab inflicto vulnere incarcerata & flatibus diſtenta, acubus nec aperte, nec occulte ob continui ſolutionem, dolorem, inflammationem & mortem perforanda, nec fotibus carminantibus propter ambientis injurias inſiſtendum, ſed ſine mora dilatandum.

## XXXV.

Impelluntur inteſtina prolapſa tam ad fæces alvinas incuneatas ſeparandas, & flatus impactos dividendos parum protracta, quam ob livorem præſentem *ſpiritu vini* abluta, manibus, advertendo, ne intra *ἀπονεύρωσιν* muſ-

muſculi obliqui externi & annulum obliqui interni, vel intra hunc & foramen muſculi tranſverſi remaneant, ſicque denuo compreſſa mortem ægris inferant.

XXXVI.

Reuniuntur disjuncta, quæ partes continentes communes, & propriæ γαςροραφία, à ſuturis cæteris aliena, quia in parte vulneris ſuperiore incipit, diviſa pauxillum ſtringit, cum acubus duabus fit, & in cannulæ argenteæ locum digitus ſubit, quam Chirurgus varie inſtituit. Vulneris labiis *vino rubro vel alio liquore* tepide pro re nata elutis & deterſis, in umbilico & ventre digitum in parte ſuperiore immittit ſupra quem inteſtinis depreſſis, acum filo cereo inſtructam intrinſecus dirigit, quam integumentis communibus & propriis ſimul, & æqualiter perforatis in loco atramento notato extrinſecus retrahit, & mox in latere oppoſito ſimili modo procedit, filum ad ligandum ſufficienter relictum abſcindit, & ſic idem ſpatio digiti tranſverſi ſemper interpoſito, ad vulneris uſque finem efficit, ubi ejus labiis ſtrictis foramen in parte inferiore ad turundam immittendam & materiam purulentam exinaniendam relinquit, tandemque apparatum, ut artis eſt, apponit, & curam abſolvit. In inguine & ſcroto methodum eandem obſervat, niſi quod canalem anguſtum reddere ſufficiat, ne inteſtina amplius tranſmittat, & vaſis ſpermaticis præparantibus egreſſum, ejaculantibus vero regreſſum liberum permittat. In partibus iiſdem poſterioribus alii ſuturam nullam adminiſtrant, ſed inteſtinis à compreſſione ſolutis reductis, vulnus ut ſimplex perſanant, at cicatricibus recidivas non evitant, quare oportet ſanati perizomatibus tanquam hernioſi incedant. Bubone venereo ſuperveniente βουβονοκήλη, illa à cicatrice fortiore relicta, ſine recidiva curata fuit, teſte *Guilhelmo de Baillou, Medico Pariſino in ſuis obſerv.* Sed rariora non ſunt artis, præprimis, quia γαςροραφίαν æque in inguine & ſcroto, ac in abdomine & umbilico cum ægrorum ſalute celebramus, qua malum ſine ἐπιςροφῆ eradicamus, non vero palliamus. Alii caſtrant, quos ὀρχοτόμους ad Indos relegamus. Alii teſticulos una cum inteſtinis & vaſis in abdomen, proceſſu peritonæi ligato, retrudunt, quam methodum non rejicimus, & tam in inteſtinorum compreſſionibus quam in herniis ſimplicibus admittimus.

XXXVII.

Verum de morbo ad accidentia, quorum alia in operatione ſeſe offerunt, alia paulo poſtea ſuccedunt. Prioris generis ſunt aquæ, σύμφυσις, omentum, inteſtinorum vulnera, gangræna: Poſterioris vero ſingultus cum & ſine febri, vomitus, diarrhœa chyloſa, dejectiones alvi fœtidæ, urinæ nigræ & lividæ, gangræna.

## XXXVIII.

Aquæ, quæ intra peritonæum premens & inteſtina compreſſa cum impetu ſubinde in operatoris faciem proſilientes reperiuntur, è vaſis glandularum meſenterii & omenti conglobatarum conglomeratarumve ſeroſis, tunicis fragilibus diſruptis, partim effunduntur, partim ex arteriis, & venis inteſtinorum, partium recenſitarum, & adjacentium aliarum membranis fortibus integris per διαπήδησιν, in inguine & ſcroto compreſſionis vehementia, & magnitudine ob inteſtinorum pondera & partium loca decliviora maxime colliguntur, quæ jam abſunt, jam adſunt, modo plures, in junioribus, temperamento ſanguineis, habitu pinguibus, ευσάρκοις, ob partium humiditatem, & in mulieribus propter complicationem omenti longioris frequentiorem, modo pauciores, in ſenioribus, exſanguibus, corpore macilentis, ἀπιμέλοις propter partium exſiccationem, & in viris ob compoſitionem epiploi brevioris rariorem, nunc limpidæ à ſolis venis lymphaticis profuſæ, nunc coloratæ à vaſis cæteris effluxæ, vel rubræ à ſanguinis commixtione, ſubflavæ, lividæ, nigræ, à partium affectarum, aliarumque vicinarum alteratione, corruptione, mortificatione, quæ tamen eſſentia cunctæ eædem, curam nullam requirunt.

## XXXIX.

Omentum cum inteſtinis compreſſum etiam leviter refrigeratum, alteratum, corruptum ad latitudinem digiti tranſverſi protrahatur, & ut ſequitur, tollatur. Chirurgus in parte ſuperiore ſana ne in conſenſum trahatur ab ægrota, funiculum ex ſerico acu incurva per omenti medium trajicit, cujus extremitatibus ad anteriora ductis nodo duplici ſtringit, & ad poſteriora reductis ſimiliter conſtringit, tandemque omentum totum nodulo duplo ligat, id quod etiam in parte inferiore, ad majorem ſecuritatem propter relaxationem & hæmorrhagiam hinc conſequentem lethalem præſtat, epiploon infra ligaturam ſecundam, non vero intra utramque abſcindit, & filum donec ſponte ſua decidat, relinquit.

## XL.

Σύμφυσις inteſtinorum conſtrictorum fit vel cum peritonæo, vel cum teſticulis, aut illorum membranis, quæ folio myrtino, ſive inſtrumento ad id fabricato alio ſolvitur, ut in adoleſcente, cujus memini *Theſ. XXVII.*

## XLI.

Vulnera inteſtinorum incarceratorum ſunt rara à cauſa externa tam fortuita, ſeu ictu gladii, quam neceſſaria ſeu inciſione ſiniſtra; quæ recta, obli-

qua,

qua, tranſverſa ſutura pellionum reunienda, non ſola media curanda, & neſcio cui naturæ balſamo committenda.

X L I I.

Gangræna inteſtinorum ſtrangulatorum, alia eſt levis, ſeu tunicæ externæ & communis, à peritonæo communicatæ, alia gravis ſeu tunicarum omnium tam propriarum, quam communium, quæ ſphacelus. Prior inteſtinis *ſpiritu vini* ablutis, & in abdomen retruſis ſanabilis, id quod notavi primum cum *Domino Juillet in Suſanna Bryere* ex cœtu *Pariſienſium Roule* ad finem *Octobris anno M DC LXIX.* Poſterior eſt immedicabilis, ut videre licet ex hiſtoria allegata, *Thes. XXIII.*

X L I I I.

Inteſtina manibus repoſita nonnunquam in operatione recidunt, quando ægri inquieti ſunt, quæ rurſus impellenda, & digitis immiſſis, donec γαστρορραφία celebrata, vel turunda indita fuerit, retinenda. Inteſtinum recidens tale varie coloratum cernitur, ſecundum enim partem ſupra compreſſionem eſt rubrum ob inflammationem, juxta partem infra compreſſionem ſubalbidum propter ſpirituum diminutionem, & in parte compreſſa lividum à caloris nativi diminutione, & veluti extinctione.

X L I V.

Singultus cum poſt operationem continuat, ſive eidem ſuccedat; inteſtinorum ab incarceratione liberatorum inflammationem præſupponit, inde fit; quod tanto pejor, quanto intenſior, cum febri, quam ſine febri. Inteſtina non ſola incenduntur, ſed & ventriculus ipſe ad uſque orificium ſupremum ſeu ſtomachum inflammatur, quod præter extinctorum cadavera, nos docent animalia; Canibus enim parte inteſtini recti ſuperiore ligata, inciſione in regione hypogaſtrica prius facta, ilii valvula ob excrementorum regurgitationem dilaceratur, inteſtina inflammantur, & ventriculus ad orificium uſque ſiniſtrum incenditur; verbo, partes ſupra compreſſionem rubeſcunt, infra albeſcunt, & in compreſſione ipſa liveſcunt.

X L V.

Vomitus cum ſingultu cauſam eandem agnoſcit, modo inteſtina intra muſculorum annulos nec relicta, nec è latere oppoſito conſtricta fuerint, id quod ex ſignis diagnoſticis ſuperius allatis innoteſcit.

## XLVI.

Diarrhæa chyloſa ab inflammatione etiam inteſtinorum tenuium oritur, propter quam orificiis vaſorum lacteorum, ductibus obliquis in inteſtina ſeſe inſerentium, & Chyli partem tenuiorem recipientium, offuſcatis, Chylus non exugitur; nec ad loca deſtinata diſtribuitur, unde eo in inteſtinis collecto alvus intumeſcit, & fluere incipit. Cui cum vomitu & ſingultu eadem quæ εἰλεώσει debentur præſidia.

## XLVII.

Dejectiones alvi fætidæ corruptionem, ac gangrænoſin lethalem indicant, & excrementa quam diu non figurata inflammationem demonſtrant.

## XLVIII.

Urinæ nigræ & lividæ, alterationem funeſtam præſupponunt.

## XLIX.

Gangræna tandem integumentorum tam communium quam propriorum, ab humorum ad ea affluentium copia oboritur, qua ſpiritu vitali & calore à corde influente denegato, inſitus extinguitur & pars corrumpitur; ubi à ſpiritibus acribus & cauſticis, doloroſis & funeſtis. *v. g. Sulphur. vitriol. Sal commun.* ubique & præprimis in inguine, & ſcroto, metu eroſionis vaſorum ſpermaticorum, nec non ab aquis phagadænicis, quarum veneno per arterias cordi communicato πτυαλισμὸς procuratur, abſtineatur, & remediis pro gangrænoſi vulgatis hic reticendis, inſiſtatur.

Hæc gangræna ἐντεροπεριστολὴ in ſcroto ſæpius ſuccedit, ubi teſticuli præ tumore nimio ſcrotum in parte ſana extendunt, extenſum diſrumpunt, natura ſcrotum novum in corrupti locum labiis relictis cooperiendum reſtituente. Labia autem illa ſutura cum diviſione & ſanguinolenta, non ſine ſolutione continui & ſicca, quæ fit cum ligulis aut fibulis, iiſque vel maſculis vel femellis cæteris præferendis, reunienda.

## L.

Symptomata enarrata cuncta plura vel pauciora adſunt, raro abſunt, ut in *Stephana Parcelas Pariſienſi*, è via citharæ ad inſigne Bovis, vetula 72. annos nata, ἐντεροπεριστολὴ inguinali ſiniſtra afflicta, cujus operatio à *Domino Bienaiſio* cum ſalute ſine ullo accidente ſubſequente ſuſcepta, & ægra ſanata fuit, *die 5. Septembris anno M DC LXXII.* Sed hæc ſufficiant.

PARA-

# PARADOXA

# CHIRURGICO-MEDICA,

Ad

Chartas adimplendas appoſita, uſu & experientia annotata; rationibus alibi illuſtranda, confirmanda.

I. Παράλυσιν *ab inciſione nervoſarum muſculorum partium ſano.*

II. Μονοπληγίας *à lue venerea* πτυαλισμῷ *incaſſum procurato extremum remedium trepanum propono.*

III. Μυδρίασιν *ab uveæ continuæ ſolutione empiricis ſanandam relinquo, eam enim cum Dogmaticis immedicabilem aſſero.*

IV. Κραπεδόνα *non ut inflammationem ſimplicem curo, ſed ferro mox incido.*

V. Ἐμπυηματικῶν *thoracem in medio, cauterio potentiali prius applicato, ſyringotomo non phlebotomo aperio, muſculorumve intercoſtalium rectitudinem fibrarum non obſervo.*

VI. Ἀποστήματα *meſenterii maxima extra ventrem imum pendula, nulliſque aliis remediis cedentia, ſectione ſeu punctione curo.*

VII. Παρακέντησιν *tamen hydropicorum non ſolum non in abdominis linea candida, ſed nunquam adminiſtro.*

VIII. Νεφροτομίαν *renis alterius cum ægri ſalute celebro.*

IX. Βρογχοκήλην *mediocrem, atque minorem mobilem & ſuperficiariam, cum tumoribus ejuſdem indolis muſculis ſterno-maſtoideis inſidentibus, ferro atque igne tangendam jubeo.*

X. Περοκήλη *manualem operam omnem denego.*

XI. Ἀνευρυσμάτων *extremitatum curam non in membrorum extirpationibus, ſeu arteriarum conſtrictionibus & ligaturis, ſed cauſticorum potentialium applicationibus, arteriarumve inuſtionibus conſiſtentem, anatomico duntaxat conſummato, non barbitonſori levi credendam cenſeo.*

XII. Ἐξόστωσιν *circumſcriptam benignam, vel malignam, trepanum præmittendo, cauterio actuali tollo.*

XIII. Παιδαρθροκακίαν *à ſpina ventoſa rariſſima, curatuque difficillima, differre pono.*

XIV. Τραύματα *duplicata ac triplicata omnium periculoſiſſima, ſtylorum exploratoriorum uſum inevitabilem demonſtrare approbo.*

XV. Τραύμασι *articulorum unguenta, pinguia & oleoſa non applico, turundarumve uſum improbo.*

XVI. Αἰγίλωπα *cum teredine inveterata & præſertim à variolis vel morbillis*

*relicta aliis ſanandam relinquo, & in recenti oſſiculum unguis ſine noxa in narium cavitatem intrudo.*

XVII. Ἕλκεα *muſculorum tibiam extendentium flectentiumve ſinuoſa, curatu omnium moleſtiſſima confirmo.*

XVIII. Ἑλκέων *ſerpentium ac depaſcentium curam in deligaturam frequentem rejicio.*

XIX. Τερηδόνα *oſſium coronalium prope ſupercilia, & maxillæ ſuperioris ad dentes molares, chirurgorum opprobrium declaro.*

XX. Σύριγγα *ſeu ani fiſtulam incipientem confirmata difficilius ſecari non ambigo.*

XXI. Καταγμάτων *complicatorum aliorumve, deligationes in certum tempus non differo, & faſcias feneſtratas cum arborum corticibus periculoſas pronuntio.*

XXII. Ἐξάρθρωμα *femoris cum iſchio citra motus depravationem non repono.*

XXIII. Καθαιρετικῶν *ſeu medicamentorum exedentium uſum, circa articulos oſſiumve* ἀποφύσεις *non admitto.*

XXIV. Ἀκροτηριασμῷ*, ut & aneuriſmate celebrato, eſcaræ cauſtico inductæ, procidentiam pinguibus & oleoſis non promoveo, ſed naturæ & tempori relinquo.*

*F I N I S.*

DISSER-

LX.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE OSCHEOENTERO ET BUBONOCELE HELVETIÆ INCOLIS FREQUENTIBUS.

*Quam Palam Tuebatur*

JOH. HENR. FREYTAG,

*TIGURINUS.*

Argentorati die 6 Maii anno 1721.

§. I.

OMnium fere morborum familiariſſimus, præſertim in Helvetia, eſt *Hernia*, *Ramex* ſive *Ruptura*, vel etiam juxta *Caſtellum*, *Crepatura*, Græcis Κήλη dicta, quæ vox præcipue ſignificat tumorem tum ſcroti, tum inguinum, tum etiam regionis umbilicalis &c. provenientem partim à dilatatione, partim à dilaceratione peritonæi, per quam inteſtinis porta exeundi panditur. His enim à cauſis potiſſimum formatur ille tumor, qui medicorum in ſcholis *hernia* &c. Germanice vero *Ein Bruch* vocatur.

§. II.

Differunt autem herniæ tam ratione contenti, quam ratione loci, quippe quorum reſpectu alio ſemper nomine etiam veniunt. v. g. ſi in *regione umbilicali* deprehenditur hernia, *omphalocele*, ſi in inguinibus ſive *bubonibus bubonocele*, ſi autem in ſcroto, *oſcheo-enterocele* audit, quæ ſingulæ ut plurimum ex inteſtinis, aqua identidem & omento conjunctis conſtant. Ratione contenti vero conſiderata hernia varias quoque ſpecies ſub ſe complectur. e. g. *Sarcocelen*, *hydrocelen*, *cirſocelen*, *epiplocelen*, *enterocelen*, *pneumatocelen*: non autem animus eſt de omnibus herniæ generibus loqui, ſed ſaltim de *oſcheo enterocele* & *bubonocele*, quoniam frequentius ac aliis in locis apud Helvetiæ ruricolas occurrunt, pauca differere & pro ingenii modulo examinare conſtitui.

§. III.

Prius vero, quam de harum herniarum cauſis verba faciam, neceſſum erit dicere, quid proprie hæ herniæ, ſcrotalis ſcilicet & inguinalis ſint. Eſt autem iſta *oſcheocele intumeſcentia ſive repletio ſcroti ab inteſtinis potiſſimum per dilatationem annulorum & extenſionem ſive dilacerationem duplicaturæ peritonæi unius alteriusve ſeu quandoque utriuſque lateris prolabentibus facta*; hæc vero, nempe *bubonocele* ſeu *inguinalis* eſt, *quando inteſtina in ſcrotum nondum ſunt elapſa*, *ſed tantummodo in inguinibus hærent*; & hac de cauſa ab oſcheoenterocele etiam diſtinguitur, & vocatur *incompleta*, illa vero *completa*.

§. IV.

Cauſas itaque recenſitarum herniarum quod attinet, illarum inter præcipuas, lac & fortiores labores violentiamve exiſtere, aſſerere non dubito. Dum enim iſtud lac vel ejus ſerum, quod incolæ imprimis montium loco

vini vel etiam cereviſiæ nolentes volentes hauriunt, fibras totius corporis, ut fieri ſolet, relaxat, & illarum vigorem aliquo modo debilitat, inſuperque relaxationi labores fortiſſimi, quibus ruricolæ in agris colendis & conſcendendis montibus aſſueti ſunt, accedunt, expandi neceſſario atque diſrumpi peritonæum debet, ut ita inteſtina prolabantur, unde forſan hanc ipſam etiam ob cauſam rupturæ Helvetiorum colonis præ cæteris hominibus familiariores ſunt.

## §. V.

Hernias autem à ſolo lacte vel ſolis etiam laboribus provenire, nemo abſque fundamento negare poterit. Licet non negem, quod dentur hernia laborantes multi, qui raro vel nullum plane lac aſſumunt, præſertim ubi accedit diſpoſitio hæreditaria, vitaque ſedentaria gaudent; ſicuti experientia conſtat, ſæpe infantes in quibuſdam familiis, quibus affectus iſte eſt hæreditarius, herniis implicitos in lucem edi, quales etiam apud noſtrates permulti utriuſque ſexus ex integra occurrunt familia; qui per dies vitæ artificioſis bracheriis, niſi cultro ſeu operationi ſe ſubmittere malunt, uti coguntur. Interim alimenta relaxantia, inter quæ utique etiam lac recenſendum venit, corpus maximopere diſponere, ut deinde ab aliis cauſis violentis accedentibus ruptura talis produci queat, extra difficultatem mihi poſitum eſſe videtur.

## §. VI.

Herniæ à violentia tanquam altera ex præcipuis, uti diximus, illarum cauſa ſubortæ, omnium authorum ſuffragio à nimium clamando, exceſſive tubas aliave inſtrumenta inſufflando, fortius currendo, ſuſtollendo, pondera portando, ſaltando, tuſſi, vomitu, partu laborioſo & ſimilibus prodeunt, & ut plurimum per dilacerationem hunc in modum fiunt, ut repletio ſcroti inteſtinis ſæpiſſime ſubitanea modo cum modo abſque dolore ſubſequatur. Quando autem contingit, ut talis hernia ſenſim ſenſimque major evadat, nec non per aliquod tempus citra dolorem augeatur, colligi poteſt, probabilius adeſſe annulorum proceſſuumque peritonæi dilatationem, per quam inteſtina erumpunt. Qua de re etiam Excellentiſſ. *Dn. D. Zwingerus in Theatro Prax. Med. P. I. p.* 496. ita ſcribit: *apud fœminas tamen & pueros credimus plerumque hernias per laxationem, apud viros autem nunc per laxationem, nunc per veram rupturam contingere*: & harum priores ſi ab initio ſtatim commoda ligatura ac emplaſtris adſtrictoriis tractantur, curari citra operationem poſſe; e contra vero, ſi tumor exinde ſubortus nimium excreverit, non facile per iſta remedia, curationem abſque cultro chirurgico admittere, obſervationes docent.

§. VII.

Neceſſaria autem quam maxime ſcitu hic eſt vera hujus morbi cognitio & ab aliis ipſum ferme æquantibus diſtinctio; utpote ſine qua multa ægroto evenire mala poſſunt. Nam quando confunderetur bubonocele cum bubonibus, & operationem aliquis bubonum in bubonocele ſuſciperet, funeſtum curationis exitum, ob læſionem inteſtinorum, loco præſumptæ materiæ purulentæ in bubonibus contentæ experiretur. Dignoſcitur autem hernia imprimis bubonocele à bubonibus, cum ægroto ſigna venerea, gonorrhœaque vel benigna vel virulenta ſæpiſſime & plerumque bubones vel antecedentia vel comitantia non adſunt, & tumor hinc enatus leni digitorum preſſioni cedit, atque inteſtina in abdomen aliquali ſtrepitu recidunt; at, ſi adeſt ſtrangulatio inteſtinorum, quæ ſæpius inflammationem ſeu ruborem cutis, ſimilitudinemque tumoris bubonum præ ſe fert, difficulter hi morbi à ſe invicem diſcernuntur. Quapropter ad clariorem horum diſtinctionem authores haud raro hoc in caſu ſuadent, ut aſſumatur laxans quoddam, quo innoteſcat, num excrementa per alvum excerni queant, quia, cum adeſt hernia, præprimis incarcerata, vel raro vel nunquam id fieri poteſt; aut etiam, an æger inſigni dolore atque torminibus colicis torqueatur, juxta *Dionem in operationibus chirurg. demonſtrat. IV. p.* 344. ubi præter hæc addit: *herniam inguinalem comitari vomitum, & tanta quidem cum vehementia, ut excrementa fœtida relictis viis ordinariis per os ejiciantur: & vomitum, quamdiu incarceratio continuat, urgere:* porro, *ſubito provenire bubonocelen, bubones autem ſenſim atque ſenſim augeri.* Hernia ſcrotalis ſigna habet haud abſimilia, ſed facili negotio propter regionem a bubonibus diſtinguitur, dummodo ab hydrocele, pneumatocele, ſarcocele aliiſque herniarum ſpeciebus rite dignoſcatur. Princeps autem oſcheoceles ſignum eſt, quando inteſtina per preſſionem digitorum è ſcroto in abdomen redigi, teſticuluſque comprehendi poteſt, id quod in cæteris modo recenſitis ſpeciebus non contingit. Et ſi quando tales occurrant, in quibus inteſtina ſcroto accreta abdomini ita reſtitui nequeunt, teſticulus tamen adhuc ſentiri poterit. In aliis ſubjectis quantitas aquæ cum delapſu inteſtinorum juncta offenditur: in aliis item omentum ſeu epiploë (quæ hernia chirurgis enteroepiplocele tunc dicitur) inteſtina comitatur, id quod inde apparet, quando inteſtina in priſtinum quidem locum rediguntur, aliquid tamen omenti vel aquæ in ſcroto remanet.

§. VIII.

Hæ autem herniæ & bubonocele & oſcheoenterocele longum per tempus citra multum moleſtiæ ferri poſſunt, interim tamen non omni carent periculo, qui iiſdem affliguntur; de improviſo quippe à mala diæta ſive

rebus flatulentis vel fermenteſcentibus ad expandenda inteſtina promptis, vel etiam à nimio excrementorum in inteſtina ejuſmodi herniam formantia prolapſu, vehementer & ita quandoque expanduntur inteſtina, anguſti autem annulli tantopere conſtringunt eadem, ut excrementa per ordinarias vias excerni nequeant; & ſic in hernias incarceratas mutantur, quæ multis & inſignibus ſymptomatibus atque doloribus obnoxiæ; quoniam illas, præcipue quando inteſtina remediis beneficioque manuum ob eorum ſtrangulationem aut repletionem ab excrementis atque compreſſionem annulorum in ſuum redigi locum non poſſunt, brevi paſſio iliaca ſive miſerere mei, inflammatio & hanc tandem gangræna excipit, quæ omnia, imprimis ſi non à principio ſtatim operatione ſuccurritur, triſtem exitum, ſæpiſſime & plerumque mortem ægro cauſantur.

## §. IX.

Implicitus interim hernia ſive completa, ſive incompleta, ſi operationem abhorret, ad damna, lethum crebrius minantia, præcavenda, bracheriis, ſeu ſubligaculis uti cogitur, quorum multa nova & utilia citra multum oneris portanda à chirurgis ſunt inventa. Maximam vero inter cætera laudem meretur inventum chirurgi auguſtani *Dn. Reiſii* artificioſe elaboratum, quod delineavit *Widemannus in ſuo Trino perfecto p.* 114. *fig. III. n.* 1. Alias ligamina accurate ſculpta offert *Dionis in operat. chirurg. p.* 316. *fig. XXI.* Varia item *Heiſterus in chirurgia ſua p.* 619. *Tab. XVI.* exhibet. Sed cum ſingula ſingulorum authorum recenſere hujus loci non ſit, ideo peritorum judicio relinquo, quale ex illis ſibi eligere velint, modo pro circumſtantiarum reſpectu idoneum, & quidem tale fabrefaciant, quod magnitudini atque figuræ tumoris omni ex parte reſpondeat, quodque egreſſu inteſtinorum cum in bubones, tum in ſcrotum prohibito, æger ſine multis incommoditatibus portare hincque victum quærere, aliiſve negotiis fungi poſſit. Quod ſi æger trigeſimum ætatis annum nondum exceſſerit, ipſum mediantibus hiſce bracheriis remediiſque adſtringentibus ſanatum haud raro fuiſſe experientia teſtatur. Arcanum quoddam pro curandis citra ſectionem herniis tradit *Dionis l. c. pag.* 321. conſiſtens in *ſpiritu ſalis rectificato & emplaſtro quodam à Dn. Priore de Cabrieres* aliquot abhinc annis adinvento, & Galliarum Monarchæ communicato. At vero quid in ſenibus fere omnibus hæc remedia præſtent, perſpectum ſatis eſt; non enim abnuo, multum ea efficere poſſe in junioribus, & in herniis maxime a dilatatione peritonæi provenientibus, aſt non item in adultis, ſuffragante *Dione l. c. p.* 327. Exiguo quoque & nulli fere, niſi in herniarum initiis & infantibus, uſui ſunt apud Helvetiorum ruricolas, qui ſi liberatos ab hoc malo ſe cupiunt, ad ſectionem progredi adiguntur.

§. X.

§. X.

Quæcumque autem operatio pro ſublevandis ægrotis eligitur, ſine magna tamen difficultate inſtitui non poteſt, quoniam ea fit vel cum extirpatione teſticuli, vel ſine ea; ubi quandoque accidit, ut malum in uno eodemque ſtatu permaneat, vel magis adhuc exacerbetur, & æger, qui ante operationem oſcheocele laboravit, poſtea inguinali affligatur, potiſſimum ſi victus miſero neceſſarius laboribus vix non herculeis comparandus eſt. Profecto apud ruricolas nulla operatio, neque punctum ſic dictum aureum, neque ſcarificatio annullorum in hernia completa ſervato teſticulo adhiberi ſine recidiva poteſt; teſte *Schurigio in ſpermatolog. hiſtor. med. Cap. VIII. p.* 363. ubi introducit *Wolffgangum Chriſtiani*, qui idem etiam in colonis ſeu ruſticis Helveticis, magnis laboribus aſſuetis annotavit, & in Manibus Baglivianis, *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. append. p.* 111. ita ſcribit: *Vix ulla gens herniis magis obnoxia eſt quam Helvetiorum Coloni. cauſa facilis: vix enim datur gens, quæ tantos, nedum majores in colendis agris ſuſtineat labores. Abſque ſectione nullum memini me vidiſſe curatum colonum abſque recidiva; impares enim ſunt membranarum fibræ, ſemel ultra modum expanſæ, ſuſtinendis conatibus, quos miſeri hinc fodiendo, arando &c. ſubeunt, neque eſt proportio inter horum violentiam & artificium conſtrictionis à medicamento factæ. Ob eamdem forte rationem in Noſodochio Bernenſi uſitata eſt, & publica almæ facultatis authoritate introducta herniotomia, cum amputatione teſticuli, quia neque punctum ſic dictum aureum, neque Thevenini ſectio, aut alius quicumque ſervato teſticulo operandi modus viſum eſt ſine recidiva ſanaſſe. Monendi porro ſunt hac occaſione herniotomi, ut in ejuſmodi ruricolis præcipue proceſſum peritonæi ligent, quam proxime fieri poteſt abdomini, ni cum opprobrio ſuo in ægris paulo poſt illorum dimiſſionem loco oſcheoceles videre malint bubonocelen.*

§. XI.

Quod vero caſtrationem concernit, dicimus & conſentimus, omnibus fere illam niſi ſumma requirat neceſſitas, non debere admitti. Neque enim vel ex cauſa politica, turcis conſueta, ne cum uxoribus ſuis, quibus obſervandis deſtinati ſunt, commercium caſtrati habeant, neque ex cauſa italis uſitata ob ſuavem ſcil. ſonoramque in cantando vocem acquirendam àtque retinendam, neque etiam levem ob cauſam in medicina, homo tam nobili parte privari debet. Sic in oſcheo-& bubonocele, de quibus hic ſermo eſt, caſtratio præcipue in illis ſubjectis, quæ diæta & vita ſedentaria frui, commodiſque ſubligaculis per vitæ ſuæ ſpatium uti valent, non neceſſario requiritur. Præprimis vero ſuſcipienda non eſt, quando quis utroque in latere laborat, quia cum talis præterquam quod vitæ periculo ex-

ponatur ad prolis generationem ineptus plane fiat, illæſa conſcientia vix peragi poſſit, quam etiam ob rationem conſentioſorum chirurgorum, de quibus circumforaneos, Agyrtas, &c. excipimus, nemo eamdem in ſe facile ſuſcipiet.

## §. XII.

Sed miſeri ob hunc affectum helvetiorum ruricolæ conſiderandi nobis jam ulterius veniunt, qui herniis fidem fere humanam ſuperantibus interdum premuntur; haud raro enim inteſtina vix non omnia in ſcrotum prolabentia, adeo illud extendunt ut abſque ſtupore ejuſmodi hernia haud poſſit aſpici. Membrum ſæpe virile fere totaliter abſconditur, ita ut non niſi foramen, per quod urina mittitur, de eo appareat; quandoque ſi in ejuſmodi ſtatu miſero duris adhuc laboribus agitantur, facile τῷ miſerere vel ſtrangulationi inteſtinorum anſa ſubminiſtratur. Adde quod etiam eo quo fruuntur, victu excitentur tormina, arctæ inſuper bracheriorum ligaturæ illos arceant à laboribus, ſudor quoque à fortiori niſu & labore affluens ſubligaculum madefaciat, unde inſignes moleſtiæ ortum trahunt. Per madefactum enim ſubligaculum & fortiorem motum cutis inter laborandum inſigniter atteritur, & exinde producta vulnuſcula tam urenti & acuto dolore eos excruciant, ita ut ſemper operationi ſe ſubjicere, quam tantis doloribus obnoxii continuo vivere malint.

## §. XIII.

Aggrediamur itaque operationem ipſam & examinemus, quænam operandi methodus inſtitui poſſit in Helvetia. Veteres adinvenerunt quamdam cum teſticuli amputatione, quæ etiam ceu optima & maxime ſecura in Helvetiam introducta, & ſi neceſſitas & magnitudo herniæ id poſtulant, hodienum adhuc uſitata eſt, modo non in ſubjectis utroque latere hernioſis ſuſcipiatur, cum extirpato tantum altero teſticulo quiſquis fere cæteris paribus ad prolis generationem adhuc aptus ſit. Recentiores vero ad partem hanc tam nobilem conſervandam, aliam excogitarunt; aſt non in noſtris æque regionibus ſubjectiſque, ac in aliis, quæ vita quieta atque ſedentaria fruuntur, nec etiam in hernia completa deſideratum inde ſucceſſum chirurgos experiri, conſtat: hanc vero ſine caſtratione operationem vocarunt punctum aureum, à filo aureo, in operationibus adhibito; quo de tamen inter multos multæ turbæ ortæ ſunt. Alii namque contenderunt de filo cerato, alii de plumbeo &c. Sed quid de hoc operandi modo cenſendum ſit, experientia demonſtrat; ſcilicet quando ægrum pro ſolita in caſtratione poſitura, diſponunt, introductis in abdomen inteſtinis, inciſionem longitudinalem ad proceſſum peritonæi detegendum faciunt, eoque aliquatenus, ita tamen, ne teſticulus extrahatur, ſeparato, partem ejus

ejus ſuperiorem filo iſto vel aureo, vel plumbeo, quo deſcenſus inteſtinorum prohibeatur, conſtringunt: jam vero, ſi (utpote in quo rei cardo vertitur) proceſſus iſte aliquantum nimis conſtringitur, vaſa ſpermatica comprimuntur, teſticuluſque hac ratione inutilis æque ac in ejus extirpatione redditur. Si autem proceſſus non ſatis ligatur firmiter, inteſtina rurſus penetrant, malumque cum pluribus exinde oriundis doloribus recrudeſcit. Et ſi jam fila iſta vel aureum, vel plumbeum rite ſtringuntur, vulnus tamen continuo irritatur, præcipue apud noſtrates colonos, quibus quando non fortius peritonæi proceſſus ejuſmodi filo conſtringeretur, crebris, quos laborando edunt, motibus & inteſtinorum impetu perfacile iſtud depelleretur, unde tandem de novo herniis vel incompletis vel prorſus completis cruciarentur. Hæc etiam operatio nullius pretii eſt in infantibus; quando enim peritonæi proceſſus fortiter, prout in infantibus ob nimium clamorem &c. requiritur, ligatur, vaſa ſpermatica, creſcentibus annis augeri ſolita, ab incremento coërcentur, & ita tandem teſticulus pari modo inutilis redditur. Proinde conſultius ſtatim eſt, operationem veterum, magnitudine, & dolore, & circumſtantia tam herniæ, tam ſubjecti urgentibus, eligere, quam duabus vicibus cultro, periculo tantiſque doloribus exponere miſeros.

## §. XIV.

Secundo loco operæ pretium quoque erit alteram recentiorum operationem paucis percurrere, quæ nimirum per ſcarificationem annulorum præſertim in bubonocele, & meliori quoque cum ſucceſſu, quam per punctum iſtud aureum inſtituitur, dummodo extenſio vel tumor non magnus ſit, alias enim tanti, quanti prior, eſſet pretii: ſiquidem qua ratione demum tam arcta fieri poſſit per ſcarificationem conſtrictio, creditu adhuc difficile eſt, licet enim annuli, ut eo melior arctiorque attrahatur calloſitas, diſſecentur, perfecta tamen Hernia laborantium neminem præſertim in Helvetia curatum ſine recidiva fuiſſe obſervationibus patet. Aliter vero ſe res habet in τῷ Miſerere ac Hernia Inguinali, ubi jure meritoque commendari hæc operatio poteſt, eumque in modum à plurimis peragitur. Scilicet quando æger pari ac in caſtratione poſitura nempe ſupinus, quo caput pedibus ſit profundius, jacet, inciſio fit ſuper iſtum tumorem longitudinalis, ita tamen, ut nulla non cura ne inteſtina lædantur adhibeatur, ad detegendum Peritonæi proceſſum. Immiſſis poſtea ex proceſſu in abdomen, ſi adhuc in eo continentur, inteſtinis, miniſter quidam præcavet manibus, ne inteſtina iterum egrediantur, fortiter premendo in regione annulorum. Operator enim immitit annulis itinerarium, per quod curvus aliquis culter intruſus illos dilatat, inciſo etiam, ſi opus eſt, Peritonæi proceſſu. Quando autem inteſtina ſtrangulata adhuc deprehenduntur, per apertos prius annulos in abdomen reſtituuntur, annuli autem ad firmiorem conſolidationem deinde ſcarificantur,

tur, & hac ratione τῦ Miſerere vel Herniæ Inguinalis operatio plerumque perficitur, eaque peracta commodis ligaturis deligatur vulnus, uſque optatum curationis finem attingit celotomus.

## §. XV.

Tertia denique operandi methodus, magnam imprimis in Herniis à dilatatione intimæ Peritonæi lamellæ provenientibus laudem meretur. Operatio vero hæc eſt: nempe ſupra tumorem inteſtinis refertum fit inciſio, tum famulo quodam, ne inteſtina in abdomen recedant, præcavente, Chirurgus exteriorem Peritonæi proceſſum ad detegendum intimæ ejuſmodi lamellæ, quam digitis ſprehendit, ſacculum, præcidit, factaque cultro annulorum dilatatione, inteſtina in abdomen retrudit, poſtea prope annulos prudenti circumſpectione ſacculum ſolummodo acu filo ſtipata perforat, illumque fortiſſime filo, quod aliquot pollices è vulnere propendere debet, conſtringit, ut intra quatuor circiter dierum ſpatium fieri ſeparatio poſſit. Tandem properat Chirurgus ad ligaturas & diligenti opera recentes ſingulis diebus, uſque dum æger liberatus à malo eſt, applicat. Pari modo etiam in ſexu ſequiori, ut & in Miſerere Parentem meum procedere repetitis vicibus vidi. *conf. Excellentiſſ. DN. D. von Muralt Schrifften von der Wund-Arzney pag. 692.* de femina quadam Miſerere implicita: & operationes Chirurgicas *dilectiſſimi Parentis mei Freytagii l. c. pag. 744. Annot. XV. & XVI.* Hanc vero operationem in aliis quoque Herniis adhiberi poſſe, ſequens indicabit obſervatio. *Die 11. Aprilis 1713. Honoratiſſimus parens meus ad operationem ſuſcipiebat Ulrich Werlin, einem Zimmermann von Wohlhauſen, utroque latere herniosum, qui in juventute ſua ab herniotomo quodam in altero latere cum extirpatione teſticuli tam infauſto ſectus fuit ſidere, ut óſcheocele progrediente ætate in bubonocelen mutata, conſilium alibi auxiliumque ob perceptum inde dolorem petiturus, parentem meum adiret, rogitans, ut ipſum denuo operationi, & quidem utriuſque lateris ſubjiceret, quoniam vero parens meus hunc caſtrare hominem religioni ſibi ducebat, iſteque bracheriis acquieſcere nolebat, tandem cum Deo & quidem tam exoptato cum ſucceſſu fuit aggreſſus, ut ſervato altero teſticulo integræ ſanitati reſtitutus æger ſine ullo poſtmodum incommodo expedire expedienda vel in conjugio potuerit.*

## §. XVI.

Ultimo loco caſtrationis ponderanda nobis adhuc occurrit operatio; quia vero, quantum ſatis, expoſita in omnibus fere authoribus chirurgicis proditur, eapropter multam ejus mentionem facere ſuperfluum fore duximus. Tantummodo ergo paucula ſaltem huc vergentia addemus; periculoſa autem atque difficilis ſæpe eſt operatio, imprimis quando ſimul cum inteſtinis omentum elapſum, vel iſta in proceſſu accreta ſe præbent, unde perfacile inte-

inteſtina cum proceſſu peritonæi filo iſto una conſtringi ac operationi lethalem exitum cauſari poſſunt. Proinde caute hoc in caſu chirurgus circumſpiciat, ne cultro inteſtinum quoddam lædatur, & tutius eſt, digitis, ſi modo, inteſtinorum ne lacerentur, ratio habeatur, ad ſeparationem quam cultro uti, cujuſcemodi etiam operationibus plurimos parentem meum ſubjicientem vidi. Quippe ut unico ſaltem vel binis exemplis rem illuſtrem: *Anno* 1710. *d.* 9. *Auguſti, juvenem quemdam von Franckenberg, hernia aquoſa cum inteſtinali conjuncta laborantem ſectioni ſubjecit Parens Meus, in qua poſt ſeparatum peritonæi proceſſum inteſtinum aliquod accretum deprehendit, quo caute etiam ſeparato, proceſſuque fortiter filo ligato, ægrum intra tres hebdomadas ſanum ſoſpitemque dimiſit.* Nuper etiam ejuſmodi caſus per literas paternas factus ſum certior; ita autem loquitur, dilectiſſimus *Pater Meus: nuperrime à ſplendidiſſimo Collegio mihi puer quidam magna imo ſtupenda hernia implicitus in noſodochium ad operationem tradebatur, quam etiam ſubſequentibus aliquot diebus, & quidem, quod extrema neceſſitas ob ejus magnitudinem exigebat, cum teſticuli amputatione peregi; aſt cum ſeparaturus proceſſum in eo aliquid omenti vel inteſtinorum tactui reſiſtens deprehenderem, proceſſus feci aperturam, in quo inteſtinum ileum illi accretum latere vidi, illudque omni cura & accuratiſſime ſeparavi. Quod inde conjicere licuit, quia poſt ſeparationem digitum meum in abdomen cum inteſtino intrudere potui. Proceſſu hinc ligatura munito haud multo poſt tempore feliciſſime reſtitutus eſt*; hujuſmodi jam obſervationes quam plurimas recenſere adhuc poſſem, niſi vela contrahenda eſſent.

## §. XVII.

Difficilem quoque reddit operationem omentum cum inteſtinis in ſcrotum uſque exporrectum; quoniam in operatione abſque amputatione teſticuli, proceſſu peritonæi aperto, aëri exponitur & ab eodem alteratur. Sed his, ne alteratum in abdomen intrudatur, incommodis ita in operatione prævenitur. Pars omenti, quæ ſe apertam in intima peritonæi lamella præbet, adhuc ex abdomine extrahitur, dein filo quodam, quod e vulnere adhuc propendeat, ligatur, infra ligaturam amputatur omentum forfice, & ſic repetitis ſingulis diebus, ligaturis, expectat chirurgus ſeparationem, quam ſequitur curatio. Quandoque omentum in inſigni longitudine propendet, *ita decem circiter pollices longam omenti partem in viro quodam von Dänicken*, 40. *annos nato, Tiguri anno* 1714. *abſciſſam à parente meo perſpexi, qui tamen ſine ullo ſubſequenti ſanitatis detrimento curatus fuit.*

## §. XVIII.

Reſtat ut ſub finem adhuc ſequioris ſexus hernias, quarum ob victum & diſpoſitionem hæreditariam tot apud Helvetios, quot alibi in maribus occurrunt, brevibus contemplemur. Aliam enim prorſus operationem requirere

quam illas marium poſitum extra litem eſt. Fit autem iſta in iis, quæ incommoditatibus bracheriorum torqueri nolunt, hunc in modum: ut poſt factam inciſionem longitudinalem detectus peritonæi proceſſus, inteſtinis in abdomen retruſis, filo vel cerato, vel bombycino perfigatur, fortiſſimeque poſtmodo ligatus forfice abſcindatur, & ſic ligaturis ſingulis diebus uſque ad plenariam ejus curationem vulnus muniatur. Cæterum plures omnibus recenſitis operationibus addendas cautelas &c. imo obſervationes jam tacemus, quum diſſertationis meæ filum ob cauſas prægnantes abrumpere cogar non niſi hoc efflagitans, ut L. B. hæc pro ingenii mei tenuitate de Helvetiorum potiſſimum herniis in medium tumultuoſe prolata ſerena fronte accipiat.

T A N T U M.

DIS.

LXI.

# DISSERTATIO
## MEDICO-CHIRURGICA,
*DE*
## HERNIA INCARCERATA,
NOVA ENCHEIRESI EXTRICATA.

*Quam Præſide*

ELIA CAMERARIO,

*Tuebatur*

B. D. MAUCHART.

Tubingæ die 7 Januar. ann. 1722.

# PRÆLOQUIUM.

*EX vaſtiſſimo illo Medicinæ & Chirurgiæ, qui noſtro maxime tempore patet, campo, nemo facile erit, qui plus de inveniendo, quam de ſeligendo anxius ſit themate. Deſtinaveram jamdiu hodierno diei caſum quemdam medicum rariorem de ſtruma œſophagi; Jam fere per quadriennium accuratius inquiſivi in omnia corporis humani ligamenta, eaque tantum non omnia publicæ editioni matura in præſentem ſervare occaſionem conſtitui. Obſervationes pariter quaſdam & operationes ophthalmicas rariores in medium proferre eo magis in animum mihi primum induxeram, quo diligentiorem & peculiarem in curandis tot oculi morborum ſpeciebus, pluſquam ducentis, apud Celeberr. Woolhuſium Pariſiis per biennium navavi operam.*

*Sed jam magnis excidiſſe videbor auſis, è nobili novoque themate in vilem tritamque delapſus de herniis materiem. Ita ſane eſt. Plurimi, ex eiſque celeberrimi quidam, idem thema ante me excuſſerunt. Neque inficias eo, herniarum operationem apud nos vileſcere, noſtroſque, ut ſolent, caſtratores exteris ſordere. Sed ideone quod adjicere potes novi ſupprimendum? Aut male ſuſcepta operatio iſtis ſemper relinquenda eſt hominibus? Abſit! Satis plus ſemel de corio humano luſerunt. Ante quindecim dies novo hujus rei me confirmavit argumento civis Marbacenſis, cui herniotomus olim ob herniam inteſtinalem, quam ſupponebat, in prima vero inciſione aquoſam attonitus ſtupebat, teſticulum nihilominus exſecuit, licet ſaniſſimum. Eadem hernia ſed incipiens ſaltem, alterum quoque latus jam tum occupaverat, cui ipſe herniotomus in inſtanti, quaſi re bene geſta, eamdem proponere caſtrationem non erubuerat. Aurem tamen non præbuit æger, ſed veteris tormenti diſcriminiſque haud immemor ſuam herniam per octodecim annos, non ſine maximo incommodo, & dolore quandoque, maluit circumgeſtare, donec nuper methodica punctione, magno priſtini doloris compendio, Ipſi ſatisfecerim ego, atque amurcam, colore & conſiſtentia vini fæces ſpiſſiores referentem, quantitate dimidiam menſuram noſtratem implente eduxerim. Optima, quæ exſtat, herniæ inteſtinalis delineatio Palfini, celebris Chirurgi Gandavenſis, eſt in ſuo operationum chirurgicarum libro. Sed ingenue mihi nuper faſſus eſt Lutetiæ Pariſiorum (ubi per aliquot hebdomadas verſionem gallicam anatomes ſuæ chirurgicæ, quam prelo maturat, curavit) figuras ex cadavere hernioſo delineatas, huicque diſſertationi jam inſertas ſuis præſtare. Omnem certe adhibui diligentiam, ut quem oculis celeberrimi Pariſienſium pictoris expoſui, in ipſo cadavere hernioſo herniæ typum imitaretur quamexactiſſime. Quinque jam antea vel hernia, vel cum hernia demortuos ſcalpello examinaveram anatomico, ultimum data iterum occaſione, quæ non infrequens eſſe ſolet in ampliſſimis illis à Charitate atque DEO dictis noſocomiis, penicillo etiam ſubjiciendum duxi: Idque eo magis, quo celeberrimorum chirurgiæ antiſtitum diſſenſus, circa geneſin & formale herniarum, veritatis indagandæ me reddidit cupidiorem. Itaque (1)*

*ana-*

*anatomice deſcribam partes, quæ ad herniam, inguinalem maxime & ſcrotalem, eamque vel omentalem vel inteſtinalem faciunt;* (2) *Ejuſque pathologiam & ſemiologiam percurram.* (3) *Therapeutice atque imprimis chirurgice pertractabo caſum, quo* hernia *dicitur* incarcerata.

*Faxit D. T. O. M. ut ad ſui honorem proximique commodum meæ colliment pagellæ.*

## CAPUT PRIMUM.

### *Anatomica earum partium, quæ ad herniæ inteſtinalis vel omentalis formationem & incarcerationem concurrunt, deſcriptio.*

Rectum eſt norma obliqui: Ideoque priuſquam de hernia diſſeram, conſultum duxi, de ſtatu naturali earum partium, quæ herniam omentalem vel inteſtinalem, vel utramque ſimul in inguine, vel ſcroto, vel efficiunt, vel conſtituunt pauca prælibare.

A *muſculis abdominis* ordiar, quorum ordinario quinque ſunt ex utroque latere. Pyramidalis nimirum, Rectus, Obliqui duo, Externus & Internus, denique Tranſverſus. Pyramidales ad rem noſtram nil faciunt. In hernia umbilicali autem muſculorum rectorum habenda eſt ratio.

Obliquos voco Externum & Internum, quos alias Deſcendentem appellant & Adſcendentem. Videtur mihi prior denominatio planiorem de iis ſuppeditare ideam. Structura atque ſitus horum muſculorum, dum fibræ muſculoſæ Obliqui Externi oblique deſcendendo, Obliqui vero Interni ſub illis oblique adſcendendo, atque Tranſverſi tranſverſim priores interſecando ſeinvicem decuſſant, hunc fere in modum ✳. Magni ſunt momenti, cum ad robur compreſſionis, quam ſubjectis viſceribus præſtare coguntur, tum ad firmiorem obicem herniis, quas vocant ventralibus, opponendum, ut hinc nonniſi vis externa ictus, lapſus &c. eas producere ſoleat.

*Tribus perforantur locis*, qui tranſitum concedunt partibus, tam ad ſpeciei, quam individui conſervationem ſpectantibus.

*In medio* & inter utrumque muſculum rectum vaſa tranſeunt umbilicalia fœtus. Quod vero foramen, ceſſante vaſorum umbilicalium uſu, occluditur. Quo tamen modo faveat herniæ umbilicali, mox, ubi de peritonæo, dicam.

*Alterum foramen*, quo muſculi abdominis patent, ovalis fere figuræ eſt, & ſub aponeuroſi muſculi obliqui externi in ſinu oſſis ilii occurrit: Vaſa cruralia per illud trajiciunt, atque tendines muſculi pſoæ & iliaci. Obtegitur intus peritonæo, extus aponeuroſi faſciæ latæ & integumentis communibus. Operæ pretium erit, plenius explicare ſtructuram hujus foraminis, ut herniæ cruralis, in libris chirurgorum pauciſſimis vix nominatæ, clariorem ſup-

ſuppeditemus ideam, & in caſu herniæ hujus incarceratæ, quid agendum, ipſa mox partium anatomica ſaltem demonſtratione indicemus.

Muſculi obliqui externi aponeuroſis in inguine introrſum, reflectitur, atque cum aponeuroſi obliqui interni firmiter cohæret. Validis conſtat fibris tendineis illa aponeuroſis obliqui externi & directione plurimarum fibrarum parallela ex ſpina oſſis ilii anteriori & ſuperiori orta, oblique tranſverſim deſcendens inſeritur oſſi pubis, & inſtar arcus tenditur, ut vaſa cruralia, ceu ſub ponte, lateant immunia à compreſſione, quam ſubirent in variis corporis atque cruris motibus: Cum aponeuroſi faſciæ latæ cohæret, atque ſic magis tenditur, cujus fibræ potiſſimum ſunt perpendiculares vel obliquæ.

In memoriam nuper anatomicis revocavit D. Poupart hanc aponeuroſin & pro peculiari ligamento venditavit, quod tamen præcipui plurium nationum anatomici publice jam impugnarunt. Litem iſtam ego non dirimam. Aponeuroſis illius obliqui externi pars, *ligamentum Pouparti* dictum (à Veſalio jamdudum, ſed non ſub ligamenti nomine, exacte deſcriptum) [a] certe & ſtructuram habet & uſum ligamenti. Arcus (*L'arcade*) aponeuroſis obliqui externi vocatur à Gallis. Quo jure, cum figuram fornicatam ſ. convexam non habeat, Ipſi videant. Uſum ei adſcribo: (1.) Oſſa innominata inter ſe conjuncta ſervare: Quod in junioribus maxime neceſſarium videtur, cum eorum oſſa innominata in tria fruſta in ipſo acetabulo lineis adhuc cartilagineis diviſa conſpiciantur. (2) Arteriæ & venæ crurali, nec non ramo anteriori nervi cruralis, tendinibus muſculi pſoæ & iliaci liberum præſtare commeatum, ne in flexione cruris vel corporis, vel ventre obeſiore aut gravido *comprimantur: Id quod accidiſſet* ſi tota illa aponeuroſis æquali inſertione adhæſiſſet dictis vaſis, in toto illo interſtitio à ſpina illa ilii uſque ad os pubis. (3) Præcavet inteſtini, omenti &c. prolapſum, dum fibras ſuas validas, ſuperius uſque ad ſic dictum annulum continuatas, ceu obicem opponit.

*Tertium foramen*, quo muſculi abdominis hiant, quodque viam ſternit prolapſuris partibus contentis, ſic dicti ſunt *annuli*: Qui an ſint, & quid ſint, tribus diſpiciam. *Annuli* non ſunt, ſed *annulus*, in utroque ſcilicet inguine unus. Olim ſibi finxerunt tres, in tranſverſo nimirum, obliquo adſcendente & deſcendente unum. Arteria & vena ſpermatica non per annulum, nec per fibrarum muſcularium tranſverſi muſculi divaricationem, ſed ſub toto ejus corpore verſus os ilii ad latus externum emergunt, tumque aliquot pollices inferius, rurſuſque ad anteriora inter utramque peritonæi lamellam verſus pubem reflexæ trajiciunt muſculum obl. adſc. interque ejus fibras muſculares divulſas ſaltem, nec in annuli formam effictas, obliquo itinere pergunt, atque tandem erumpunt per vere ſic dictum annulum muſculi obliqui ext. qui ob figuram annularem vel ovalem meliori hunc titulum meretur jure. Aponeuroticus eſt hicce annulus, quod fibras tendineas, in ora præcipue inferiori cum dicto ligamento Veſalii communes habet. Ea eſt magnitu-

[a] Andr. Veſal. C. H. Fabric. l. 11. c. 31. p. 334.

nitudine, ut in adultis digitum facile admittat. Proceſſus peritonæi hic abdomine exeunt, includentes vaſa ſpermatica in viris, & ligamenta uteri rotunda in feminis.

Mirabili hac mechanica cautum eſt, ne partes abdominis libere quaſi fluctuantes, & aliquando fortius impulſæ viam, qua vaſa ſpermatica, vel ligamenta uteri rotunda, ex abdomine egrediuntur, inveniant facile.

Si dicti proceſſus inſtar tubi cylindrici ex abdomine paterent in homine, uti in canibus, herniæ generationi quovis momento locum facerent, cum ejus greſſus, quem DEUS rectum & os ſublime dedit, deorſum continuo gravitantia inteſtina in locum hunc minoris reſiſtentiæ & foramen apertum ſemper invitaſſet. Quo periculo canes liberat incedendi modus horizontalis, qui per conſequens impetum & niſum inteſtinorum ad mediam potius & umbilicalem abdominis regionem determinat: Unde hernia quoque potius umbilicali laborant.

Muſculis tranſverſis abdominis, modo recenſitis, intus adhæret undiquaque *Peritonæum*, quod tunica eſt robuſta, quanquam non admodum craſſa, parte cavum abdominis reſpiciente lævis atque lubrica, totum abdomen interius inveſtiens: In ſacco quaſi includens ventriculum, omentum, pancreas, inteſtina, meſenterium, hepar & lienem, quæ hinc aliquibus in *duplicatura peritonæi* ſita eſſe dicuntur, ſeu intra parietem peritonæi ſuperiorem, qui muſculis abdominis adhæret & inferiorem, qui renibus, vertebris &c. incumbit. Renes autem, ureteres, vaſa majora, uterum & veſicam pariete ſuo inferiore tegit, illiſque ſaltem ſuperjacet: Quæ hinc aliis extra duplicaturam peritonæi collocata videntur: Quia tamen inter utramque lamellam peritonæi jacent, alii prætendunt ea poſita eſſe intra vel inter duplicaturam, vel duplicem lamellam peritonæi. Itaque luſus eſt in termino duplicaturæ. *Duabus* peritonæum conſtat *lamellis*, quæ arcte cohærent, ab umbilico tamen uſque ad inguen facilius ac alibi ſeparantur, quibus interjecta eſt ſubſtantia celluloſa ſ. ſpongioſa, flatu intumeſcens. Lamella hæc interior in Bubono-et-Oſcheocele dilatatur utplurimum, ſaccumque efficit hernialem, qui viſcus prolapſum immediate ambit atque continet. Hunc hernialem *ſaccum* voco *internum*, quod includitur alii, quem ideo *externum* appello, nihilque aliud eſt quam ſic dictus proceſſus peritonæi ſ. tunica vaginalis plus minus dilatata, & cui aliæ adhuc accreſcunt membranæ.

In medio, ubi ſitus eſt umbilicus, vaſis perfoditur umbilicalibus, quæ lamella exterior peritonæi comitatur (ad placentam) ſicque interior ſola minoris fit roboris & reſiſtentiæ: Hinc forte non fallunt obſerv. Dionis in ſua Chirurg. de rupta ſemper, in omphalocele; nunquam vero dilatata abs ſe inventa peritonæi illa lamina interna.

Inferius verſus inguen peritonæi lamina interna exacte obtegit locum, quo vaſa ſpermatica per annulum ex cavo abdominis evadunt, ibidemque craſſior fit. Lamina vero externa prolongatur & ſic dictos *proceſſus* ſ. *prolongationes peritonæi* efficit, atque vaſa ſpermatica ad teſticulum comitans ea inclu-

includit ceu vagina, unde tunicæ vaginalis nomen. Hæc tunica vaginalis arctius ambit partem ſuperiorem vaſorum ſpermaticorum, laxius, quo teſticulo propior. Ad epididymidem accedens in circulo adhæret, ita ut *ſeptum* conſtituat, quod teſticulum à reliquo vaſorum ſpermaticorum faſciculo ſeparat, flatumque, facto foramine infra epididymidem, non tranſmittit in partem ſuperiorem tunicæ vaginalis. Ligamenta uteri rotunda ſimilis fere proceſſus, ſed anguſtior, à Nuckio *diverticulum novum* dictus, includit, & ad clitoridem uſque proſequitur.

Ii, qui vel duplicem eſſe peritonæi lamellam dubitant, vel proceſſus peritonæi plane denegant homini, vel eos à membranis ſic dictorum annulorum oriri putant, per autopſiam anatomicam ſe convinci patiantur de falſitate harum hypotheſium. *Ductus cæci*, circa proceſſus peritonæi à quibuſdam obſervati, in pueris præſertim præternaturales ſunt conformationes & ad herniam diſpoſitiones.

Plura, quæ de peritonæo proferri poſſent anatomica ad rem noſtram parum faciunt. Tranſeant ergo. Circa partes genitales pariter nihil reliquum eſt, quod noſtro inſerviat ſcopo.

## CAPUT II.

### *De Pathologia herniarum agit.*

CIrca onomatologiam herniarum non diu morabor, ne vanus redeat toties labor actus in orbem. Herniæ nomen an derivetur ab *hærere*, vel ἀπὸ τοῦ ἔρνου, ramo, unde latinorum *ramex*; vel ab *hernius*, quod veteri Sabinorum lingua durus ſignificat, grammaticis relinquo. Pariter an ſynonymum herniæ græcum, κήλη l. κάλη, ἀπὸ τοῦ κηλέω, permulceo, vel, quod alii interpretantur, noceo, vel à χαλάω, laxo, proveniat, litem non facio meám. Germani vocant *einen Leibſchaden*, quaſi damnum corporis; *einen Bruch*, ſeu rupturam. Galli *une deſcente*, deſcenſum.

*Hernia* autem *eſt tumor, quem partes ſolidæ & molles, è cavitate & ſinu naturali prolapſæ efficiunt, in abdomine à dilatatione, & forſan quoque ruptura peritonæi proveniens.*

*Incarcerata* dicitur *hernia*, quando pars prolapſa quaſi in carcere detinetur, & ſine ſectione reponi nequit, variaque, funeſta utplurimum, cauſat ſymptomata, inferius enarranda.

*Species* herniæ *proprie ſic dictæ*, imprimis ſunt: *Enterocele*, ſeu hernia inteſtinalis. *Enteroomphalocele*, ſeu hernia umbilici inteſtinalis. *Epiplocele*, hernia omenti; *Epiplomphalocele*, hernia umbilici omentalis. Species mixtæ ſunt: *Entero-epiplocele*, & *Entero-epiplomphalocele*. Ad hernias, vere ſic dicendas, porro referendas puto *herniam duræ matris*, poſt inflictum cranio

vulnus, vel trepanum applicitum, omni niſu extra vallum ſuum oſſeum prorumpentis. *Oculi*, quam πρόπτωσιν dicunt, ex orbita *procidentiam*. *Uveæ* per vulnus corneæ l. ſcleroticæ prolapſum. *Sacci lacrimalis*, qui aliquando enormi tumore, ex oſſeo illo ſinu, oſſibus unguis, naſali & maxillari ſuperiori inſculpto protuberat. *Carunculæ lacrimalis*, ex angulo interno oculi, *glandulæque lacrimalis* procidentiam atque deſcenſum. *Membranæ* narium *pituitariæ*, quæ ſubjectis phlegmaticis aliquoties jam excidiſſe obſervata eſt, ut ignaris impoſuerit pro polypo. *Ventriculi*, *lienis*, *veſicæ*, *uteri* &c. prolapſuum quæ extant, quamvis rariora, genuina tamen herniæ erunt exempla. Quorſum ſine dubio quoque ſpectant ſic dicti prolapſus *uteri* & *inteſtini recti*, licet ſub claſſe & nomine herniarum nondum militent.

*Improprie* videntur ad hernias referri, *prolapſus palati*, ac *uvulæ*. *Bronchocele* ſeu hernia gutturis. *Cirſocele* ſeu hernia varicoſa. *Sarcocele*, ſeu carnoſa. *Hydrocele* ſeu aquoſa. *Pneumatocele* ſeu ventoſa. Nobis de hernia inteſtinali & omentali potior erit ſermo.

*Subjectum morbi*, ſeu loca, in quibus veræ hæ accidunt herniæ, *umbilicus* potiſſimum eſt, *Inguen*, *Scrotum*, & *hiatus ſub ligamento Veſalii* in crure, hic & ibi denique in toto abdomine ſeu ventre, facta fibrarum muſculoſarum violenta diviſione. Unde nomen *herniæ umbilicalis*, *Inguinalis* ſeu bubonoceles, (quæ etiam *imperfecta* vel *incompleta*,) atque *Scrotalis* ſeu oſcheoceles, & quæ ad labia pudendorum muliebrium decidit, quæ *perfectæ* ſeu *completæ* audiunt; *Cruralis* denique atque *ventralis*. *Subjectum cauſæ*, ſeu ea pars, quæ tumorem hernialem materialiter cauſat, ordinario *Inteſtina* ſunt, utpote quæ continuo vermiculari motu in cavo abdominis quaſi oberrant, ſicque digeſtionis negotium felicius promovent, ſed eo ipſo quoque membranam peritonæi, ſi paulo laxior exiſtat, ad prolapſum impellunt.

Ex inteſtinis *Ileum* omnium facillime prolabitur, quia non ſolum liberrime fluctuat in ventre, ſed etiam proximum eſt annulis. Poſſunt tamen, quin & ſolent, aliorum portiones inteſtinorum, vel ſolæ, vel cum aliis procidere. *Coli* pars, aliquando totus ejuſdem arcus, ſiniſtro inguine non raro excidit: In dextro latere fortius adhæret oſſi ilio. Unde eſt, quod hernia coli in dextro latere rarius eveniat, In ſiniſtro ter vidi ego ipſe. Cum nuperrime ad ſupplicium famoſi illius furis, Cartouche dicti, conferta plebis Pariſinæ agmina confluerent, ex eaque terminos nonnemo egrederetur, hernioſus à nativitate, ictibus averſa bombardæ parte abdomini inflictis enormem mox nactus eſt oſcheocelen, quam incarceratam operaturus celeberr. Dn. *Gerard*, primarius noſocomii, à charitate nominati, chirurgus, demonſtrator anat. & chir. in horto regio, Academiæque ſcient. Socius fautor & hoſpes olim meus per biennium honoratis. ex tribus inteſtinorum ulnis noſtratibus cum coli portione, quæ ſub reliquis latuerat, conſtantem deprehendit, prout faventiſſimæ ejus literæ me certiorem modo reddiderunt. Celeberr. Dn. *Thibaut*, chirurgus primarius magni illius noſocomii Pariſienſis, Hôtel-Dieu, mihi retulit, ſe herniam coli in ſiniſtro latere deprehendiſ-

ſe,

ſe, ubi cæcum ſimul cum ſua vermiformi appendice in ſcrotum ſe dederat præceps.

*Omentum* alias vix attingit umbilicum in ſubjectis bene valentibus, ſed aliquando longius emetitur ad ſcrotum iter, & vel ſolum, vel cum inteſtino prolabitur. Cujus rei iterata quoque me certiorem reddidit autopſia.

*Veſica* gravidarum limites eo facilius tranſgredi poterit, quo in ſexu ſequiori figuræ magis eſt cylindricæ, ſeu inſtar parvi dolii tranſverſim poſiti, quam conicæ. Plures veſicæ, ad labia uſque pudendorum prolapſæ hodierno die innotuerunt hiſtoriæ. Talis veſicæ hernia cum, & ſine ſacco herniali interno, cui veſica includatur accidere poteſt.

Ad *Cauſas* herniæ explicandas progreſſurus, illas, quæ, herniam efficiunt incarceratam, potiſſimum examinabo. Diſquiram tamen prius, an quæ in herniis, de quibus jam ſermo, communiter allegatur vel *dilatatio*, vel *ruptura* internæ peritonæi lamellæ, locum ſemper habeant? De ultima, ſeu de ruptura, non ideo ſaltem aſſenſum ſuſpendo, quod in quinque ſubjectis hernioſis, ſolicite abs me hanc in rem diſſectis, nonniſi dilatatam illam peritonæi lamellam, nunquam vero ruptam repererim: Sed quod ne quidem unico, certo ſufficientique teſtimonio hanc rupturam uſpiam ſuffultam deprehenderim. Sunt *aliqui* autores, qui eam ſibi videntur vidiſſe: *Plurimi* eam vel ex aliis, per traditionem exſcribunt, vel ſibi fingunt. *Omnes* fortaſſe falluntur & fallunt. Ita celeberr. ille Medico-Chirurgus Hildanus, cent. VI. obſ. 70. pag. 588. in dubium ſpecioſis vocat argumentis, quam alius medicus ſtatuebat rupturam peritonæi in hernia, quam ſubito ortam ille ſupponebat. Celeberrimis chirurgis Pariſienſibus, quos de hac ruptura conſului, certe nunquam obvenit, licet ampliſſima illis affluat occaſio in hernias inquirendi. *Duæ* etiam potiſſimum *rationes* hujus rupturæ videntur deſtruere hypotheſin: Tunicæ nimirum peritonæi robur, & cum partibus adjacentibus firma cohæſio. In curſibus, ſic dictis, operationum, quorum plurimos Lutetiæ Pariſiorum imprimis apud ſupra laudatum Dn. Gerard frequentavi, cum bubonoceles operatio inſtituenda eſſet, maxima ſemper opus fuit impulſione & violentia ad protrudendam peritonæi lamellam internam in regionem inguinalem, pro efficienda hernia artificiali; Neque fortius impulſi digiti hanc tunicam ſemper perforare aut dilacerare valuerunt. Quamcumque vero ſupponant cauſam & violentiam, quæ inteſtina ad hanc peritonæi lamellam cum impetu adigat, vix illam digitorum actionem ſuperabit, quin nec æquabit. Dein lamina interior peritonæi adhæret, & quaſi adglutinatur muſculis abdominis, unde etiam robur mutuatur, &, ſi quo percellitur impetu, ejus partem tranſmittit in ſubjectas immediate muſculi tranſverſi, dein & obliqui interni fibras carnoſas, quæ impreſſioni parum obediendo vim propellentem peritonæum obtundunt, donec tandem evadendi rimam in annulo obliqui externi inveniat. Innumeras in promptu habemus obſervationes tunicarum, mirum in modum ſe extendi patientium, craſſitieque tantumdem fere ſimul

mul auctarum ac latitudine, ut itaque nec in ſubitanea herniarum formatione, nec in maximæ molis herniis ſucceſſu temporis interna peritonæi membrana rumpatur facile.

*Quo igitur modo herniæ ſubito generantur*, quæres? Anne tum ſubito tantum dilatabitur illa lamina, quæ tam valida, partibuſque vicinis adhærens ſupponitur? Iſta, fateor, objectio mihi dudum crucem fixit. Videamus tamen primum, an ſemper revera ita ſubito orta ſit hernia, qualem venditat æger. Sciamus oportet annon pudor aliæque rationes politicæ diu celaverint herniam inguinalem, quæ poſtea ſubito ſcrotalis facta eſt; Annon repoſita olim hernia denuo prociderit & incarcerata facta ſit? Suſpecta hodie, ægrorum quoque, fides eſt!

Quidſi tamen herniam inteſtinalem (omentalis ſubito rarius videtur oriri) ſubito & recenter factam certo conſtet, an ideo ruptam in inſtanti agnoſcere cogemur laminam internam peritonæi? Non. *Præceſſit* ſine dubio *laxitas peritonæi*, vel ex ſubſtantiæ debilitate, vel nimia humiditate, quæ præternaturalem inteſtinorum decubitum jam ab aliquo tempore fovens, ſuperveniente impetu plenariam herniæ eruptionem promovit. Eadem certe cauſa videtur eſſe herniarum à nativitate; patrem novi cum tribus liberis hernioſis natis. Si in ſcrotum ex abdomine mox mox decidiſſe putes, mirum eſt, quomodo inteſtinum prolabens illa membranacea uno ictu poſſit ſuperare obſtacula, quæ in limine proceſſus peritonæi occurrunt, quique ſuperius ob eam cauſam multo anguſtior eſſe videtur ac ubi teſticulo propior.

Talem *peritonæi laxitatem* & imbecillitatem non ſemel deprehendi in ſubjectis vel actu hernioſis, vel eo ipſo certe diſpoſitis ad herniam; & ante paucos dies præſentibus binis medicis celeberr. aperiendo exanime corpus viri phthiſi defuncti una hernioſi, novo confirmatam ſpecimine vidi. Dextrum nempe latus herniam offerebat omenti ſcrotalem; ſiniſtrum vero apud egreſſum vaſorum ſpermaticorum, peritonæi laminam internam exhibuit quidem integram, neque dilatatam, ſed levi opera per annulum uſque in inguen digito prolongandam, herniæ inteſtinali olim locum daturam.

Dilatationis itaque cauſam potius agere, quam rupturæ volui, manus tamen lubentiſſime daturus, quamprimum vera ruptura peritonæi in ſubjecto hernia demortui, oculis meis ſubjicietur, vel à viro rerum anatomicarum perito atque bonæ fidei confirmabitur.

Lamina illa interna peritonæi fig. III. Lit. C. vaſis ſpermaticis J. J. L. ſuperjacens ſaltem, ſenſim ſenſimque magis, vel ſimultaneo impetu ita propellitur, ut primum referat infundibulum, poſtea ulterius deſcendens figuram induat pyriformem, vel inſtar cucurbitæ lagenariæ. Vocatur tunc *Saccus internus*, quod inteſtinum vel omentum prolapſum inſtar ſacci includat, & quidem internus quod alius adhuc illum ambiat, externus. Saccum illum internum definiunt fig. II. Lit. G. & fig. III. Lit. C. D. D.

E.

E. E. Parte ſua ſuperiori contiguus eſt & adhæret ſacco externo, inferiore autem vaſis ſpermaticis immediate, & mediate ſacci iterum externi parieti inferiori, ut ſit inſtar digiti in chirotheca. Terminum atque obicem ponit huic ſacco *ſeptum* illud, quo tunicam vaginalem undiquaque ſupra paraſtatam adhærere ſuperius dixi. Hinc eſt, quod teſticulus utplurimum ſeparatim tangatur; dari tamen caſus divulſi hujus ſepimenti, tuncque confuſi teſticuli cum inteſtino l. omento prolapſo, vero non eſt abſimile. In hernia per rupturam peritonæi hunc ſaccum internum non exiſtere in propatulo eſt; inteſtina tunc ſeu omentum, ſenſim magis ampliando & dilacerando foramen præternaturale peritonæi, per hoc libere excidunt, nullamque laminæ internæ peritonæi prolongationem efficient.

*Saccus externus* multo craſſior eſt interno, inque varias ſeparari lamellas poteſt, quarum interna à proceſſu peritonæi ſeu lamina externa peritonæi proficiſcitur, cui mox circumfunditur *ſubſtantia* illa *celluloſa*, quam inter utramque peritonæi laminam reperiri ſuperius indicavi. Hæ cellulæ in ſubjecti hernioſi ſacco externo inflatæ ope tubuli, prout in fig. II. Lit. E. & F. miro pulcherrimoque ſpectaculo in niveam intumeſcunt ſpumam, & tandem exſiccatæ relinquunt rete celluloſum, ſerico carpto mollius, niveque candidius, pollice altius aliquando. Videntur hæ cellulæ cum membrana pinguedinoſa ſcroti præter naturam turgidiores & inflatæ efficere id, quod Galli vocant *des feuillets*, ſ. foliola, quæ ſcalpellum operatoris ordinario morantur & prius ſeparanda ſunt, quam ſaccus hernialis aperiatur. Parum ad ſacci hujus ſeu tunicæ formationem facit tunica vulgo dicta erythroidea; re enim ipſa non conſtituit, neque in ſtatu naturali peculiarem tunicam, ſed fibras ſaltem muſculoſas in ſuperficie tunicæ vaginalis hic ibi ſpargit & diſtribuit.

Huic *lamellæ* à peritonæo ortæ ſuperexpanditur & fortiter adhæret alia fortior, *tendinea*. Fig. II. Lit. D. D. ex fibris tendinoſis *ἀπονευρώσεως* muſculi obliqui externi, (ſub Lit. C C. indigitatæ) prolongatis orta, quam ideo *tunicam* voco *aponeuroticam*. Sub illa violenta partium expanſione refluxus tam ſanguinis quam lymphæ impeditur: hinc tunicæ illæ non modo ſæpius valde craſſeſcunt, ſed liquore etiam plus minus replentur, unde diſtinctio inter *hernias ſiccas*, quales plerumque ſunt recentes, & *humidas*, inveteratas utplurimum. Involvitur denique hic ſaccus *membrana pinguedinoſa* ſcroti fig. II. Lit. B. quam pinguedine actu repleri noluit providentiſſimus Creator, ne ſcroti neceſſariæ obſit corrugationi. Agmen claudunt membrana ſcroti muſculoſa, *dartos* dicta, & reliqua *integumenta communia*. Omnes hæ recenſitæ tunicæ aliquando etiam ita extenuantur, ut levi facta inciſione mox inteſtinum prorumpat nudum, in eoque caſu facile lædatur.

Nihil ſupereſt de ſaccis, quam ut eorum ulterius examen data quavis occaſione curioſis commendem. Detegent hi forſan, quod non ſemel animo concepi, mihique bis deprehendiſſe viſus ſum, ſacci nimirum interni

ſolum præſentiam, ita ut tunicæ vaginali, ceu ſacco externo ordinario, non fuerit incluſus. Inflaveram tum, ope tubuli, per annulum dilatatum, ab intra ad extra, ſaccum internum, qui intumeſcens quidem ſaccum tamen ſuum externum non inflabat, ſeu diſtendebat una. Inflata autem poſtea tunica vaginalis, per foramen ſupra epididymidem factum, mox intumuit aëre. Unde, juxta & autopſiam, ſuſpicabar, ſaccum internum ſuperjacere tunicæ vaginali, illique non includi. Item præſente ſupra laudato Dn. Thibaut, cum bubonoceles operationi in collegio noſtro ſe offerret cadaver hernioſi, operationem ego perfeci, ſeparatoque ſacco interno vaſa ſpermatica alia adhuc membrana tecta vidimus. Unde ſimilis concluſio.

Jam ad *ſymptomata herniæ incarceratæ*: hernia nulla arte reponi poteſt ſine ſectione, dolor in inguine prope annulum, in ventre colicus, in lumbis tenſivus, fruſtratus dejiciendi conatus, vomituritio, vomitus chyloſi primum dein & ſtercorales, unde paſſio iliaca ſeu Τὸ miſerere. Locus tumoris hernioſi rubet, livet, flacceſcit denique. Febris tandem, inſomnia, pulſus durus & intermittens, convulſiones, ſudor frigidus, quies & doloris ceſſatio, mors.

*Cauſas* inter *herniæ incarceratæ proximas* eſt *annuli* obliqui externi nimia *anguſtia*, moli partis prolapſæ nondum reſpondens: ejuſdem *ſpaſmodica conſtrictio*: *inteſtini prolapſi infarctus* & turgeſcentia à flatibus atque fæcibus. *Intricatio*, à motu periſtaltico perverſo, vel inepta manuum contrectatione. Ejuſdem *adhæſio* ad partes vicinas & *inflammatio*. *Omenti compreſſio*, *inflammatio*, *excoriatio*. Inteſtinum ambiens *carnea* veluti *faſcia*, & in loco annuli adhærens, tandem ita coarctans inteſtinum, ut omnem viam præcludat fæcibus [a]. Colum ſi prociderit in ſubjecto obeſiori, *appendiculæ* ejus *pinguedinoſæ* non parum ad incarcerationem contribuunt. In ſectione hernioſi nuperrima omentum mecum conſpexere bini medici claris. à fundo ventriculi uſque ad annulum pinguedine ſua tantum non omni exhauſtum, parte vero, qua in ſcrotum erat prolapſum, mole, ſeu *moleculis* potius *ſebaceis* durioribus auctum, ut omnes junctæ tumorem effecerint pugni magnitudine, illudque nec manibus, encheireſique conſueta in abdomen repelli, nec apprehenſa in cavo abdominis omenti parte, annulo dilatato proxima e ſcroto retrahi potuerit. Creſcunt ſucceſſu temporis hæ portiunculæ ſebaceæ & numero & mole, imo & induреſcunt ſenſim magis, donec annulus, cedere amplius neſcius, omentum ſtrangulet.

*Omphalocele incarcerata* rarior eſt, ex ea potiſſimum ratione, quod in regione umbilicali partes facilius ſe patiantur extendi. In *hernia crurali incarcerata arcus* ille *tendinoſus*, ſeu ligamentum *Veſalii* jugulat inteſtinum.

CAPUT

[a] Hujus duo exempla v. in Hild. Obſ. 15. 678. & 588.

# CAPUT III.

*Signa herniæ, incarceratæ imprimis, ejuſque diverſæ ſpeciei explicat.*

Hernia, ut ſorex, ſe prodit ſuo tumore; quem tamen cum intempeſtivus ſæpe pudor occultet, opus eſt, ut medico-chirurgus latentem ſubolfaciat cauſam ex ſymptomatibus, quæ in præcedenti capite enarravi, quæque patiens nec ſupprimere nec occultare poterit. Signa, quæ herniarum ſpecies diſtinguunt, toties ab auctoribus decantata ſunt, ut eadem oberrare chorda nolim. Ea vero ſigna, quæ enterocelen ab epiplocele, de quibus noſtrum thema, infallibiliter diſtinguant, ſæpe ſunt æquivoca. Ordinario tamen *epiploceles tumor inæqualis*, *non adeo tenſus* eſt, ſed digitis compreſſus *foveas* quaſi *ſervans*; *vomituritiones*, *alvo libera*, vacuo præſertim ſeu *jejuno ventriculo*; is enim tum contractior, fundo ſuo magis appropinquat diaphragmati, ſicque omentum, inferius annulo quaſi affixum fortius tendit atque trahit, ipſe autem ventriculus moleſta hac tractatione ſtimulatur & ad vomitus provocatur. Per abſentiam plurium, enteroceli propriorum, ſignorum ad epiploceles præſentiam quoque argumentari licebit.

*Enteroceles* itaque *tumor* eſt *æqualis*, *tenſus*, *pyriformis*, *elaſticus*, *foveam* ab impreſſione digiti *non ſervans*, manibus volutando ſcrotum *borborygmos edens*. *Colicæ*, ac *alvum reddendi fruſtrati conatus* ſubinde accidunt. *Simultanea* herniæ *formatio*, crebroque *prægreſſa facilis repoſitio* cum *crepitu* ſeu murmure, enteroceles quoque ſuſpicionem confirmant. Sed fallunt ſæpe hæc ſigna manum peritam, eo præſertim tempore, quo tunicis atque ſaccis herniæ jam jam inflammatis tactui amplius non eſt locus ad explorandum. Sed caute ſaltem mercanti ad operationem parum refert, ſive omentum, ſive ſubſit inteſtinum.

*Prognoſis herniæ incarceratæ*, ſeu inteſtinalis, ſeu omentalis, *funeſta* utplurimum eſſe ſolet, niſi in anguſtiis detenta pars atque inflammationis, gangrænæ ſphacelique periculum incurrens cito liberetur.

Majus inteſtino imminet periculum ac omento, quoniam majoribus ſcatet vaſis ſanguineis, ſenſus eſt exquiſitioris, flatibus turget atque fecibus, moleque etiam ſuperat omentum. Recentis herniæ, utpote quæ nondum adhærens, facilior eſt operatio, feliciorque ſucceſſus. Si tumor hernioſus flacceſcat, liveſcat, non doleat amplius, abdomen vero infletur, umbilicus promineat; pulſus ſit durus, celer, intermittens &c. altero in cymba charontis pede titubat æger.

Singultum, ſtercoraceos vomitus, alvum pertinaciſſime clauſam, ſponte tamen ultimo ſolutam, ſed fætentem admodum & cum ſudore frigido certiſſi-

tiſſimos eſſe mortis propinquæ præcurſores chariſſ. Parens meus ſingularibus aliquot exemplis obſervavit. Tunc igitur ad mortem potius quam operationem ſe accingat æger.

## CAPUT IV.

*Therapiam atque chirurgiam herniæ incarceratæ continet.*

OMnes eo nervos intendat medico-chirurgus ut operationis neceſſitatem & diſcrimen amoliatur, partemque prolapſam vinculis ſolvat ſuis. Si primo tentamine repoſitionis ope manuum non reſpondeat hernia, ab ulteriori inſultu abſtineat chirurgus, multoque magis æger, cui ſemper noxia eſt, quam propriis manibus celebrat, repoſitio, ob incongruum corporis ſitum, quem in hoc negotio tenet.

*Enemate* tum *emollienti* alvus lubricanda, reiterato toties, quoties è re videbitur. Stimulanti, ab initio, poſt emolliens, etiam locus eſſe poteſt.

*Carminativa* & *demulcentia* interne propinanda largiore doſi, quibus immiſcenda potiſſimum *nitroſa* & *cordialia*. *Hydrargyrum* copioſe ingurgitatum infidi mihique *ſuſpecti* eſt *ſucceſſus*. *Purgantia* cane pejora & angue fugienda. *Diæta tenuis* & *lubricans* eſto. Totum *inguen*, imprimis *annuli locus*, *ſcrotumque*, quin & *abdomen oleoſis*, quæ partes ſtrictas laxent calide *inungantur*. Enterocelen, quæ biduo reponi non potuit & ſuſpecta jam excitaverat ſymptomata, ſolo oleo lini & florum chamomillæ atque ſeminis carvi in lacte decoctione fotam reſtitui haud ita pridem. *Cataplaſmata emollientia*, ſæpe calide appoſita; ſi metus inflammationis & gangrænæ ſit, *reſolventia in-&-externa* cum emollientibus permiſceantur. *V. S.* inſtituatur, repetatur in brachio. *Adſperſio frigidæ*, quæ aliquoties ſucceſſiſſe legitur, *caute imitanda*. *Suſpenſio* ægri *per pedes* dubii ſucceſſus eſt, nec periculo vacat. Præſtat *ſupinus* ægri *decubitus*, capite declivi, podice autem elevato, & mediocris *flexio cruris*.

Aliquot ex horum applicatione & uſu horis denuo reductio molienda, ægro præceptum modo ſitum tenente, chirurgus vero *alteram manum conſtanter applicet annulo*, vel arcui tendinoſo (ſi hernia cruralis) ut ibi partem repoſitam contineat, denuoque procidere vetet. Altera manu tumorem hernioſum leniter contrectet, motitet & oblique ſurſum ſimulque *extrorſum verſus os ilei* impellat, ſi inguinalis vel ſcrotalis ſit hernia. In crurali autem recta ſurſum & parum antrorſum premendum.

Si tandem nulla ſpes reductionis affulgeat, ſed ſymptomata ingraveſcant, ad operationis anchoram refugiendum eſt, ſed cito & in tempore.

Ad operationem ſe accingens chirurgus omnia parata habeat; itaque in patina prius diſponat *ſcalpellum* rectum, aliudque mediocriter curvum, *ſpecillum ſulcatum in apice clauſum*, *forficem rectam* altero acuminis apice obtuſo, *acum* chirurgicam curvam *cum filo cerato*. Plurima *fruſta linteaminum* detritorum, *linteumque carptum*, *nodulum* ex linteis in formam globularem compreſſam, inſtar noduli latioris veſtimenti virilis, adaptatum, & filo ſuperius conſtrictum, cujus extremitas digiti longitudine propendeat, *compreſſas triangulares*, quarum una altera major, *compreſſam* latiorem ex panno laneo *ventralem* dictam atque abdomini imponendam, *faſciam*, duos pollices latam, & decem noſtrates ulnas longam. *Spiritum* quoque *vini camphoratum*, *oleum roſarum*, & *defenſivum* ex *albumine ovi cum aliquot granis aluminis & Sacch.* ♄. conquaſſato, in promptu habeat. Ægro propinet *cordialem potionem* cum *diaphoreticis mixtam*, *urinamque jubeat reddere*, *vel* ſi nequeat, diu retentam *cathetere evacuet*. Tunc *abraſis*, ſi opus eſt *pilis* ægrum collocet *ſupinum*, *crure*, affecti lateris parum *flexo*, ut cutis & aponeuroſes, quæ in cruris extenſione ſimul quoque tenduntur, laxentur. Alterius manus pollice ac indice *cutem* in medio tumoris hernioſi *apprehendat*, & *elevet*, idque per miniſtrum ad latus ſuorum digitorum pariter effici curet, ut ipſe operator interſtitium cutis inter utriuſque manum ſcalpello vel recto vel mediocriter curvo, *longitudinali* incidat *ſectione*, non ultra cutis craſſitiem penetrante. Digitis remotis cuteque dimiſſa caute *dilatanda* eſt ejuſdem *inciſio*, ſcalpellumque non perpendiculariter ſed oblique tenendo, *membrana pinguedinoſa* ex utroque *ſeparanda* latere. Suſpenſa manu ulterius progrediendum ad tunicam ſacci hernialis externi aponeuroticam, quæ cum reliquis ſaccorum membranis, inteſtinum involventibus, aliquando mirum in modum extenuata, aliquando admodum craſſa exiſtit. *Facto* per ſcalpellum, non punctim, ſed cæſim, uti ita loquar, *foramine*, *in ſaccos*, pariter ut in prima cutis inciſione elevatos, penetrante, *ſpecillum* ſuperius deſcriptum in illud *immittendum*; in ejuſque ſulcum adacto vel *ſcalpello vel forfice* totus ille *ſaccus*, partem prolapſam continens, tota longitudine ſua *aperiendus*. Ex foramine mox proſiliens aqua operatorem non terreat, neque arteriola, a pudendis externis orta, ſanguinem vibrans, digiti, vel compreſſæ ſpir. vin. imbutæ, applicatione facile ſiſtendum, turbet. *Inter operandum* vero ſollicite ſemper fruſtis illis lintei *partes diſſectas abſtergat*, ut clare pateant oculis. Saccis hoc modo diſſectis, pars prolapſa in conſpectum venit nuda; quæ ſi *omentum* fuerit, idque gangrænæ vel ſphacelo jam aliqua ſui parte *infectum*, *ſpir. vin. camphorato* calido *irroretur*, & in parte adhuc ſana *ligetur*, trajecto ope acus per medium partis ligandæ filo, quod utrinque conſtringitur, filorumque extremitas duarum fere palmarum longitudine pendula, & vel colore, vel alio ſigno diſtincta relinquatur.

*Si* qua *adhæret*, caute *ſeparandum* ejuſque repoſitio tentanda. Huic *cum* non minus ac inteſtinis plerumque *obſtet annuli anguſtia*, hic prudenti in-

ſione *dilatandus*, *ope ſpecilli ſulcati*, ſupra laudati & *ſcalpelli incurvi*, cujus dorſum & apex in ſulco ſemper abſcondantur, dumque inciſio facienda eſt, *ſpecillum cum* incluſo *ſcalpello ſimul* parti incidendæ *apprimendum*. In *hernia crurali* columna inferior annuli, quam ſupra nominatum efficit ligamentum *Veſalii*, *obliqua inciſione* verſus os ilii *dilatandum*.

In *hernia umbilicali dilatatio* potius *inſtituenda* videtur vel *in ſuperiori* vel *inferiori parte*, à linea alba diſcedendo quantum fieri poteſt.

In *hernia inteſtinali*, eaque vel inguinali vel ſcrotali, *columna* ſeu circulus *ſuperior* annuli, ſaccum hernialem à parte ſuperiori tangens *diſcindendus*. Facta ſufficienti inciſione, *ſcalpellus una cum ſpecillo ſulcato retrahendus*. Si o-*mentum* procidit *ſolum*, facta hac dilatatione facile ſuo reddetur naturali loco, ſi una cum inteſtinis, *hæc prius reponenda* ſunt. Si inteſtina ſola ſint prolapſa, ea *extremitate*, *quæ ultimo procidit*, verſus annulum placide in cavum abdominis *reducantur*, obſervata eadem encheireſi, quam ante commendavi pro inteſtino, ſine ſectione reponendo. Si durioribus *infarctum* ſit *fæcibus*, hæ digitis *divellendæ*; ſi *flatibus*, *portio inteſtini* e ventre *extrahenda*, ut major eis locus detur, inteſtinumque flexilius molliuſque evadat. Cum ingens, & quandoque enormis, inteſtinorum copia variis implicita fuerit gyris, cum meſenterio annexo, pariter prolapſo, meſenterium prius reducatur, tunc inteſtina ſequentur. Nimiæ inteſtini coli appendiculæ pinguedinoſæ, repoſitionem impedientes, forfice, modo ne nimis prope inteſtinum abſcindi poterunt.

Inteſtinum fortiter adhærens, ita ſeparandum, ut potius e parte, cui agglutinatur aliquid auferendum, quam de inteſtino. In hernia tamen crurali, ubi ſimplex ſaccus, vaſaque ſubſunt cruralia, cautiſſima opus eſt tali ſeparatione. Inteſtinum & omentum ſi una prociderint ſibique invicem accreverint, ſatius eſt in ſeparatione omentum aliquid de ſua perdere ſubſtantia, quam inteſtinum.

Repoſita itaque parte prolapſa, miniſter compreſſam ſpir. vin. calido imbutam digitis apprimat annulo, ne quod modo repoſitum, excidat de novo. Annulus aliquot inciſionibus ſcarificandus in circumferentia ſuperiori; inferius vaſa ſpermatica lædi poſſent.

Superſunt jam *ſaccorum reliquiæ*, inutileſque integumentorum; valde diſtentorum, anguli. Illæ *ſeparari debent* à partibus contiguis, *filoque* cannabino triplici l. quadruplici, cerato, prope annulum circumducto aliquoties, fortiter *conſtringi*; unde nodulus quaſi & obex egreſſuro in poſterum inteſtino objicitur, qui cum annulo ſcarificato concreſcit, illiuſque hiatum implet, quem olim, peſſimo eventu, obturaverunt teſticulo, in annulum intruſo. [a] *Cavendum* vero in hernia inguinali vel ſcrotali, *ne faſciculus vaſorum ſpermaticorum una ligetur*. *Integumentorum* tantum relinquatur modo, quod ſufficiat ad obtegenda vaſa ſpermatica atque teſticulum, reliquum forfice reſecetur.

*Nodu-*

[a] V. Scult. Armam. P. 2. Obſ. 64. p. 91.

*Nodulus*, ſupra in apparatu chirurgico deſcriptus & defenſivo imprægnatus *annulo apponatur*. *Linteum carptum* in cylindros *circumvolutum*, huic *nodulo circumponatur*, reliquum *vulnus linteo carpto* indigeſto, quod brutum vocant, *impleatur*, cui *compreſſæ* illæ *triangulares* graduatæ duæ treſve, ſpir. vin. camphor. calido imbutæ ita *ſuperaddendæ*, ut minima primum dein majores, baſi trianguli deorſum ſpectante, collocentur. *Oleo roſarum* calido foveatur & *illinatur* totum *abdomen*, & *regio* imprimis *hypogaſtrica obtegatur compreſſa ventrali*. Tum *faſcia*, ſpica inguinali dicta, totus *apparatus obfirmetur*, & poſtquam inguen affectum ſpica, quam vocant (unde nomen faſciæ, ob ſpicatas & graduatas circumvolutiones) bene munitum eſt, reliquum faſciæ aliquoties ſcroto ſubducatur, ut illud quaſi ſuſpendat & elevatum teneat, finiendo faſciam circumvolutionibus in circuitu abdominis.

Quis deligandi modus obtineat poſt operationem herniæ cruralis, vel umbilicalis ex jam deſcripto, cæteris paribus, colligetur. Inſtituti temporiſque ratio latius excurrere vetat.

*Poſt operationem* ægro cordialis potio exhibeatur, enema emolliens injiciatur. Primis diebus nonniſi juſculis carnis & gelatina nutriatur.

*Altero die* tota *vulneris* deligatio ſolvenda, ejuſque *labia*, ſanguine forſan adhuc inquinata, *lavanda* ſpiritu vini, *applicita* ſemper *manu ad annulum* ne hernia recidat: Dehinc novus, ut ante, *applicandus nodulus*, ſpir. vin. camphorato irroratus & *digeſtivo illitus*, plumaceoli circumponendi, itidem digeſtivo imbuti, compreſſæ & faſcia, ut prius, applicandæ.

*Si annulus* tertio quartoque die nimis *adhuc pateret*, vel ſufficientem non præberet ſuppurationem, in uſum ego ducerem *Scarificatorium Wolhuſianum*, (quo tantum non miracula præſtantur in oculorum morbis) novaſque inſtituerem circumcirca in annulo ſcarificationes, qualibus olim Pariſiis in noſocomio, à charitate dicto, fiſtulam perinæi calloſam, in urethram penetrantem, quæ diu ante variam reſpuerat medicationem, feliciter conſolidavi. Si quæras quodnam ſit illud inſtrumentum, reſpondeo: Eloqui jam non licet; Iis igitur, qui è ſchola celeberr. illius ophthalmiatri prodiere, ſaltem commendaſſe juvabit.

Alius adhuc *novæ methodi* facienda eſt mentio, quæ acri noviter anſam dedit diſputationi binis, qui Pariſiis clarent, chirurgis. Reponi poſſe prætenditur pars prolapſa *ſacco herniali integro*, non aperiendo, niſi pars prolapſa adhæreat vel teſticulo vel vaſis ſpermaticis. Aiunt hanc methodum maxime naturalem atque facilem, minime autem periculoſam eſſe.

*Sed obſtat* quod (1) hic ſaccus tantum non ſemper undiquaque adhæreat ipſis præcipue vaſis ſpermaticis; dum integer ſeparandus eſt, hæc facile læduntur. (2) Pars contenta, inteſtinum l. omentum, ſæpe jam alterata, nec fomentari nec reſcindi poſſit. (3) Liquor ſeu amurca, quam non raro continet hic ſaccus, putreſcens in cavum abdominis cum ſacco, integro repoſito, redundet. (4) Omentum atque inteſtinum ſibi invicem accreta ſeparari nequeant. (5) Saccus hicce ante foramen annuli in poſterum fluctuans,

tuans, nec priſtinum facile recipiens tonum ex longa dilatatione, infundibuli inſtar denuo facilius excipiat inteſtinum. (5) Si hernia exiſtit à ruptura peritonæi, locum plane non poſſit habere. Saccus enim tum efficeretur à tunica vaginali, quam cum parte prolapſa reponi non poſſe per ſe patet. (6) Aliquando ſaccus ipſe ſtrangulet partem prolapſam; Qui igitur, niſi aperiatur, repoſitus in cavum abdominis non deſiſtet à conſtrictione illa periculoſa. Hujus rei evidens hoc eſto ſpecimen. Lutetiæ Pariſiorum in noſocomio, Hôtel-Dieu dicto, virum hernia crurali mortuum, qui operationem vivus noluit admittere, aperiendo, ſaccum hernialem ſub & à ligamento Veſalii ſtrangulatum deprehendi; Diſſecto illo ligamento ſaccus ipſe ſuperius quaſi loro conſtrictus, ut digitum auricularem, extracto inteſtino, vix ingerere licuerit, inferius ſeu in fundo amplior, partem inteſtini ilei continens. Repoſitus hic ſaccus integer cum inteſtino ſuo contento, non apertus, in ipſo quoque abdominis cavo ſuum ſtrangulaviſſet inteſtinum.

Itaque nova hæc methodus, in hernia incarcerata in uſum ducta, vix, niſi in ſubjectis junioribus, & cum multis aliis cautelis feliciter cedet.

TANTUM!

---

## T. XVII. Fig. I.

*Exhibet Enterocelen, dextri lateris, prout in oculos, ſine ulla ſectione incidit.*

AA. Crura, divaricata, ut ſcrotum cum hernia melius pateat.
B. Inguen, ab inteſtino in gibbum quaſi elevatum.
C. Inguen alterius ſanique lateris, planum & altero depreſſius.
D. Penis, ut ſolet, retractus.
EE. Scroti dimidia pars valde tumida atque tenſa, ab inguine ad infimam fere ſcroti partem.
F. Scroti infima pars, non tumida nec tenſa, in qua teſticulus ſeparatim tangitur, cum inteſtino non confuſus.
G. Altera dimidia ſcroti pars, naturalis figuræ & ſtructuræ.
H. Sutura, quæ ſcrotum in duas dividit partes.

## Fig. II.

*Exhibet ſcroti dextram ſeu affectam partem, arte anatomica diſſectam.*

A A. Cutis ſecundum totam ſcroti longitudinem aperta & ad latus reflexa, ut ſubjectæ partes in conſpectum veniant.
B B. Membrana pinguedinoſa ſeparata & pariter ad latus repoſita.
C C. Annulus muſculi obliqui externi, per cujus dilatationem & divaricationem

tionem præternaturalem ſacci herniales cum inteſtino incluſo prociderunt.

D.D. Tunica aponeurotica, totum iſtum pyriformem ſaccum externum efficiens, prolapſum inteſtinum atque teſticulum includens, in medio aperta & ad latus utrinque diducta, intime adhærens interiori ſacco. In toto ejus tractu fibræ tendineæ, ab aponeuroſi muſculi obliqui externi ejuſque annulo profectæ, maxime ſunt conſpicuæ.

E. Membrana celluloſa inter utramque peritonæi lamellam, hicque inter ſaccum externum & internum conſpicua, &

F. Inflata ope tubuli. F.

G. Saccus hernialis internus, ex dilatatione laminæ interioris peritonæi ortus, inteſtinum immediate complectens, in medio diſſectus, ut

H. ſubjacens inteſtinum H. compareat.

## Fig. III.

*Exhibet formationem herniæ inteſtinalis, in ſcroto ſitum tum inteſtini prolapſi, tum reliquarum partium in ſcroto contentarum, cum ſacco herniali interno.*

A. Fibræ tendineæ ἀπονευρώσεως muſculi obliq. Ext. de quibus fig. II. Lit. D D.

B. Lamella exterior peritonæi, paulum reflexa antrorſum, quæ naturaliter prolongata ſic dictum efficit proceſſum peritonæi, ſeu tunicam vaginalem vaſorum ſpermat. atque teſticuli; Præter naturam vero ſaccum hernialem externum juxta cum membrana aponeurotica fig. II. Lit. D D. conſtituit, quem vero hic repræſentari nolui, ne confuſio inter utrumque oriretur ſaccum.

C. Lamella interior peritonæi, dilatatione præternaturali in ſcrotum protruſa, ſaccum hernialem internum efformans, qui inteſtina immediate continet.

D D. Ejuſdem lamellæ in ſaccum dilatatæ continuatio uſque ad ſeptum, quod tunica vaginalis ordinario ſupra teſticulum efficit, ad latera parum reflexa; ſicut &

E E. Ejuſdem paries ſeu latus inferius itidem parum reclinatum, ut ſubjacentia vaſa ſpermatica adpareant.

F F. Tunica vaginalis, teſticulum laxe ambiens, aperta, hinc

G. Teſticuli corpus, ſola adhuc tunica albuginea cinctum, reſtat; cui ſuper jacet

H. Epididymis ſeu paraſtata.

J J. Corpus pampiniforme, ſeu art. & ven. ſpermat. inter externam & internam peritonæi lamellam ex abdomine per ſic dictum annulum erumpentes, plus juſto craſſiores effictæ.

L. Canalis deferens.

MM. Inteſtini Ilei portio, ſacco interno incluſa, ſed hic exempta & ad latus collocata, variis gyris intricata.

---

## COROLLARIA.

### I.

### *Rariſſima nuchæ Luxatio.*

IN conflictu ebriorum nocturno ruſticus quadratus accipit aliquot ictus circa caput, & duriora veritus aufugit ea pernicitate pedum, quæ vel celerrime decurrentem equum anteverterit. Hic ſpatium ſemihoræ emenſus domumque reverſus, exuta ſuperiori tunica admotaque ſcala petit cubiculum amaſiæ puellæ, & ibidem aliquandiu commoratur, ordinem rixarum recenſens, ac de ſe nihil quicquam, ſitim ſi excipias, conqueſtus. Reverſus eadem via domum 150 prope paſſuum, ſcalam ſecum aſportavit. Elapſa ab hinc hora in lecto, accumbente una fratre juniori, corripitur convulſionibus (*hat nach der Auſſsag des Bruders ſehr gewütet*) & ſpatio 4. horarum præſentibus parentibus moritur. Corpus exanime à medico vicino legaliter apertum exhibuit ſanguinem extravaſatum hic ibi ſub cute capillata & pericranio, item ſuper dura matre circa os temporale ſiniſtrum aliquot uncias ſanguinis nigri grumoſi; hic ibi contuſionum veſtigia in dura matre, parvamque interioris cranii tabulæ fiſſuram in confinio ſuturæ lambdoideæ & ſagittalis; Vaſa piæ matris ſanguine grumoſo infarcta; ſuper principio medullæ ſpinalis guttas 12. vel 15. ſanguinis grumoſi; ſugillationem cutis & muſculorum in nucha; luxationem ſeu ſeceſſum vertebræ atlantis & epiſtrophi, qui pollicem facile admiſit, cute quamquam integra; tertiam quartamque colli vertebram vacillantes quidem, ſed tamen adhuc connexas. Quæritur: Unde luxatio hæc? an ab ictibus collo exceptis in conflictu? Dubium; cum poſtea per trihorium fere omnes actiones, animales imprimis, exercuerit liberrime, difficileque conceptu ſit, qui ictus, cute integra, epiſtrophum dirimere potuerit ab atlante, cum utrumque harum vertebrarum corpus valido circulari uniatur ligamento, & proceſſus dentiformis epiſtrophi connectatur occipiti per ligamentum peculiare, teres & forte, iſque ipſe detineatur in ſinu ſeu magno foramine atlantis ope ligamenti tranſverſalis, collum dicti proceſſus ambientis. Anne colli tenſio & ſitus erectus ope muſculorum, per illud trihorium vertebras has plus minus parallelas conſervavit, ſicque compreſſionem medullæ ſpinalis & vaſorum vertebralium præcavit, donec ægro lectum ingreſſo (ubi mox lamentando dolores patefecit) Epiſtrophus magis, ob flexum tum collum, ſecedere ad latus, cumque proceſſu dentiformi medullam ſpinalem vaſaque vertebralia comprimere debuit? Unde appulſus arterioſi ſanguinis per arterias vertebrales, reditusque per venas vertebrales & jugularium inter-

internarum alterutram, ejuſve ſaccum, prope adjacentem vertebris his luxatis, impeditus, & medulla ſpinalis compreſſa ſpiritus magis magiſque denegavit nervis diaphragmaticis, mox infra locum compreſſionis è 3tio 4to & 5to pari nervorum cervicalium coalitis; Nervus ſpinalis pariter tunc compreſſus vel irritatus turbas communicavit cum octavo pari, cui ſe aſſociat in cranio; Spirituum animalium irradiatio ſenſim magis impedita, turbata, abolita. Quidſi vero lapſum de ſcala, cum è cubiculo amaſiæ deſcenderet, arguemus, vel aliam quamcumque, morti propiorem, quam ictus illos ſeptihorio prægreſſos, ſuſpicemur luxationis cauſam, ad mortem quidem defuncti parum, ſed ad vitam verberantium plurimum referret. Id ſaltem denuo mirum foret, qui graviter ita lapſus mox ſecundam ædium conſcendere potuerit contignationem, veſtes exuere &c. Ad ſeriam hujus caſus enodationem Nobiliſſ. invito Dominos Opponentes.

## I I.

Cataractæ incipientes ſine conſueta operatione curari poſſunt,

## I I I.

In cataractæ è ſecunda, ſic dicta, oculi camera extractione per acum hamatam, licet vix concipienda, annon membranam cryſtallini arachnoideam, parum inſpiſſatam & opacam, extrahunt utplurimum? Modo pluries revera contigerit illa operatio.

## I V.

Scarificationem palpebrarum, carunculæ lacrimalis & adnatæ Woolhuſianam mira præſtare in triginta fere oculi morborum ſpeciebus expertus quoque deprædico.

## V.

In partu difficili maxime reſpiciendum ad ſitum orificii, ſic dicti interni uteri.

## V I.

Uncorum in embryulcia ſuſpecto uſui ſubſtituenda videntur noviter inventa celeberr. Palfini inſtrumenta, quibus embryonis vitæ non præjudicat.

## V I I.

Methodus Franconica (inciſio veſicæ in pube) à Duglaſio, Londinenſi chirurgo, nova encheireſi, & à Gerardo, chirurg. Paris. cel. novo emendata inſtrumento, in Anglia vero nuper feliciter inſtituta in aliquot ſubjectis, chirurgis ſe denuo commendat.

## V I I I.

Crebra poſt lithtotomiam aliaſque nobiliores operationes venæ ſectio, in febri item maligna febris atque convulſionum non remedium ſed cauſa ſit.

F I N I S.

QUÆSTIO

Tab. XVII.

Fig. 1.






Fig. 2.




Fig. 3.




Disp. Chirurg. Tom. III. MAUCHART DE HERNIA INCARCERATA pag. 96.

LXII.

# QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

*Quam Præſide*

M. P. ROUSSIN DE MONTABOURG

*MED. DOCTOR.*

*Tuebatur*

C. F. BOUTIGNI DESPREAUX

Sub hac verborum ſerie

*An in Herniis inteſtinalibus, etiam cognita inteſtini prolapſi læſione operatio celebranda.*

Pariſiis 6 Februarii anno 1742.

I.

MOrbi quos ſuſcipit medicina debellandos, duplicis ſunt generis. Aut enim, ab humoribus male affectis ducunt originem, aut ſolidioribus partibus dumtaxat inſunt. Humorum morbi Diæta & Pharmacia laceſſiti ſæpe fugantur. Non idem de partium ſolidarum affectibus dixeris, hi cum diverſimode ſe habeant, diverſa expetunt auxilia. Modo duræ tantum, modo molles corporis humani partes, nunc ſimul utræque laborantes deprehenduntur. Hic oſſa ſcinduntur, rumpuntur, vel conteruntur: illic eadem ſuis ſedibus deturbata interna vel externa vi, non ſine doloribus acerbis conſpiciuntur. Si mollium partium ſortem curioſius contemplabere, quid non moleſti ſuſpexeris? Tumoribus deturpantur, vulneribus dividuntur, roduntur ulceribus, nunc morem benignum, nunc cacoëthicam indolem referentibus. Ex iiſdem quædam e locis a natura dicatis prolabi cum mortis diſcrimine cernuntur. Infelix ſane gentis humanæ conditio ſi tot, ac tantis affectibus curandis, ſublevandis-ve non inventa nec exculta medicinæ pars chirurgia. Hæc ubique rationis conſilio, experientiæ teſtimoniis, & anatomes exquiſitæ luminibus ſuffulta, naturæ vires quaſi ſuperando miranda perficit. Illius eſt oſſium fracturas componere, luxataque eadem in priſtinum locum reſtituere: illius eſt tumorum omne genus, ſive reſolvendo, ſive aperiendo vel extirpando fugare: illius eſt vulnera, partibus ſolutis unionem conciliando, ſanare: illius eſt ulceratis membris cicatricem, detergendo inducere: illius eſt viſcerum quorumdam prolapſibus mederi: illius tandem peritiæ conceſſum eſt quidquid extraneum corpori deprehenditur foras eliminare, & quodcumque deficere videtur, eidem ſufficere. Porro in tot ac tam diverſis peragendis multiplex chirurgiæ munus, plurimaque obſervatu digna. Ne incaute ac temerarie celebretur operatio, vetat prudentia, dum eamdem audacter ſuſcipi quandoque ſuadet ratio. Certæ ſunt leges, certa ſunt documenta quibus tanquam Ariadnæ filo utendum. Sed caſuum varietas variam ſæpe methodum indicat. Nonnunquam morbi natura, partium ſtatus, conformatio, qualitas & ſpecies, ipſiuſque ægrotantis diſpoſitio negligenda. Nec majoris ſæpius ponderis æſtimanda veterum auctoritas: illi quidem plurima norunt; at non norunt omnia. Operationes quaſdam audebant ſuſcipere quas nunc juſte damnat Anatomia: alias quoque timidi aut neſcii vetabant, quorum ſucceſſus medicinæ luminibus & peritiori chirurgiæ nunc feliciter reſpondet. Sic Celſus herniis mederi conabatur methodo, quæ jam dudum graviſſimis rationum momentis fuit proſcripta. Paulus Æginæta operationem herniis congruam diſerte deſcribens, hanc fieri ope ſcalpelli omnino prohibet, ſi ex rupto peritonæo evenerit, experientia con-

N 2 tra-

trarium probante. Hildanus & Paræus ambo celeberrimi vix operationem iſtam ſuſcipiendam commendant niſi in puerili ætate. Alii recentiores ab ea abſtinendum prorſus ſuadent, ubi partes prolapſas lædi graviter, ſuſpicio fuerit. Attamen temporibus noſtris chirurgiæ praxis felicior docuit horum contemnenda eſſe conſilia, priorum emendandam operandi methodum, & poſteriorum neglecta ſententia, omni ætati neceſſariam herniis curandis operationem convenire. Inteſtinorum vulnera quæ tantopere metuebantur olim, nunc tractata peritiore manu ſaneſcunt; nec jam ægrorum ſalus deſperata, ſi inteſtinum herniam faciens aut inflammatione marcidum, aut ſtrangulatione gangrænoſum. Experientia namque ſucceſſu pluries & feliciter repetito, cognita etiam partium hernias facientium læſione, lethum minante, non negligendam operationem indicavit.

## I I.

Κηλη Græcorum, a Latinis hernia, ruptura ramex appellatur. Morbus eſt, quo inteſtina vel omentum e loco naturali pulſa delapſave tumorem extus in abdominis circumferentia manifeſtum faciunt. Dirus ille generis humani hoſtis, gulæ non modo & otioſæ quietis progenies, ſed & ærumnarum exantlatorumque laborum merces acerba, quos aggreditur mille torquet cruciatibus, aut ſine mora demerſos orco dimittit. Herniæ duplicis ſunt generis: aut enim ab humoribus ſenſim paulatimque aggeſtis, & partes extra ventrem pendulas occupantibus producuntur, & tunc ſpuriæ vocantur; aut ex viſceribus quibuſdam quacumque de cauſa ex cavo abdominis proſilientibus ducunt originem, & veræ ſunt herniæ. Nec harum unica ſpecies, imo pro diverſitate locorum, in quibus ſedet tumor, & pro variis partibus hernias facientibus, cognomina varia ab authoribus impoſita ſunt. Tribus in locis vulgo fiunt herniæ, in umbilico ſcilicet, inguine & ſcroto. Quæ fit in umbilico hernia, Exomphalos dicitur; quæ in inguine, bubonoceles nomen retinet; Tertia denique ſcrotum occupans oſcheoceles vocatur. Partes his in locis hernias facientes eædem prorſus ſunt, ſed prout ſeorſum vel una delabuntur extrorſum, illarum variant denominationes. Sic hernia umbilicalis enteromphalos nuncupatur, cum inteſtini ſolius eſt prolapſus; epiploomphalos cum omento tantum debetur tumor; entero-epiploomphalos ſi ab utroque producta fuerit hernia. Non idem tamen de hernia inguinali accuratus dixeris: illa cum ſit potius herniæ principium quam hernia, ſive ab omento, ſive ab inteſtino, vel ab utroque ſimul ortum habuerit, bubonoceles nomine ſemper gaudet. At ubi de oſcheocele hernia completa quæritur, huic partium prolapſarum nomen aſſignatur. Hinc epiplocele dicitur, ſi ſolum epiploon, enterocele ſi inteſtinum, & entero-epiplocele ſi utrumque in ſcrotum deciderit. Partes, quæ hernias inteſtinales efficiunt, inteſtina ſunt & epiploon; ex inteſtinis autem gracilia ſæpius, præſertimque ileum delabitur; craſſiora

rarius,

rarius, & ex his colum frequentius quam cæcum & rectum, quod raro admodum deprehenditur. Inteſtina utrumque in latus propulſa gliſcere conſueverunt; epiploon vero in ſiniſtrum magis quam in dextrum inguem inclinatum, huc frequentius deſcendit epiplocelen facturum. Hujus rei ut & inteſtinorum prolapſus ratio neminem anatomes gnarum fugere poteſt. Quamquam enim partes deciduæ multiplici tegumentorum repagulo ſat validο circumſeptæ nexibuſque firmis retentæ, eædem fluxiles tamen & pendulæ admodum a natura fuerunt relictæ. Ergo minime mirum, ſi qualibet occaſione partes illæ e loco naturali dimoveantur, homini perniciem minaturæ. Hoc ipſum juvant & earumdem ſitus & involucrorum fabrica. Inteſtina quidem meſenterii circumferentiæ adhærent maxime; omentum ventriculi & coli majori curvaturæ aliiſque viſceribus firmiter appenſum: at hæc in abdominis cavo libere fluctuant, & quaſcumque directiones ſequi prona, qua minorem nanciſcuntur reſiſtentiam, elabi compreſſa nituntur. Peritonæi quoque & muſculorum abdominalium artificioſa compoſitio non difficiles exitus inteſtinis & omento præbent. Peritonæum in umbilico & ſupra pubem, qua teſtes viris in ſcrotum, & fæminis ligamenta deſcendunt, debilius factum ſuppoſitis viſceribus effugium miniſtrat. Hic illius membranæ exterior lamella cum vaſis ſpermaticis in maribus, & ligamentis rotundis in mulieribus extra abdomen longius protenditur, interna dumtaxat pondus viſcerum ſuſtinente, illic vice verſa interiori peritonæi lamella venam & arterias umbilicales comitante, externa umbilici margines obductura relinquitur. Muſculi pariter abdominales ſupra pubem vaſis ſpermaticis, aut ligamentis rotundis tranſitum concedendo viam eamdem herniis non negant. Eorum quippe utrinque ternorum ita diſpoſitæ ſunt fibræ, ut obliqui & tranſverſi muſculares divaricatione prohient, dum obliqui externi tendinoſæ fibræ annulum ovalem ſimulant, quo concluſis viſceribus ſemita foras patet. Igitur ſi violentiori motu, ſaliendo, currendo, equitando vel ſaltando ſeſe neſcius exerceat homo; aut ſi vires probando jactabundus onera graviora geſtet, aut tuſſiat acrius, aut vehementiori vomitu ſuccutiatur, perpetuo in vitæ diſcrimine verſatur. Abdominales muſculi motibus plus æquo contracti, ſubjecta inteſtina & ipſum omentum concutiunt valide, premuntque fortius, eademque per aperturas & loca male renitentia diſrupto vel producto tantum peritonæo ſæpe cogunt exilire. Idem quoque faciunt otioſa quies, & victus quorumdam opiparus vel lubricans, vias nimium laxando. In fæminis utero geſtantibus & ipſe partus, præſertim laborioſus hernias producit. Umbilicus in iis non nunquam quaſi dilaceratur, & ingenti volumine protuberat. Quid non funeſti alvo dura laborantibus imminet? Quot hernias procreant, in ejiciendis nimium induratis alvi fæcibus immenſi conatus? Quanta poſſit diaphragmatis & muſculorum abdominis ſimultanea compreſſio, anatomia docet. Stupeas ſane ſi frequentiores non reperiantur herniæ, cum tot ac tam multiplices cauſæ his producendis conferant! Jam vero factæ

herniæ vera accipias ſigna. Alia ſunt omenti prolapſi, alia inteſtinorum effecta : majus ex his quam ex illo periculum. Hernia inteſtinalis tumorem æqualem, durum & digitorum tactui renitentem ſemper exhibet. Tumor iſte modo creſcit, modo minuitur, prout magis vel minus flatibus fæcibus-ve diſtenditur. Si nulla, aut levis ſtrangulatio, facile verſus interiora ſponte, vel blando digitorum impulſu cum murmure vel rugitu remeat. Aſt ubi omentum ſolum in inguen, vel in ſcrotum cecidit, tumor animadvertitur mollis, inæqualis, indolens, atque premente manu lente admodum ac ſine ſonitu retro vergens. Symptomata utriuſque viſceris ſtrangulationem comitantia ſunt rugientes in abdomine borborygmi, dolor ingens, frequentior vomitus, chyloſus, blioſus, & ſtercoralis : inteſtina & muſculos abdominales occupat immenſa tenſio ; febris urit ardens cum difficili reſpiratione. Pulſus adeſt parvus, frequens ac depreſſus. Lipothymiæ & ſudores frigidi, quibus ſucceſſive laceſſuntur ægri mortem propinquam minantur, ſive umbilicalis, ſive inguinalis fuerit hernia.

## III.

Cognitis nunc variis herniarum verarum denominationibus, & enarratis ſignis atque ſymptomatibus herniæ tum inguinalis, tum umbilicalis ſpeciei diverſæ propriis, cujuſque haud mora ſuſcipienda curatio. Hæc duplici modo perficitur, aut enim prolapſæ partes nulla-tenus læſæ, nec multum in ovali foramine obliqui externi compreſſæ deprehenduntur ; tunc facile ſine ulla continui tegumentorum ſolutione, ea operatione *Taxi* dicta intus remittuntur : aut eædem partes, in locis, in quæ deciderunt, ita ſunt irretitæ atque impeditæ, ut non niſi chirurgicis inſtrumentis liberari queant. Operationum amborum, ut inæqualis difficultas, ſic & inæquale periculum. Prior ex ægri poſitu debito, venæ ſectionibus, cataplaſmatis partes relaxantibus, aut admotis tumorem condenſantibus, & digitorum opera perficitur. Tumor manuum oleo & butyro recenti imbutarum levi contrectatione palpatur, & inteſtinum vel omentum, emollitis paulatim, ſi quæ ſint fæcibus, verſus interiora quo proſilierat ordine, repellitur, applicatis dein convenientibus ſubligaculis recidivam prohibentibus. Alteram operationem labores ſudoreſque multi comitantur : in hac celebranda prudens conſilium & peritæ manus requiruntur. Mutua partium prolapſarum cum involucris, vel cum vicinis membranis adhæſio, aut earumdem peſſumdata natura plenum opus aleæ porrigunt. Difficultas omnes olim fere terruit, nec non etiam nunc terret. Suam quiſque propoſuit methodum. Hic punctum auratum tanquam præſtabilius obgannit ; ille operationem regiam cæteris prædicat anteponendam. Utramque praxis ſapientior ablegat, ſolamque *Bubonoceles* operationem herniis veris congruam jure merito prælaudat. De illius neceſſitate & excellentia conſentiunt cuncti ; ſed de tempore celebrandæ opportuno diſſentiunt plurimum. Sunt qui du-

dubii ſucceſſus operam aggredi nolunt, nec manus admovere partibus ex hernia lethaliter affectis audent. Hoc fecit error de vulneribus inteſtinorum quæ incurabilia credebantur, quique nimia credulitate ab antiquis ad poſteros translatus eſt. Cave ne te idem auferat error. Nuſquam magis elucet naturæ potens virtus, quam in inteſtinorum affectibus; hic damna reſarcire ſemper paratam ſtupens videris. Ne te lateat inteſtina ſæpius ſine infauſto eventu fuiſſe aut divulſa vulneribus, aut gangrænoſa phlogoſi percuſſa. Ne te fugiat ſaucias portiones inteſtinorum ſatis amplas a ſanis integre reſectas mutuam extremorum unionem & coalitionem, favente manus peritia, permiſiſſe. Ea eſt canalis inteſtinorum fabrica & compoſitio, ut ſtillante ex vaſculis ſuccorum appellentium ferrumine disjunctæ fibrillæ ſenſim adhæreſcendo conglutinentur. Ex quaterno membranarum numero, quibus componuntur inteſtina, communis & muſculoſa ſolutam unionem reſtituere maxime poſſunt. Prima & exterior a peritonæo producta & meſenterio continua, vulnere ſeparata facile mutuatur a vicinis unde coaleſcat. Secunda carneis fibris conflata quæ ut alii muſculi, vulnere disjunctæ vel ulcere deroſæ, regenerationem perfectam recuperare aptæ ſunt. Nec majus negotium in cura faceſſunt nervoſa & villoſa inteſtinorum membranæ. Ampliores illæ, laxiores & molliores primarum niſus, propenſiones, nexus, adhæſiones & coalitus ſequuntur. Ex his procul dubio fontibus inexhauſtis, felices adeo ſucceſſus experta inter operandum audacior chirurgia, quæ deſperatis in rebus opem ſalutiferam morituris ex inteſtinorum prolapſu quærere non dubitavit.

## IV.

Herniarum ſpecies, quæ operationem expoſtulant, præſertim ſunt illa inguinalis, quæ *Bubonocele* vocatur, & umbilicalis *Exomphalos* dicta. In utraque tentatis incaſſum, quibus *Taxi* partes prolapſæ reduci poſſunt auxiliis, operationem tardare peſſimum. Durante ſtrangulationis tempore creſcit atque ſerpit latius inflammatio; hanc non claudo pede proſequuntur gangræna & ſphacelus lethi haud procul diſtantis prænuncia. Ergo quantum ex ægrotantis ſtatu dijudicare eſt, ad opus audacter ſe accingat chirurgus. Veſtigiis illuſtriſſimi *de la Peyronie* hac operatione pluries & feliciter celebrata inclytis inſiſtat. Hujus ſi peritiam non poſſit aſſequi, ſaltem imitetur, & gangrænam irridens ditiſſimas artis opes depromat. Noverit prius utrum inteſtinum ſolum, vel cum epiploo fuerit provolutum: noverit ex ſymptomatis & ſignis, an illæ partes ſane vel male affectæ ſint, ut pro diverſis caſibus diverſa prudens ſibi proponat agenda. Aliter enim in hernia recenti, aliter in vetuſta, completa & complicata; aliter ubi epiploon & inteſtinum graviter affici ſuſpicio eſt, operandum. Si recens fuerit hernia, nec inveterata ſtrangulatio hac methodo procedendum. Æger in margine lecti lateris herniæ reſpondente collocatus, elatis pauliſper coxis, diductiſque

que cruribus firmiter contineatur. Tum Herniotomus digitis manus ex una tumoris parte, dum miniſter ex altera cutim elevat : hanc ſcalpello recto juxta corporis longitudinem ampla ſatis diviſione ſecat, cavendo ne ſubjectum herniæ ſaccum imprudens pertingat. Diviſa ſic cute adipoſas cellulas inſtrumento, gallice *Déchauſſoir* vocato, minutatim dedolando deſtruit, donec peritonæum herniam continens omnino detectum fuerit, & annulus obliqui externi facile perſentiatur. Huic tum dilatando operam navare eſt ſpecillo ſulcato, quod extrema ſui parte inter annulum & herniæ ſaccum immittit chirurgus; dein idem ſpecillum introductum huc atque illuc leniter agitat, ut cognito nihil inter ipſum & annulum intercipi, ſcalpellum ſemicurvum juxta ſpecilli ſulcum verſus os ilium dirigat, atque ejus ope annulum ſecando dilatet. Hujus autem ſectionis ſignum quaſi chartæ pergamenæ cultro ſectæ ſonitus. Porro in hujus herniæ ſpecie vagina nullo modo adaperienda; ſed illa cum partibus prolapſis per dilatatum annulum intus repellenda, aut ad oras annuli relinquenda. Vulnus hic non turunda longa & dura, ut ſolet, per dilatatum annulum immiſſa curandum, ſed glomello e linteis carptis conflato, plumaceolis & ſpleniis mox vino calido madidis, ac deinceps ut in aliis vulneribus paratis & faſſciatione ſpica dicta artificioſe contentis. Plus difficultatis occurrit, cum hernia vetus, completa, complicata & adhæſione ſtipata; ſed maximam, ſi partes delapſæ vehementer affectæ. In prioribus ſaccus herniæ, ut plurimum ſero repletus, inteſtina majori volumine turgeſcunt, nec intus libenter regrediuntur; omentum ſolum aliquando vel cum inteſtino tumorem facit : alterutrum ſæpe vel utrumque ſimul peritonæo firmiter cohærent : tunc vagina hernialis ſecundum totam longitudinem adaperienda eſt, ut ſerum evacuetur, inteſtinum ſi illæſum fuerit intro perite reducatur, & omentum filo quam licuerit alte ligatum, tota qua deciderat parte reſcindatur. Adhæſiones, ſi quæ deprehendantur, inteſtini cum ſacco herniæ prudenter & maxima cautione inſtrumento *Myrtifolio* deſtruendæ. In ultimo caſu, ubi ſuppurationem vel gangrænam paſſum eſt inteſtinum, hoc modo ſe gerat chirurgus. Cute, ea qua jam memoravimus ratione, ampliori ſectione diviſa; herniæ vaginam aperiet, inteſtinumque diligenter obſervabit. Si ulceratum, pertuſum foraminibus, vel gangrænæ proximum animadvertat, ſcalpello dividet, ut contentis fæcibus liberum pateat iter. Idem quoque inteſtinum, ea qua gangræna læſum eſt portione, a ſano plane ſeparando ſecabit, & facta prius, ſi opus fuerit, annuli ſtrangulantis dilatatione, utrumque extremum ita punctis aliquot ſuturæ committet, ut ſuperius pyloro reſpondens, inferioris ad anum vergentis hiatum intromittatur. Nec obliviſcatur herniotomus, in utraque operatione filum per membranas inteſtini trajectum, foras pendulum eſſe relinquendum, ut hujus miniſterio fortem inteſtini ad oras vulneris admoti & retenti pernoſcat. Contingit ſæpe hac via fæces alvinas primis diebus effluere, nondum facta inteſtini utriuſque extremitatis unione. Sed natura paulatim medici

dici votis & chirurgi laboribus reſpondens, inteſtini aperti vel reſecti cum vicinis vel cum propriis membranis coalitum promovet, atque fæces ſolitum per anum curſum cogit reſumere.

## V.

Ne quis vero exiſtimaverit probabilia tantum & veriſimilia a nobis proponi, nec ſucceſſum ex operationibus allegatis ſequi poſſe felicem, legat incredulus hiſtoriam Regiæ ſcientiarum Academiæ, evolvat Diaria, tranſactiones Philoſophicas Regiæ ſocietatis Londinenſis adeat, conſulat Theſim in hac ſchola propugnatam. Ex ſingulis conſtiterit eventum infauſtum ex operatione Bubonoceles & exomphali in partibus graviter affectis celebrata numquam ſecutam eſſe [a]. Quæ præſtitit illuſtriſſimus Jatro-Chirurgus artis miracula cenſenda ſunt [b]. Nec minus encomium meretur, quod effecit Ramdohræus peritiſſimus. Hic illius imitator audax inteſtini duorum ferme pedum longitudine ex hernia putrefacti partem amputare non dubitavit, & extrema acus ſutura ita adjungere, ut poſtridie fæces alvinæ non per vulnus, ſed per podicem meare ceperint, ac deinceps cum ægrotantis integra ſalute perrexerint [c]. Tranſactiones Philoſophicæ plurimas circa herniam inguinalem & umbilicalem obſervationes referunt, quibus evidenter probatur operationem affecto inteſtino differri haud æquum eſſet [d]. Theſis Clariſſimi Mery ejuſdem operationis ſucceſſum curatione confirmat. Nos quoque obſervationem notatu dignam hic in probationis incrementum publici juris facere cenſemus, ut quiſque cuilibet audenti naturam in rebus deſperatiſſimis ſæpe faventem agnoſcat. Quatuor abhinc annis puella viginti circiter annis nata, robuſtioribus lacertis, cum aliquid attingendi cauſa ingenti niſu brachia ſurſum extuliſſet, dolorem acutum, cum audito crepitu dextro in inguine ſubito perſenſit: illa manibus admotis in doloris ſede tumorem palpavit, quem nulli tunc propter verecundiam auſa eſt oſtendere. Verum tribus elapſis diebus, accedentibus nauſea, vomitu, ructibus, & creſcente dolorum acutie, infelix chirurgum vocavit auxilium receptura. Tumor tactu, & ſymptomatis hernia creditur. Huic reductione mederi nititur chirurgus, impoſitis convenientibus ad emolliendum & relaxandum cataplaſmatis. Omnia tentantur in caſſum, ſymptomatum gravitas augeſcit in horas, vomitus frequentior evadit, ſtercora ore rejiciuntur, abdomen intumeſcit valide, ſudores frigidi, lypothymiæ cæteraque ejuſmodi funeſta viraginem invadunt: ſemianimis in noſtrum adportatur Noſocomium; ubi poſt aliquot horas lecto decubuit ſiſtitur vomitus, & tumor inguinalis mollior factus in vicinium extenditur. Cutis livida, ſubcærulea, phlyctænis onuſta & quaſi ſenſu privata a nobis deprehenditur; fluctuatio palpantis manum feriens liquidum effuſum admonet:



[a] Hiſt. R. S. Acad. ann. 1723 Mercur. gallic. Julii ann. 1734 p. 1543.
[b] Vid. commerc. Litter anno 1731.
[c] Vid. Tranſact. Philoſ ann. 1736 p. 201 & ſequ.
[d] Theſ. die 8. menſis martii anno 1734.

a nobis ſtatuitur inteſtinum ex violentiori conatu facta peritonæi dilatatione vel ruptura in inguen delapſum, ibique longiori mora & ſtrangulatione putrefactum, ac tumorem effuſis ſub cute fæcibus auctum & expanſum eſſe. Nec fefellit opinio. Cutis prudenter & caute admodum inciſione longa ſecatur; hac ſecta fæces ſubtectæ affatim exeunt. Partes herniam facientes examinantur; omenti pars ampla putrida, ipſumque inteſtinum in ovali apertura ſtrangulatum, longo foramine pertuſum conſpicitur: dilatatur annulus ope ſcalpelli ſpecillo ſulcato immiſſi. Quodcumque omenti corruptum auſertur facta prius ligatura. Inteſtinum perforatum ad margines annuli obliqui externi fixum trajecto filo & forinſecus pendulo relinquitur, fæces alvinas hac eructans. Curatur quotidie ut decebat vulnus, & fæcum copia ſenſim imminui viſa eſt, ægra identidem alvum ano deponente: elapſis dein octo menſibus fiſtula levis ſuccum chyloſum & bilioſum dumtaxat effluere ſinebat, dum durior fæcum materia canalem inteſtinorum recta ſequens podice rejiciebatur. Perſeverante interim vulneris exacta curatione, hujus & inteſtini labia poſt alios quinque menſes cum ægrotantis integra ſanatione perfecte coaluerunt.

*Ergo in Herniis inteſtinalibus etiam cognita inteſtini prolapſi læſione, operatio celebranda.*

FINIS.

PROLU-

LXIII.

# PROLUSIO INVITATORIA

*IN QUA*

# DE ENTERO-EPIPLOOCELE,

AGEBAT

## D. J. G. GUINZIUS.

Lipſiæ 4 Martii anno 1746.

DUbitanti mihi, de qua re in Proluſione ad Anatomicas, publice in Theatro habendas, exercitationes dicerem, in memoriam rediit Cadaver viri, ſexaginta annos nati, in eodem loco nuper inciſum, in quo, præter alia ſingularia, in cerebro præcipue reperta, herniam vidimus, atque Commilitonibus expoſuimus, qua ſcrotum in dextro latere intumuerat. Neque ab hoc argumento pertractando deterreri me paſſus ſum hoc, quod id a doctiſſimis viris ſæpe, & ita expoſitum eſſe intelligebam, ut, an de alio aliquo morbo tam plene dictum ſit, dubitari queat, quin id ipſum potius incitamento mihi fuit, ut aliis omiſſis, dilatiſque in aliud tempus, hunc morbum ſeligerem, præcipue, quia videbar mihi quædam in eo exemplo deprehendiſſe, quibus tum ab aliis, tum a me olim de herniis propoſita, illuſtrari poſſent.

Et hæc tantum memorabiliora expoſiturus, plenam hiſtoriam non dabo. Id tamen omittere non poſſum, ex iis herniis fuiſſe, quæ, præter omentum, inteſtinum continent. Etſi vero hujus exigua tantum particula in tumore erat, neque in ſcrotum devoluta, ſed in inguine hærebat, ea tamen totius tumoris rotunditas fuit, quam fere medentes inteſtinali herniæ adſcribunt; adeo, quamvis ex mollitie ſingulari, omentum tumori ſubeſſe, intelligeremus, tamen & inteſtinum in ſcrotum deſcendiſſe, ſed falſo, videbatur. Quod cum nos in mortuo corpore fefellerit, quanto magis in vivo poterit? in quo nempe immobilis facta hernia eſt, inflammationeque tenetur. Intereſt tamen multum, non falli, cum alia auxilia inteſtinum deſideret, alia omentum. Fefellit autem nos etiam hoc, quod tumor in annuli loco anguſtior, in ſcroto magnus ampluſque erat. Hanc enim inter herniarum inteſtinalium notas etiam eſſe, aut potius haberi, noveram. Atque omentum, cum, niſi ex inferioribus ejus quaſi angulis, alter devolvi non poſſit, videtur utique in ſcroto, ſi non in apicem quaſi terminatum, atque anguſtum, tamen non latum amplumque tumorem facere debere. Nam ſcire oportebat, cum ſitu partium, facile etiam earumdem naturam mutari poſſe. Quæ animadverſio neglecta quam multos magnoſque errores in arte medendi peperit! Infra autem, ut probabilis hujus mutationis ratio pateat, efficiemus.

Neque hic unicus error fuerit, qui ex herniis, in cadaveribus diligenter examinatis, emendari poſſit. Nam cute cum velamento adipoſo diſſecta, medentium plerique non proxime peritonæi adpendicem, quem ſaccum herniosum vocant, ſubeſſe dicunt, ſed celluloſam multam fibroſamque ſubſtantiam, cujus lamellas docent, ſpecillo ſubter demiſſo, forfice aut ſcalpello hinc illinc diſſecandas eſſe. Atque in ſanis ſcroti tunicas vaſorumque ad teſticulos pertinentium velamentum tale quid intercedere, equidem non ignoro. Memini etiam olim in hernia, mediocri & parum vetuſta ita vidiſſe, ut adpendix peritonæi diſtingui commode ſaltem non poſſet. Hæc vero non perpetua, & probabiliter in iis herniis aliter conſtituta eſſe, quibus aliquis diu laboravit, ex eo ipſo, de quo jam agimus, exemplo intellexi; in quo,

ſcroto late inciſo, peritonæi adpendix quaſi nuda, diſtinctiſſimaque adparebat. Neque hæc certe ab iis differunt, quæ alio loco de celluloſa ſubſtantia propoſui, quæ peritonæi adpendicem ſic amplectatur, ut hæc ipſi, tamquam vaginæ, inhæreat [a]. Nam ſinus, ſive adpendix peritonæi, etiam in hoc exemplo inventa fuit, ita per annulum deſcendere, ut non tam ante vaſorum, a ſemine nomen habentium, velamentum vaginale, quam in hoc ipſo eſſet. Cui quoque ab obliqui externi tendinea expanſione exterius producta membrana accedebat, quæ potuiſſet facile incautis imponere; ut pro ea ipſa expanſione, ex annuli loco, ante velamentum vaſorum vaginale, demiſſa haberent. Sinum vero peritonæi huic velamento inhaerere, manifeſtum etiam fuit hoc, quod, qui ante hoc velamentum deſcendit, cremaſter muſculus, aut ejus ſaltem interior, atque a ligamento Fallopii, prope oſſis pubis ſpinam, exorta pars, ſuperius interno ſinus lateri adcumberet, inferius in membranam explicata, & ipſum, ab anteriori parte, comprehenderet. Accedit ſinum peritonæi, ubi inciſus fuit, vere ex duplici lamina factum adparuiſſe; ex quo vel ſolo conſequitur, fuiſſe ipſi aliud velamentum circumdatum. Simplex enim peritonæum eſſe, abunde comprobatum eſt. Quod vero id ſinui ſuperadditum involucrum, tamquam alteram ejus laminam adparuiſſe, dixi, veramque adeo membranam nominavi, nihil poteſt iis detrahere, quæ de hoc involucro, a velamento vaginali non diverſo, propoſui [b]. Etſi enim hoc velamentum a celluloſo peritonæi contextu proficiſci certiſſimum eſt, tamen id vel in ſtatu maxime naturali veram membranam fingere tenendum eſt. Neque ignorare medentes poſſunt, celluloſum contextum, præcipue pleniorem, ſi adſidue comprimatur, ita mutari, ut a veræ membranæ natura proxime abſit. Tum vero plenum illum atque peramplum contextum eſſe, quibus vaſa ſpermatica implicita ſunt, manifeſtum eſt, neque de compreſſione, per herniam facta, facile ſaltem aliquis dubitabit. Neque aliam craſſitiei rationem eſſe, probabile eſt, quam peritonæi adpendicem, in herniis ſcroto inhærentibus, vetuſtate contrahere, ex medentibus plures opinantur, & quæ proinde non adpendici tantum, ſed vaginali illi velamento ſimul adſcribi debet.

Atque per hoc velamentum vaſa, genitalis humidi confectioni excretionique deſtinata, ad teſticulos ſic pertinent, ut quaſi aliquem funem referant, in herniis contra, tum quam nuper, tum quas aliis temporibus vidimus, quarumque aliquot inter arte præparatas humani corporis partes adſervamus, in faſciam vel membranam, diſpoſita adparuerunt, quæ peritonæi adpendici a poſteriori interiorique parte proxime accumbens atque inhærens, ad teſticulum proferebatur. Ad quod velim illi præcipue ex medentibus animum attendant, qui *Senffium* Berolinenſem chirurgum ſequuti, ut reditus herniæ eo certius avertatur, ſeparandam peritonæi adpendicem a vaſis, ſinoque ſub annulo vinciendam conſtringendamque jubent. Ut enim non id ſepe-

[a] Vide ſis obſervationes noſtras de Herniis pag. 50.
[b] Loc. cit.

repetam, quod de hac, non prorſus nova curandi ratione alio loco propoſui, [c] ſi recens hernia ſit, neque peritonæi adpendix multum obcalluerit, ſeparari eam a vaſis nullâ arte poſſe, ut hæc integra maneant, id potius retractare non dubito, quod eodem loco de hac ſeparatione in vetuſtis herniis opinatus ſum. Non enim in hoc tantum, antiquæ herniæ exemplo, verum in tribus aliis quoque, quorum una plus quam triginta annos habuit, & ſtupendâ magnitudine fuit, eam inter ἀδύνατα pertinere, cognovi. In omnibus enim ad teſticulos pertinentia vaſa peritonæi adpendici tam arcte adhærebant, aut potius quaſi innata erant, ut, quomodo, in vivo corpore, integra ſeparari a ſe invicem poſſent, animo comprehendere non potuerim.

In omnibus quoque exemplis ſemen conficientia vaſa non recta poſt peritonæi adpendicem adparebant, ſed potius ab ejus interiori latere, quod aliter a *Maucharto* [d] expreſſum fuit, niſi fortaſſis, ut clarius adparerent, in medium locum quaſi produxit; aliter enim vas deferens quoque minus ibi in conſpectum veniret, quod nempe poſt ſpermatica vaſa, a teſticulo, per annulum, ad receptacula ſeminis pertinere, notiſſimum eſt. Neque inutile erit, tirones monere, quam partem *Mauchartus* parietem ſacci vulgo dicti inferiorem nominat, eam potius poſteriorem dicendam eſſe, atque ſpermatica vaſa quoque multo magis, quam ibi expreſſum eſt, ramoſa, implicitaque inveniri. Dubitamus quoque an ſatis cum eo, quod ut plurimum fieri videtur, *Palfyni* [e] icon conveniat. Saltem in omni ſcrotali hernia peritonæi adpendicem vidi ita ad teſticuli dorſum pertinere, ut inter hoc atque adpendicem nihil vaſorum ſemen conficientium in conſpectum veniret. Dum vero iconum mentionem facio, quas de herniis, præcipue ſcrotalibus, paratas ex medentibus nonnulli propoſuerunt, non poſſum duas illas *Maucharti* [f] omittere, quatenus præter illum ſaccum, quem interior, & vera peritonæi membrana format, alium exhibet, quem ejus exterior pars, quam hic vaginalem tunicam nominant, cum dartos membrana conſtituat [g]; etſi, quid ad hoc ſive confirmandum, ſive reprobandum invenerim, ex ante dictis non prorſus obſcurum erit. Ut vero de membranæ dartos nominatæ ſtructura non dicam, hanc tamen nunquam inveni cum vaginali vaſorum tunica ita cohærere, ut non fibroſa quædam ſubſtantia intercederet. Et quamvis vaginalis ipſa in hernioſis ita fere mutetur, ut veram membranam referat, tamen hoc eam exterioris peritonæi ſubſtantiæ partem non ſpectat, quæ ſuper annuli loco eſt, quamque, cum *Mauchartus*, ut veram membranam exhibeat [h] ſemper, in hernioſis quoque longe, quam reliquis in locis, tenuiorem inveni.

[c] Ibid. pag. 51.
[d] Vid. ejus Diſſert. de Hernia incarcerata ſcroti Fig. 3. I. I.
[e] Quam nempe in chirurgia ſua exhibet.
[f] Quas in citata Diſſertatione, præter jam adlegatam, propoſuit.
[g] Vid. loc. cit. Fig. 2. D. D.
[h] Fig. 3. B.

veni. Neque demum hanc ipſam exteriorem peritonæi ſubſtantiam totam celluloſam eſſe, hac ætate aliquem fugit, quam potius *Mauchartus* vult, tanquam veram membranam, per celluloſam ſubſtantiam, ab interiori peritonæi membrana ſejungi. Hanc tamen celluloſam ſubſtantiam in eo, de quo nunc agitur, exemplo, veram membranam fingere, & quaſi duas proinde diſtinctas ſacci hernioſi laminas eſſe, jam ante dictum eſt. Idque me movet, ut, quod alio loco, ſine dubitatione propoſui [ *i* ], de eo jam equidem non parum dubitem, hernias ſcilicet, quæ inventæ ſunt triplici vel quadruplici ſacco comprehenſæ eſſe, earum exteriores ſaccos non fuiſſe a muſculorum abdominis aponeuroſibus formatos. Ut enim annuli crura fatear, ut in omnibus paulo antiquioribus & majoribus herniis, ita in hac noſtra quoque, laxata, paululumque producta fuiſſe, eorumque fibras diductas, tamen hæ ultra annuli locum vix deſcenderunt. Contra tam valida exterior ſacci lamina fuit, atque ab annuli loco ita deducta, ut, quomodo fallere aliquem potuerit, jam quidem facile intelligam. Neque infirmare ſententiam meam ſaccorum numerus poteſt, quoniam celluloſæ ſubſtantiæ plura ſtrata ſunt, ut proinde ex illis per intervalla compreſſis, atque, per aliquot leviores inflammationes, craſſioribus factis, plures membranæ quaſi oriri queant. Habet etiam illa crurum annuli laxatio hanc vim, ut, de quo ſemper dubitavi, non poſſit facile, ſaltem in magnis antiquiſque herniis, in annuli conſtrictione cauſſa immobilitatis herniæ poni. Denuo etiam ex hoc exemplo cognovi, eamdem cauſſam vix poſſe in dartos membrana quæri, quæ *Garengeoti* opinio fuit [ *k* ]. Ut vero etiam ad ea tranſeam, quæ intus in hernia fuerunt, adpendice peritonæi ſecundum omnem longitudinem inciſa, nihil, præter omentum, vehementer compreſſum, adparuit. Ipſum quoque inferius ita replicatum inventum eſt, ut quaſi ſaccum formaret, qui inteſtinum comprehenderet, quod, ut fere ſolet, complicatum, vix digitum tranſverſum ultra annulum deſcendit. Erat autem ilei pars, quæ tres circiter latos digitos a craſſis abeſt. Hunc quaſi omenti ſaccum *le Dran* [ *l* ] jubet incidere, ut, quod ſubeſt, inteſtinum, eo tutius reponi in ventrem poſſit. Sed hoc quidem non ſine periculo fieri poſſe, exiſtimo, quoniam non, ut in ventre, membranæ in modum explicatum omentum eſt, ſed plicas multas arcte compreſſas habet, quemadmodum in noſtro exemplo, ubi eductum, explicatumque erat, vel quadruplo latius fuit, quam ubi in peritonæi adpendice compreſſum hærebat. Accedit longe majorem omenti in hernia concluſi, quam in ventre libere hærentis craſſitiem eſſe. Quare debet propter hanc variam & craſſitiem & complicationem omenti facile accidere, ut cum omento, dum ad inteſtinum nudandum inciditur, etiam hoc lædatur.

Atque

[ *i* ] Loc. cit. pag 72. ſq

[ *k* ] Anat. des Viſcer. Tom. II. pag. 9. ſq.

[ *l* ] Obſerv. de chirurg. Tom. II. p. 6.

Atque præſtare exiſtimo, replicatum omentum ex infimo ſacci loco caute protrahere, explicatumque ad inguen reclinare, ac, ſi forte peritonæi adpendici adhæreat, prius reſolvere. Omenti autem modum, qui in hernia, etiam parum antiqua eſt, ſemper contra naturam magnum eſſe, ſciendum eſt. Neque vero propter inflammationes tantum intumeſcit, vel tumidum ſemper ſcirrhoſum eſt, quin ut plurimum potius tumor omenti a pinguedine eſt, quæ cellulas ejuſdem ultra modum extendit, tumque & craſſitiem, & latitudinem auget. Idque in noſtro exemplo etiam ex hoc manifeſtum fuit, quod, quamvis meſenterium, quod libere in ventre fluctuabat, parum pinguedinis contineret, quæ tamen cum ileo vel ad orificium ſacci tantum deſcenderat, pars ita, propter collectam pinguedinem turgebat, ut hæc vel inter inteſtini tunicas eſſet. Atque improbabile non eſt, tum omentum, tum meſenterium, quod in herniis eſt, multam pinguedinem colligere, quia tardiſſimus debet ſanguinis per eorum vaſa motus eſſe, ſub quo pingues particulæ commode ſecedere queunt. Confert etiam aliquid herniæ ſitus, quam nempe neque abdominis muſculi, neque aliæ externæ cauſſæ movere multum & agitare poſſunt.

Debet autem hæc res ſine dubio nonnulla in dignotione curationeque herniarum, quæ omentum habent, mutare. Atque per hoc ſine dubio fit, quod & in noſtro exemplo obſervatum eſſe, ſupra monui, ut ima herniæ pars, non in apicem, verum in rotundulum amplumque tumorem deſinat. Eademque res ex parte cauſſa eſt, per quam hernia, quæ ex devoluto in ſcrotum omento orta eſt, ſive cum inteſtino, ſive ſine hoc ſit, vix unquam reponi poſſit. Sicca enim pinguedo, qualis fere in anguſto ejuſmodi compreſſoque loco colligi ſolet, gliſcere omentum, atque, ſub digitorum compreſſione, intus effugere impedit; neque modus omenti in hernia auctus, quod in inteſtinali non incidit, repelli ipſum per anguſtius ſacci orificium ſinit. Accedit, quod in ventre omentum eſt, uti cum ex hoc, tum ex aliis olim exemplis didici, ut plurimum pariter pingueſcere. Quare etiam, cum vix ſpatium ſit, quod omentum admittat, refundi vix poteſt, aut, ubi repoſitum fuerit, brevi iterum devolvitur. Preſſum etiam facile quaſi hiatum ſub pila vincturæ invenit, quem ſubit. Neque ſatis tuto omentum refundi exiſtimo, etſi poſſit. Quæ ſi de eo omento valent, quod inflammatio non tenet, quanto magis de eo debent, quod inflammatione intumuit? Quare nulla facile hernia curabitur, in qua non omentum, etſi vere induratum non fuerit, ſectione auferri debeat. Quæ cum aliquantum diverſa eſſe ſententia ab ea videatur, quam alio loco propoſuimus [*m*], vere enim non eſt, tamen & adhuc eamdem habeo de lino omento, quod reſecari debet, nunquam injiciendo [*n*]. Ut enim, quæ olim argumenta adducta ſunt, jam equidem non repetam, omentum lino conſtringi vel propter hoc non debet, quia, ubi peritonæo poſt herniæ ſectionem, in annuli loco, adhæſit, a diaphrag-



[*m*] loc. cit. pag. 55. vid. etiam p. 105.
[*n*] Ibid. p. 54 ſq. & p. 104 ſq.

mate æque atque abdominis muſculis compreſſum redire, herniam fere neceſſario facit. Hoc etiam, quod omentum a pinguedine collecta intumuit, ſanguinis profuſionem prohibere, aut levem admodum facere debet. Vaſa enim eo magis compreſſa & anguſta eſſe oportet, quo major pinguedinis vis ipſis circumeſt. Omentum vero in ea hernia, de qua nunc agimus, vel in ventre, & ſub ingreſſum ſinus peritonæi, tumidum inventum eſt. Quocirca, cum parum tutum ſit, quo in ſana parte ſecari poſſit, ex ventre omentum protrahere, quæ in ſinus peritonæi orificio, etſi mobilis, omenti pars hæret, eam digito in ventrem refundi explicarique, quantum poteſt, oportet, ac verſus ſiniſtrum latus, compelli. Neque denique ab hernia noſtra id abfuit, quod omnibus fere antiquis herniis commune eſt, quod nempe omentum cum peritonæi adpendice coaluerat. Coaluerat autem per duas quaſi particulas cum medio fere loco averſæ adpendicis partis. Ex quo illum nexum collegi factum fuiſſe ante, quam hernia ad magnitudinem illam pervenerit. Neque aliam cauſſam eſſe, ob quam omentum quaſi aliquem ſinum formavit, cui ſuperiori loco inteſtinum inhærebat. Ut vero talem omenti cum peritonæo nexum reſolvere difficile non eſt, ita, ſi ejus quædam in ſinu peritonæi reliquiæ ſunt, brevi emoriuntur, atque abſcedunt. Hactenus de hernia.

In cadavere feminæ, quod jam Numburgo in theatrum noſtrum delatum fuit, conſtitutum mihi eſt, cerebrum, & quæ ad hoc pertinent, tumque ab eo provenientes nervos, pariter ac oculos, aures, nares, linguam, atque mammas cum genitalibus partibus, publice exponere. Quæ partes omnes, cum ad vitæ & uſum & dulcedinem plurimum conferant, ſpero equidem, non ingratos hos conatus noſtros omnibus curioſioribus futuros eſſe. *Rectorem igitur Magnificum*, *Comites Illuſtriſſimos*, *utriuſque Reipublicæ proceres graviſſimos*, *generoſiſſimos atque nobiliſſimos bonarum artium litterarumque ſtudioſos*, & quicunque ſtudiis noſtris favent, rogo majorem in modum, velint hunc nobis honorem habere, ut frequentes exercitationibus noſtris interſint. Earum initium faciemus cras die lunæ, qui III. Mart. eſt, hora ſecunda poſt meridiem. Poterunt quoque decima hora ante meridiem cum amantiſſimis commilitonibus accedere, quæ ſectioni deſtinata eſt. P. P. Dom. Remin. A. R. S. MDCCXXXXVIIII.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

QUÆS.

LXIV.

# QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

*Quam Præſide*

M. J. Fr. LE CHAT

*DE LA SOURDIERE M. D.*

*Tuebatur*

JOAN. JAC. MESSENCE.

*Sub hac Verborum ſerie*

AN CHIRURGICÆ HERNIARUM CURATIONI MUSCULORUM STERNO-MASTOIDEORUM TENSIO NOCEAT?

Pariſiis 29 Februarii anno 1748.

I.

VOlubilem ac varie circumgyratam inteſtinorum corporis humani ſeriem, toto corpore adulto ſexies, juniore ſepties, infantili octies longiorem, flexuoſis meſenterii ac meſocoli marginibus imperturbato ordine intimius innecti; eamdemque peritonæi imperforato undique culeo, muſculorum abdominis hiante ad umbilicum & inguina periſtromate, pinguedinoſi tomenti ſpongioſa ſive cavernoſa congerie, totius denique corporis communi integumento cute circumvallari, ſatis ſuperque notum. Sarta tecta horumce limitum compage totus inteſtinorum tractus perpetuo quodam reptatu lumbricorum haud abſimili motu, non quidem progreſſivo, ſed undarum minimarum inſtar oſcillante, functiones ſuas obit ſaluberrime. Violatis in aliqua parte limitibus hiſce, parti violatæ proximior inteſtinorum portio illapſa, vel paulatim una cum peritonæo ſacculi inſtar protenſo, vel confeſtim eodem vulnerato, aut minima diſtractione rupto, tumorem effingit herniæ generali nomine inſignitum, ac pro diverſitate tum violatæ partis, tum prolapſæ inteſtinorum portionis, & ipſam quandoque comitantis omenti, diverſis paſſim e Graiorum idiomate deſumptis appellationibus nuncupatum.

II.

Hujuſcemodi, quæ titulo verarum, a ſpuriis vulgo dictis humoralibus apprime diſtinguuntur, herniarum, a quibuſcumque demum cauſis, ſive internis, uti partium debilitate, conformatione prava, laxitate viſcerum, indurata fæcum alvinarum congerie, &c. ſive externis, uti vires partium excedentibus impetu, niſu, pulſu, portatu, lucta, ſaltu, curſu, equitatu, cantu, flatu, riſu, ploratu, planctu, vomitu, ſingultu, ſcreatu, partu, ſubitanea divaricatione crurum, brachiorum ſupra caput porrectione violenta, &c. prodierint; alias facillime, difficilius alias, aliaſque nullatenus curationi cedere quotidiana teſtatur experientia. Teſtatur eadem plurimas optato ſanatas curatione chirurgica, nullas omnino pharmaceutica. Nec eſt quod mireris. Reducere partes eliminatas, reductis limina præcludere, curationis chirurgicæ munus & opus. Primum abſolvit taxis, vel ſimplex, vel diæreſi juncta. Alterum faſciis, ſubligaculis unicuique ſpecialiter accommodatis obtinetur; ſufficienter quidem taxi peracta ſimplici, diæretica autem ſolidata perfectius. Utriuſque encheireſis adjumenta varia, varia impedimenta. Ad muſculos abdominis quam maxime attendendum. Obſtat horum tenſio, remiſſio ſive laxitas favet. Tenſio reductionem vel tardat, vel impedit inteſtina videlicet premendo, cavitatem abdominis coarctando, hiatumque aponeuroticum ſtringendo. Laxatione vero, relabentibus per ta-

xim, ſive ſimplicem, ſive diæreſi comitatam inteſtinis, limina pandunt, illapſiſque convenienter cedunt. Reſupinato corpore, ſuffulto utroque trunci extremo, regione media ſive lumbari demiſſa, utroque flexo femore, præſertim vicino, laxitatem eorum acquiri poſſe, vitari tenſionem ſæpius exploratum. Nihilominus adhibita quantocumque ſtudio cautione iſta, repentinas per intervalla tenſiones eorumdem, curationem chirurgicam interturbaſſe, non raro obſervatum. De tenſionibus ejuſmodi anxius, cauſamque ignoratam ſciſcitans, ſi quem audiret non tam abdominis muſculos quam capiti inſervientes ſterno maſtoideos accuſantem, vel forſan male contentus ſtomacharetur, vel ſubridendo flocci faceret effatum. Aſt anatomen conſultat, audiat expertos, in ſemet-ipſo phænomena exploret. Profecto aliter ſentiet hæc edoctus, ſentietque muſculos ſterno-maſtoideos æque ac muſculos abdominis poſſe, in chirurgica herniarum cura, vel adjumento eſſe, vel impedimento.

III.

Aurium poſteriora inter & ima juguli, obliquo ac fere diagonali utrinque ſitu muſculi duo, ſterno maſtoidei, vel ſterno-cleido maſtoidei dicti ita locantur, ut ambo ſimul directe ſpectati litteram Romanam V Majuſculam quodammodo referant, ſuperne videlicet recedentes a medio, ad medium vergentes inferne. Latiſſimo tendine parieti convexo maſtoideæ apophyſeos omnimode ac firmiter altera utriuſque extremitas inhæret; altera vero bifida ſupremo ſterni angulo partim, partim claviculæ viciniori. Toroſa admodum intermedia utriuſque portio venter paſſim appellata. Flexores capitis vulgo nuncupantur, titulo nimis ſtricto: ut pote prætereà, non ſolummodo capiti alternis vicibus utrolibet circumagendo, ſed etiam collo motibus iſtis accommodando, inſervientes. Flectere, vel potius inclinare, ac ſummo pectori magis minuſve admovere caput, amborum ſimul contractorum munus eſt: latera verſus circumvertere caput non uterque ſimul poteſt, ſed dumtaxat alteruter, altero quieſcente. Alternos hoſce motus capitis quomodocumque ſito corpore exequi poſſunt muſculi ſterno-maſtoidei; nullatenus autem illud flectere, ſive anteriora verſus inclinare: niſi ſupino, vel poſteriora verſus reclinato corpore. Hoc recte ſito, caput ita flectendum vel inclinandum ope muſculorum non eget; ſed ſola mole ruit ſua: laxatis ad arbitrium poſterioribus muſculis, qui extenſores ejuſdem appellari ſolent. Hinc ſatis ſuperque patet, corpore ſupinato, caput anteriora verſus movere, idem fere eſſe ac ponderoſam ejus molem ſuſtollere. Non miraris! Miraris autem tanto oneri ferendo ſufficere muſculos iſtos, ut pote non ſtabili aut immoto puncto, ſed inſtabili motuſque reſpirationis comitanti ſterno affixos. Mirari ceſſabis anatomici conſultatione edoctus, muſculos abdominis rectos ſuperius imo eidem oſſi: utrique firmiter inhærentes valida portionum toroſarum contractione, ſternum cohibere poſſe, ſternoque cohibito, muſculis ſterno-maſtoideis caput attollere, ac verſus anteriora movere conantibus, firmum tractionis punctum optato præſtare.

IV.

I V.

Anatomicis convictus argumentis ita fieri poſſe, reapſe vero fieri nondum perſuaſus, objiceres forſan axioma triviale, a poſſe ad eſſe non valere conſequentiam? Bene, & quidem optime! Rem quippe totam minima quandoque variat circumſtantia, dubiam reddit, imo ſuſpectam. Idcirco de re ipſa certiorem te facere ſi cupias, ſeptemviri ſapientis apophthegma. Noſce te ipſum, axiomati trito ſuperadde. In temet-ipſo phænomenon examina: noctuque ſub tegmine lecti recubans, temet-ipſum explora. Directe ſupino corpore, capite parumper ſuffulto, genubus tantillum inflexis, memoratos tum capitis, tum abdominis muſculos omnimode molles, nullibique tenſos ſenties: modo valetudine non impeditus, neque heſterna ſarcinatus cæna. Mox eodem continuato ſitu, manum alteram abdomini medio leviter impone; impoſitam ſuſtine, altera manu collum ſive guttur utrinque amplexare molliter: manum utramque utrobique ſic relictam, ſi eodem tempore caput (quaſi quæ circa pedes geruntur obſervaturus) ſuſtollere, vel erigere conaris: illico tenſos ac rigentes tum Rectos abdominis, tum Sterno-Maſtoideos capitis (funium tenſorum inſtar) ferire miraberis; at mirari déſinens indubitanter judicabis in cura herniarum chirurgica æque ad muſculos Sterno-Maſtoideos attendendum eſſe, atque ad muſculos abdominis: eidemque curationi non minus iſtorum, quam horumce tenſionem obſtare, laxitatem favere certo aſſeverabis.

V.

De iis ſi tibi aliquid adhuc dubii ſuperſit, praxis clinicæ expertos audias. Theſim luſtra, hiſce in ſcholis anno 1732, propugnatam, ſub præſidio collegæ Clariſſimi D. Winslow, ſoceri cariſſimi, qui ſic loquitur [a] „ Graviori morbo decumbentem duo ſimul Medici examinant. Inter hæc, inopina quadam muſculorum abdominis tenſione, aliquid hic mali ominis indicat alter, alter nil quod timendum foret expertus timenti ſocio, manum, inquit, admoveamus ambo ſimul: non quidem feſtinanter ſed attente. Tunc ille muſculorum eorumdem tenſiones non continuas, ſed laxitates identidem interpolatus miratur, magis autem miratur placidum imperterriti ſocii vultum. Scilicet hic decumbenti ea quæ ſupra lectum circa pedes gerebantur animadvertendi, adeoque, ut facilius animadverteret, caput eodem momento aliquantiſper levandi occaſionem, ſubinde pepererat; nimirum (ante plures abhinc annos) expertus, ſupino corpore jacentem non poſſe caput attollere, niſi trahentibus muſculis ſterno mobili affixis; hos autem conari fruſtra niſi muſculorum abdominalium ope ſternum ſimul reddatur immotum ”. Scias interim oportet ipſum præterea, tum in lectionibus ac demonſtrationibus publi-

[a] Winslow, quæſtione quodlibet, diſp. 7 Februar. 1732, an in cognoſcendis errores funeſtos vitare poſſit anatomes parum duntaxat gnarus?

publicis, tum in conſultationibus clinicis, jamdudum monuiſſe decumbenti ipſimet non permittendum eſſe conamen caput flectendi, ſive attollendi, ſed toties, quoties vel bibendi juſcula ſorbendi neceſſitas poſtulaverit, illud aliena manu tantummodo ſublevandum eſſe: idque non ſolum quoad herniarum, ſed & quarumcumque partium abdominis, tum internarum, tum externarum curationem chirurgicam: imo quoad ejuſdem ventris, illiuſque viſcerum inflammationes obſervari debere. [ *b* ] Muſculorum ſterno-maſtoïdeorum extremitatem maſtoïdeam articulatione cranii condyloïdea poſteriorem eſſe, ac proinde non flectendo capiti, ſed potius retrorſum movendo eoſdem muſculos aptos eſſe ſcribentes, latitudinem tendinis, ejuſque portionem anticam haud conſideraſſe videntur. [ *c* ] His omnibus rite perpenſis, luce meridiana clarius eluceſcit, incertam eſſe, imo fallacem qualemcumque muſculos ipſos abdominis tenſos relaxandi methodum: niſi adhibita ſimul ſollicita muſculos ſterno-maſtoïdeos relaxandi cura; maximique propterea momenti hanc eſſe concluſionem.

*Ergo chirurgicæ herniarum curationi, muſculorum ſterno-maſtoïdeorum tenſio nocet.*

[ *b* ] Vid. Expoſ. Anat. ipſius tractat. de Muſcul. N°. 1173. ſeq. & ejuſd. ad D. Morand, Epiſtol. de alto apparatu, &c. N°. 111.
[ *c* ] Expoſ. Anat. tract. cit. N°. 1176. ſq.

FINIS.

DISSER-

LXV.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

DE

## ENTERO-OSCHEOCELE ANTIQUA RESTITUTIONE SACCI HERNIOSI FELICITER PERACTA, ABSQUE BRACHERIO ET SECTIONE CURATA.

*Quam Præſide*

MAT. GEORG. PFANNIO P. P.

*Tuebatur*

J. B. SCHOLLER

*BARUTHINUS*

Erlangæ 7 Maii anno 1748.

# PROOEMIUM.

SApientiſſimum Creatorem in ſtruendo humano corpore elegantiæ æque ac commoditati noſtræ mirifice conſuluiſſe, vel exinde patet, quod vaſtum inteſtinorum tractum, in tam anguſtum, quod videmus, ſpatium redegerit. Quum cuncta inteſtina ſexies circiter longitudine, ipſius corporis altitudinem excedant; ſane moleſtum ſatis ambitum requiſiviſſent, niſi ſummus artifex per miros anfractus atque complicationes illi proſpexiſſet. Atque ne a quovis concuſſu, vel corporis motu inevitabili a ſuis recedant finibus; non ſolum ea meſenterio, meſocolo variiſque aliis in infimo ventre ſitis partibus firmiter annexa; verum etiam ab integumentis communibus, muſculis abdominis, & membrana valida quadam, quam *peritonæum* vocant, coarctata videmus. Quæ ſepimenta, ut ita dicam, niſi a cauſa aliqua violenter agente vires eorum infringantur, viſcerum in cavitate ſua retentioni ſufficiunt, niſuique, quo perpetuo terminos excedere conantur, æqualiter reſiſtunt. Attamen ſi moles inteſtinorum magna, a quacumque id demum fiat cauſa, ad illa vehementius fertur, non raro accidit, ut æquilibrium hoc tollatur, cunctaque infimi ventris integumenta ſatis reſiſtere nequeant; ſed potius in parte debiliori, aut ea, quæ maximam ſuſtinet preſſionem, cedere cogantur. Quo fit, ut peritonæum variis in regionibus, vel diſrumpatur, quod tamen rarius accidit, vel ſimul cum aliis integumentis extrorſum protrudatur, atque tumor ſub cute inde oriatur quem Græci Κήλην, Latini *herniam*, *deſcenſum*, *prolapſum*, Germani aſt improprie, *einen Bruch oder Leibes-Schaden*, vocant. Eodem fere modo ac de inteſtinis nunc propoſuimus, alia quoque viſcera in abdomine ſita e. g. omentum, ventriculus, veſica, lien, uterus, &c. idem præſtare poſſunt; prout *Ruyſchius* Obſ. 98. *Dœring.* in Epiſt. ad Hildanum, *Spigelius* de fabrica Lib. VIII. cap. 4. *Bohnius* in chirurg. rationali p. 230. aliique teſtantur. Videmus itaque, hernias non ſolum quoad *locum*, quo prolabuntur; ſed etiam quoad *contenta*, quæ tumorem conſtituunt, inter ſe differre. Qua de re varia ſortiuntur nomina. Reſpectu *loci* vocant illas medici: omphalocelas ſeu *hernias umbilicales*, quæ umbilicum indecenter attollunt; bubonocelas, *hernias inguinales*, quæ ſedem in inguinibus habent; *crurales*, quæ per viam vaſorum cruralium prorumpunt; *ventrales*, quæ aliis abdominis regionibus enaſcuntur; ac tandem oſcheocelas, *hernias ſcrotales*, quæ ſcrotum indecore diſtendunt. Alias autem denominationes accipiunt a *viſcere* devoluto. Si *inteſtina* prolapſa, enteroceles; ſi *omentum*, epiploceles; ſi *ambo* ſimul, entero-epiploceles nomine inſigniuntur, ſicque ab aliis quoque viſceribus egreſſis nomen petendum eſſe arbitror. Omnes hactenus deſcriptas ſpecies recentiores chirurgiæ ſcriptores hernias *veras* appellare ſolent, quia ab inteſtinis, vel alio viſcere abdomi-

 nali

nali formantur. Dari autem plures adhuc alias, ſub *ſpuriarum* nomine venientes, nullum fere medicinæ gnarum latere puto. Occupant ejuſmodi herniæ eadem, quæ veræ, loca; aſt in eo, ab his potiſſimum diſcrepant, ut vel ab humore aquoſo præternaturaliter collecto, vel ab excreſcentiis carnoſis, vel ab aëre, vel ſanguine, vel a facta p. n. vaſis venoſi diſtenſione, originem trahant. Referuntur ergo ad hanc claſſem, ſarcocele, hydrocele, hæmatocele, varicocele, ſicuti de hiſce omnibus prolixius egit Celeb. *Heiſterus* [a] Patronus atque præceptor olim meus æternum colendus. Ex quibus tam pluribus, tamque diverſis herniarum ſpeciebus facile intelligitur, qualis latus dicendi campus ſingulas illas tractanti pateat. Verum enim vero, cum mihi pro dignitate Doctorali mox rite obtinenda, ſpecimen diſſertationis limitibus circumſcriptum, typis exhibendum ſit: de unica tantum ſpecie *oſcheocele* ſcilicet, ſeu quod idem eſt de *Bubonocele* & quidem *completa* agere conſultum duxi. Fateor quidem haud paucos, eoſdemque egregios chirurgiæ ſcriptores hanc materiam fuſius jam ac ſatis erudite pertractaſſe. Quum vero hernias curandi methodum quod attinet, auctores in tam diverſas abeant ſententias, ſuadentes alii ſacci hernioſi una cum reliquis elapſis partibus, repoſitionem; alii eamdem, ſi imprimis diu hernia duraverit, ceu noxiam planeque impoſſibilem rejicientes; caſum quemdam ad *Excellentiſſimo Domino Præſide* ante aliquot annos in felici, quam exercet, praxi ſua obſervatum, mecum benevole communicatum, atque ob varia, quæ herniarum doctrinam magis illuſtrant, attentione omnino dignum, quantum per temporis paginarumque anguſtiam licebit, pro virium mearum ratione, hic exponendum eo lubentius in me ſuſcepi, quo clarius ex ejuſdem paulo ſpecialiori indagine in ſequentibus patebit, & proficuam & poſſibilem utique eſſe, certis ſub conditionibus, etiam in hernia inveterata, relaxati inque ſaccum degenerati peritonæi reſtitutionem. Faxit numen divinum, ut cœpta hæc cedant in ſui gloriam proximique miſere ita afflicti emolumentum.

## CASUS.

Vir quidam XXIX. annum agens, cæteroquin ſanus, firmoque corporis habitu præditus, ſub initium anni MDCCXXXVI, qui fuit ætatis ſuæ annus XVII. ex vitio a nimia ventriculi repletione orto, febre tertiana intermittente, corripiebatur. Æger morbi moleſtia conflictatus, in principio ſtatim auxilium adverſæ valetudinis a medico petiit. Qui advocatus ad profligandam febrem, una cum aliis medicamentis, validum quoddam emeticum illi præbuit. Licet hic ad vomitum haud proclivis, difficilius vomuerit: ab hoc tamen medicamento, largiori forſan doſi propinato, ſepties circiter effectum expertus eſt. Quo quidem factum eſt, ut febris inſultus non amplius redirent; verum mox poſt violentas ſurſum factas dejectio-

[a] In chirurgia Tom. II. cap. 121. ſeqq.

jectiones tumor parvus, cum aliquo dolore tenſivo junctus, in inguine dextro ſurrexit. Quem vero ægrotus, indolem illius neſciens, nullaque gravia inde ſymptomata in principio ſentiens, parum curabat; ſed in corporis exercitiis, arte ſcilicet ſaltandi, digladiandi ac equitandi, ea qua antea conſuevit, ſolertia pergebat. Tantum vero abeſt, ut tumor ille, qui herniæ naturæ fuit, inter vehementiores ejuſmodi corporis motus ſtatum ſervaverit; ut potius annorum ſerie altius verſus ſcrotum deſcendendo majus incrementum acquiſiverit, ac tali modo hernioſis familiaria varia pepererit gravamina. Quamquam ægrotus a malo per triennium nunc vexatus, naturam illius atque periculum inde metuendum demum animadverterit, verecundia tamen retentus, nullum a perito medico aut chirurgo conſilium petiit; ſed ipſe quantum potuit, tumori manus admovit, atque repreſſionem devolutarum partium, præſertim noctu, quando lecto tenebatur, tentavit ac perfecit. Quæ res illi etiam interdum ex voto in quieto cubitu ſponte ita ſucceſſit, ut nullo diætæ errore commiſſo, per aliquot dies nihil quandoque prolapſus, ſub dicta conditione, in conſpectum veniret. Hoc felici eventu hernioſus noſter, malum non amplius leve judicans, permotus eſt, ut validis corporis motibus, quos antea tam frequenter ſuſcipiebat, quantum potuit, ſuperſederet, id quod inter præcipuas referendum eſſe videtur cauſas, quibus effectum eſt, ut tumor iſte hernioſus, habito ad complurium annorum decurſum reſpectu, in magnitudine non admodum accreſceret; licet non negemus, quod poſtea vitæ genus, regulis diæteticis ſtrictius accommodatum, imprimis abſtinentia a victu crudo atque flatulento, qui, prout experientia id docuit, majori intumeſcentiæ quovis tempore anſam præbuit, incremento mali variiſque ſæpius exinde naſcentibus gravibus incommodis, arctiores poſuerit limites. Circa initium anni MDCCXLV. præterlapſis ab origine mali IX. integris annis, ægrotus affectu colico, cui hernioſi haud raro ſunt expoſiti, correptus, morbi cruciatibus diu continuantibus, *Excell.* D. *Præſidis* auxilium tandem imploravit. Hic in cauſas hujus morbi curatius inquirens rem eo perducebat, ut ex ingenua, quam ipſe æger dabat, relatione, mali per novem annos ſtudioſe celati, ejuſdemque decurſus, uti ipſum hucuſque deſcripſimus, plenariam ſibi comparare poſſet notitiam. His non contentus laudatus Dnus *Præſes* ipſum tumorem manuum oculorumque ſcrutinio ſubjecit, atque in dextro ſcroti latere, *enterocelen* liberam nec incarceratam, magnitudinem ovi gallinacei majoris circiter æquantem, reperiit. De omento, licet diu ac curatius explorata fuit hernia, ne minima in illo percipienda fuit particula. Exper. D. *Præſes* de cauta reſtitutione ſollicitus, artis lege, brevi partes tumorem formantes, cum quodam, quod ordinario fit, inteſtinorum murmure, annuli muſculorum abdominalium aliquali renixu non obſtante, retro feliciter compulit; excepto tantum ſacco hernioſo, qui tanquam oblongum atque molle tuberculum ab inguine ad mediam uſque ſcroti partem ſe extendens, tactu potius, quam viſu potuit

explorari. Quoniam *D. Præſes* ex relatione ægri jam percepit, eum quam ſæpiſſime repoſitionem proprio marte peregiſſe, de parvo illo tumore relicto quæſtionem movit, atque ex reſponſione, quam æger dabat, edoctus fuit, intumeſcentiam illam a remanente ſacco hernioſo productam, operam reſtitutioni impenſam, plerumque deluſiſſe, dum modo duo vel tria temporis exceperis momenta, quibus inteſtina ſimul cum involucro ſuo, ſaccum intelligo, in abdominis cavitatem retropulſa ſunt, in quo dein caſu, niſi vehemens motus aliuſve corporis concuſſus e. g. a ſternutatione, tuſſi cet. ortus, rem turbaret, omne id quod tumorem alias creavit, per aliquot dierum ſpatium, vel in erecto, quod mirandum, corporis ſitu, abdomini incluſum hæſit. Rebus ita ſe habentibus *Excell. D. Præſes* ad avertendum omne, quod frequenter inde oriri ſolet periculum, idoneum cingulum loco affecto adplicandum eſſe duxit, cui conſilio æger morem gerens, bracherio ſibi tradito uſus eſt. Verum enim vero huic nondum aſſuetus ægrotans, dum aliqualem, quam omnia conjunctam habent, moleſtiam ſentiret, illud iterum tribus vix elapſis diebus rejiciebat, poſteaque nulla faſcia amplius ſe cingebat, quo factum eſt, ut eamdem viam denuo apertam, inteſtina rurſus repeterent. Sub finem prædicti anni MDCCXLV. hernioſus noſter incidit in febrem catarrhalem, cui tormina abdominis, dolores colicos mentientia, accedebant. Quamquam ab hoc morbo in ſe ſatis benigno, nullum vitæ diſcrimen metuendum fuit: magna tamen inde enata debilitas ægrum noſtrum per trium ſeptimanarum ſpatium ſemper fere lecto affixum tenebat. Durante quo vix interrupto cubitu contigit, ut inteſtina evoluta una cum ſacco hernioſo, partim proprio pondere, partim leni manuum preſſione adjuta, non ſolum cavitati abdominis penitus reſtituta; ſed & intus abſque vinculo impoſito probe retenta fuerint. Fugata denique feliciterque curata febre, tumor quoque non amplius rediit, & licet ab illo tempore, quo ex febre catarrhali convaluit, tres integros annos compleverimus: nullum tamen neque herniæ, neque ſacci illius unquam poſthæc veſtigium inveniendum fuit; ſed vir ille, etiamſi tam in victu, quam in motu corporis ſæpius errores haud leves commiſerit, ſalvus & incolumis, ac a hernia quam IX. annos ſecum portavit, penitus liberatus ſuperſtes eſt.

§. I.

Præmiſſa caſus noſtri brevi enarratione ad rem ipſam nunc progrediendum eſſe putamus. Ut autem in explicatione thematis noſtri ad debitum reſpiciamus ordinem, priuſquam morbi, quem tractamus, definitionem exhibeamus, deſcriptionem herniæ generatim præmittendam, operæ pretium eſſe arbitror. Eſt autem *hernia* proprie ſic dicta, tumor præternaturalis, in variis abdominis regionibus ſub cute a viſceribus ibidem ſitis, formatus, originem trahens a peritonæi vel ruptione vel dilatatione nimia [a].

§. II.

[a] De *Vilars* in Dictionario Chirurgico p. 301.

§. II.

Ex tradita hac generali herniæ notione, eam ad *morbos complicatos* jure referri poſſe, facile intelligitur. Dum enim tumor eſt, annumeratur morbis *malæ conformationis* magnitudinis auctæ; dum vero poſt peritonæi ruptionem, aut diſtenſionem ſaccus ſub integumentis communibus formatus, quem viſcera e ſede ſua naturali elapſa replent, morborum *in ſitu mutato*, claſſi merito adſcribitur [b].

§. III.

Cum oſcheocele idem ſit, quod bubonocele completa [c], quid primo per incompletam, & dein, quid per completam bubonocelen, intelligatur, diſpiciendum erit.

§. IV.

Comprehenduntur autem ſub voce *bubonoceles incompletæ*, omnes illi tumores, qui relaxato aut diſrupto peritonæo, a viſceribus quibuſdam in abdomine fluctuantibus in inguine elevantur. Quando vero, prout in noſtro contigit caſu, dictæ partes e regione inguinali temporis ſucceſſu in ſcrotum deſcendunt, illudque p. n. diducunt, a loco quem ejuſmodi hernia occupat, *oſcheocele*, ſeu quod idem (§. 3.) ſignificat, *bubonocele* vocatur *completa*.

§. V.

In utraque, quam (§. 3. & 4.) propoſuimus hernia, ſunt viſcera, quæ eaſdem efficiunt, utplurimum *inteſtina*, præcipue illud, quod ileum audit [d], id quod ex ſitu, quem hoc inteſtinum in abdominis cavitate, circa annulos ſic dictos abdominales habet, haud difficulter poterit dijudicari. Interea ipſum, cui adhæret, meſenterium, imprimis ſi inteſtini paries anterior & poſterior, adeoque tota fiſtula prorumpit, prolabi ſimul poſſe, anatomica harum partium contemplatio docet: ſin autem unus ſaltem inteſtini paries diſtendendo nimis inguina, herniam ibidem gignat, uti a *Ruyſchio* [e] aliiſque obſervatum eſt [f], meſenterium e loco ſuo vix

[b] *Teichmayer.* in Diſſert. de exomphalo inflammato exulcerato & poſtea conſolidato, *Jenæ* habit. 1718.

[c] Vid. *Heiſteri* Chirurg. edit. germ. p. 721. item p. 728.

[d] Sunt inter chirurgos nonnulli, qui inteſtini cæci & coli ad inguina & ſcrotum deſcenſum obſervarunt. Aſt pertinent ad claſſem rariſſimarum hæ obſervationes. Plura de hac re videri poſſunt in *Heiſteri Diſſert. de hernia incarcerato ſuppur. ſæpe non lethali.*

[e] In muſæo Anat. p. 63 fig. 3. itemque in theſauro Anat. VII. p. 43.

[f] Vid. Acta Acad. Reg. Pariſ. A. 1700. Item *Morgagnius* in adverſ. anat. III. p. 8. 9.

vix dimovetur. Aliquando etiam accidit, ut omentum ſuperiorem alias infimi ventris regionem occupans, adeo verſus inferiora deſcendat, ut vel ſolum, vel una cum inteſtinis tumorem in inguine attollat, ſicuti Cel. *Heiſterus* in Ephemer. Nat. Curioſ. [*g*] exemplum viri in utraque inguinis regione hernia affecti, & ab eo cultro anatomico diſſecati, attulit, cui omentum in hernia unius lateris, ab inteſtinorum mole, ad ipſum quoque ſcrotum protractum fuit. Quod ſane exemplum & poſſibilitatem & actualitatem eruptionis omenti in inguinibus & ſcroto extra omnem dubitationis aleam ponit. In noſtro caſu præter inteſtinum, nullum aliud abdominale viſcus, adeoque nec omentum repertum fuiſſe, teſtantur allegata (pag. 6.) & *Domini Præſidis* facta in hunc morbum curatior inquiſitio.

## §. VI.

Originem vocum bubonoceles & oſcheoceles quod attinet, illam a Græca lingua petendam eſſe, paulo ſpecialior harum denominationum conſideratio docet. Derivantur nimirum hi termini a voce βυβὼν, quæ inguen; ὄσχεον, quæ ſcrotum, & κήλη, quæ herniam ſive tumorem Latinis ſignificat. Hinc etiam bubonocele, latino ſermone, per herniam inguinalem, ſeu ſecundum *Celſum* [*h*] ramicem inguinis, & oſcheocele, per herniam ſcrotalem explicatur, quia prout jam evictum eſt, in inguine pariter ac in ſcroto exſurgunt. Enterocele itidem a Græco vocabulo ἔντερον Lat. inteſtinum, cui eadem vox κήλη adjungitur, nomen accipit, quia nempe inteſtina tumorem hernioſum formant. Quando e contrario peritonæi ſaccum (§. 14.) omentum replet, quod Græcis ἐπίπλοον audit, epiplocele appellatur. Ex his breviter adductis intellectu facile eſt, cur hernia in inguine vel ſcroto ab inteſtinis orta entero ab omento epiploo-bubonoceles aut oſcheoceles nomen acquirat.

## §. VII.

Quemadmodum generatim in praxi clinica medicus anatomes peritus, de pleriſque morbis majori certitudine atque ſoliditate judicare poteſt, quam alius in hac ſcientia minus verſatus; ita ſpeciatim in chirurgia ab anatomes ignaro pauci morbi, nec rite cognoſci, nec tuto curari poterunt. Quin, quod in arte chirurgica anatomia uſum evidentiorem uberioremque, quam in ipſa medicina præſtet, ab Ill. *Heiſtero* in peculiari de hac materia habita diſſertatione [*i*] abunde monſtratum eſt.

§. VIII.

[*g*] Centur. V. Obſervat. 85.
[*h*] Libr. VII. cap. XXIV.
[*i*] De anatomes majori in chirurg. quam in medicina neceſſitate. Helmſtadii 1737.

## §. VIII.

Quæ cum ita ſint, exſpectare quidem jure poſſet lector prolixam ſedis, omniumque, quæ herniæ ſcrotali favent, partium; nec minus locorum, per quæ inteſtina elabuntur, anatomicam, quam utique hic tradendi in principio animus fuit, deſcriptionem. Verum enim vero cum viri in chirurgia pariter ac arte ſecandi clari conſummatique *Waltherus* [*k*] *Günzius* [*l*] *Henſingius* [*m*] *Vogelius* [*n*] aliique hunc laborem tanta cum induſtria peregere, ut eidem vix aliquid addi poſſe videatur: breviſſima organorum affectorum indigitatio ſufficiet. Pertinent ad hæc autem præter *integumenta communia*, quorum ſitum, connexionem & fabricam, ceu res tyroni notas ſuppono, *muſculi abdominales*, & *peritonæum*.

## §. IX.

De *muſculis abdominis* notandum, quod eorumdem vulgo numerentur quinque paria, muſculi nempe oblique deſcendentes, ſeu ſecundum *Winſlovium* obliqui externi, muſculi oblique aſcendentes ſeu obliqui interni, muſculi tranſverſales, muſculi recti, & denique pyramidales, quorum ultimorum aliquando unus vel alter, interdum ambo plane deficiunt [*o*]. Acquiſiverunt hi muſculi nomina ſua, partim a diverſo fibrarum tractu, partim a ſitu, quem habent, partim a peculiari, quam repræſentant, figura [*p*].

## §. X.

Conferunt autem modo *recenſiti muſculi* ſuum ad hernias ſymbolum in iis præcipue locis, ubi perforati ſunt, ſeu quod idem eſt, ubi partibus quibuſdam, in ſtatu ſecundum naturam, ex abdomine egredientibus, tranſitum permittunt. Vocantur hæ perforationes ſive hiatus, ab aliquali [*q*] quam cum annulo habent, ſimilitudine, *annuli*, quorum quidem ordinarie numerantur in abdomine tres, annulus ſc. umbilicalis, inguinalis & cruralis, inter quos tamen annulus in interiori inguinis regione, prope pudenda ſitus, quippe qui in fœmina uteri ligamenta rotunda; in viro vaſorum ſpermaticorum præparantium & deferentium funiculum, proceſſum peri-

[*k*] In Progr. de entero-ſarcocele.
[*l*] Libell. de herniis. Lib. 1744.
[*m*] Diſſert. de peritonæo. Gieſſ. 1743.
[*n*] In peculiari de herniis, vernacula lingua, edito tractatu p. 6. ſeq.
[*o*] *Heiſteri* Compend. Anat. p. 64.
[*p*] *Caſſebohm.* method. ſecandi p. 14. ſeq.
[*q*] Limitata hæc eſt propoſitio. Non enim hæc foramina perfecte ubivis annularis ſeu circularis ſunt figuræ. Sic e. gr. hiatus muſculi oblique deſcendentis ad ovalem magis accedit figuram.

peritonæi & cremaſteris muſculi principium involvit, ac in utraque bubonocele nimis, quam par eſt, diſtenditur, attentionem noſtram præ reliquis meretur.

§. XI.

Formatur hic annulus (§. antec.) (1) a muſculo obliquo externo (§. 9.) utpote primo ſub integumentis communibus ſito, maxime vero ab ejus aponeuroſi, de qua notandum, eamdem circa aperturæ annularis ſuperiorem & inferiorem regionem, conſtituere duas quaſi columnas tendineas, magis hic, quam alibi robuſtas, quæ ex uno latere in aliud prægreſſæ crucis in modum ſe invicem decuſſant, oſſique pubis firmiter annectuntur. (2) A muſculo obliquo interno, cujus fibræ carneæ, minuſque tendinoſæ, prope foramen obliqui externi aliquo modo a ſe invicem ſecedentes, iiſdem partibus (§. 10.) exitum, ſub forma hiatus, concedunt. Utrique hic hiatui, qui junctim ſumti, annulum inguinalem ſtricte ſic dictum, conſtituunt, alii tertium addunt, quem a muſculo tranſverſo formari putant. Verum quum accuratior harum partium anatomica diſquiſitio doceat, in utroque ſexu nec vaſa ſpermatica, nec ligamenta rotunda eumdem penetrare; ſed ſub ejus limbo progredi, cum *B. Caſſebohmio* [r], *Heiſtero* [s], *Garengeot.* [t] eumdem merito negamus.

§. XII.

Hiatus hi breviter enarrati differunt inter ſe primo, ratione *ſitus*, quo ſibi e regione in ſtatu ſecundum naturam [u] minus reſpondent. Internus enim altiori loco collocatus eſt, quam externus, iſteque a linea alba magis quam hic diſtat. Dein ratione *magnitudinis* diſcrepant, quum foramen ab obliquo interno muſculo formatum, amplius eo ſit, quod obliquus externus format. Quale denique inter utrumque hiatum ſive annulum quoad *ſubſtantiam* obverſetur diſcrimen, ex modo (§. antec.) dictis ſatis eluceſcit. Quæ omnia probe penſitata nos edocent, reductionem partium elapſarum, de qua infra plura dicendi locus erit, e directo minime eſſe ſuſcipiendam, ne inter duos muſculos magis, quam in abdominis cavitatem eædem impellantur; deinde annulum ſive fiſſuram muſculi obliqui externi & delapſui & repoſitioni viſcerum egreſſorum, ob fibras, quibus conſtat, valde robuſtas tendineas, adeoque fortiter reſiſtentes, maximum ponere obicem; eumdem tandem validiſſimum annulum nimis conſtringendo dum agit,

[r] Libro citat. p. 28.
[s] Libro citat. p. 64.
[t] Dans ſon Traité des Operations T. I. p. m. 238.
[u] In ſtatu p. n. magis paralleli obſervantur.

agit, dictarum partium ſtrangulationem inferre, experientia teſte, ſæpius funeſtam.

## §. XIII.

*Peritonæi* miram in abdomine expanſionem, arctiorem cum pleriſque ibidem ſitis viſceribus, nexum, & diverſam figuram, itemque vaſa, quæ in eo conſpiciuntur ſanguifera & nervos, quia ad ſcopum noſtrum parum faciunt, ſilentio prætermittimus. Id unice notamus, peritonæum e duplici conſtare ſubſtantia; una membranacea proprie dicta; altera celluloſa. Illa magis minuſve tenuis, valida tamen fibriſque tendineis firmata, intus lævis & lubrica, dilatabilis & elaſtica eſt, atque internam reſpicit abdominis cavitatem; hæc componitur e congerie veſicularum minimarum pinguedine plus minuſve turgeſcentium, quæ aëre, flatu immiſſo, facile detegi poſſunt. Ipſa hæc cellularis peritonæi portio duos emittit per annulum inguinalem (§. 11.) extra abdomen proceſſus, involventes in ſexu virili funes ſpermaticos, in ſexu autem ſequiori, ligamenta uteri rotunda. Eædem hæ productiones celluloſæ, ubi cum vaſis ſpermaticis atque deferentibus in potiori ſexu annulos (§. 10.) trajiciunt, ſepimenta illa membranacea, quibus hæ partes involutæ ſunt, formare videntur, poſtea vaginam conſtituunt, quæ prope teſticulum dilatata, ipſi tunicam vaginalem ſeu elytroideam largitur [v].

## §. XIV.

Quando igitur ſubſtantia peritonæi membranacea (§. 13.) circa annulum inguinalem a fortiori viſcerum niſu dilatatur, ac una cum contentis inguina & ſcrotum verſus devolvitur; ipſi peritonæi proceſſus, pro diverſa, quam hernia ſucceſſu temporis acquirit magnitudine, minorem aut majorem ut patiantur diſtenſionem, neceſſe eſt. Vocatur ſubſtantiæ membranaceæ nimis in herniis expanſæ portio, quia elapſas partes ſacci ad inſtar includit, *ſaccus hernioſus* ſive quod idem eſt *ſaccus peritonæi*.

## §. XV.

Exhibita brevi partium, herniæ quam hucuſque pertractavimus, anatomica delineatione (§. 8. ad §. 14. incluſive) ad explicandas cauſſas eamdem excitantes, ordo nos jam ducit. Plurimæ illarum cum aliis herniis veris communes ſunt & in duas claſſes opportune dividi poſſe videntur. Ad primam referimus eas, quæ inteſtinorum preſſionem verſus peritonæum præter naturam augent, alteram vero claſſem conſtituunt cauſſæ, quæ naturale



[v] *Henſing.* Diſſert. citat. *Welt* in Diſſert. de hernia crurali.

turale & debitum peritonæi, annulorum (§. 11.) atque aponeuroſeos muſcularis oblique imprimis deſcendentis robur diminuunt. Impelluntur vero inteſtina fortius ad interiorem peritonæi circa annulos inguinales membranam, vel ſub nimia, quam a flatibus ſuſtinent, diſtenſione, vel ſub validiori diaphragmatis ipſorumque muſculorum abdominis in viſcera ibidem ſita, actione, id quod in tuſſi enormiori, repetita ſternutatione, nimia vociferatione, in ejulatu infantum, teneſmo, itemque in conatu parturiendi, induratas alvinas fæces excernendi, grave pondus, repleto præcipue ventriculo, elevandi, imprimis autem in vomitu [x] ſemper contingit. In caſu a nobis in medium prolato reiteratos vomitus a propinato validiori emetico herniæ cauſſam extitiſſe, effectus mox ſecuti, tumor ſcilicet parvus in inguine, cum aliquali dolore tenſivo enatus, ſatis ſuperque teſtantur. Sub vomitu enim vehementiori & repetito, qui abſque validiſſima convulſivaque ſepti tranſverſi & muſculorum abdominalium conſtrictione concipi nequit, inteſtina tanto impetu tantaque vi, verſus inferiora, quandoque protruduntur, quantam dicta peritonæi membrana ſæpiuſque nominati muſculi ſufferre nequeunt. Cedit ergo vis minor majori, relaxatur peritonæum, debilitantur muſculi, dilatantur annuli, oritur bubonocele. (§. 4.) Infantibus nuper natis, ex vinculorum, quibus umbilici funis ordinarie deligatur, arctiori conſtrictione idem ex eadem fere cauſa, nonnunquam producitur effectus. Inteſtina enim tali modo fortiter compreſſa, concurrente ſimul diuturniori ejulatu, exitum, quem his ſub circumſtantiis in tenello annulo facillime inveniunt, eadem ſibi quærunt ratione. Inter plura, quæ ſtabiliendæ huic ſententiæ inſervire poſſent triſtia exempla, unicum hoc allegare placet, quod ſcilicet in urbe quadam haud procul a nobis ſita, ex nefanda obſtetricis ignorantia, ob faſciarum firmiorem adſtrictionem, plures infantes ad ſubeundas herniarum moleſtias coacti ſint.

## XVI.

His conſideratis in exponendis reliquis herniarum *cauſis* ad *alteram claſſem* (§. 15.) pergamus. Comprehendimus nimirum ſub illis, omne id, quod naturale peritonæi, muſculorum abdominis & præcipue annulorum robur ita debilitat, ut leviſſima data cauſa, inteſtina prorumpant. Ita ſubjecta quædam a nativitate ſtatim, vel a morbo adeo ſubinde conſpiciuntur extenuata, ut dictæ partes leviſſimo viſcerum impetui accedenti cedere cogantur. Sæpius tamen, experientia teſte, vis externa abdomini cum impetu applicata, ad hernias diſponit. Sic plures a variis chirurgiæ ſcriptoribus, caſus memoriæ traditi ſunt, qui abunde demonſtrant, diverſas

[x] A vomitu repetito herniam cruralem originem traxiſſe teſtatur *Welt* in Diſſ. citat. pag. 16.

verſas infimi ventris partes, imprimis circa ſæpius recenſita loca, a violentiori ictu, gravi ac ſubitaneo lapſu, vel ſaltu, vel ab equitatione vehementiori, in tantum relaxatas ac naturali firmoque ſuo tono deſtitutas fuiſſe, ut inteſtinorum moli niſuique ſufficienter ſe opponere, eademque intra ſuos terminos coercere non potuerint. Occurrunt inſuper in vita humana variæ actiones, quæ miras corporis exigunt flexuras, poſituſque, ſub quibus abdominales præſertim muſculi validiſſime conſtringuntur & tandem ſucceſſive labefactantur. Bajuli herniis perſæpe vexantur, quia ab elevatione gravium e terra ponderum modo recenſiti muſculi, ſucceſſu temporis, tanto debilitantur gradu, ut levi cauſa occaſionali accedente, cedant & partibus exitum molientibus eumdem concedant. Cur monachis malum hoc adeo frequens ſit, nonnulli molli atque pingui victui id tribuerunt. Nec negamus, cum unius rei plures poſſint eſſe cauſæ, eumdem, dum butyracea aliaque pinguia fibras nimis relaxant, omnino aliquid ad herniarum generationem conferre. Verum quod primariam attinet cauſam *Cel. Günzii* nos ſubſcribimus ſententiæ, qui in libello de herniis [y] hæc eloquitur: *in Monachis crediderim veriſimilem magis cauſam hanc eſſe, quod perſæpe in genua procumbere coguntur, in quo poſitu annuli muſculorum abdominis preſſioni inteſtinorum quam maxime expoſiti ſunt.* Tandem utramque cauſam, debilitationem ſcilicet partium abdomen circumvolventium, atque præternaturalem viſcerum depreſſionem, ad creandas hernias ſimul concurrere interdum poſſe, ſequens illuſtrat exemplum: ponamus hominem brachio ſuſpenſum, vehementiori tuſſi aut ſternutatione affici; nonne hoc in caſu muſculi obliqui & tranſverſus, ob validam, quam patiuntur, diſtenſionem & multum roboris ſui amittunt, & inteſtina tanto cum impetu, ut hernia facile oriri poſſit, ad dictos muſculos devolvuntur?

## §. XVII.

Traditis jam cauſſis (§. 15. 16.) ad *ſigna* herniæ inguinalis & ſcrotalis progrediamur. Dum enim haud omnis tumor in inguine natus, pro hernia habendus ſit, eorumdem notitia probe inſtructus eſſe debet medicus. Oriuntur enim in eadem regione alii tumores, qui glandulas occupant, atque *bubones* vocantur. Quodſi ergo quis bubonocelen pro ejuſmodi tumore judicaret, eamque eadem curandi methodo, qua bubones tractantur, profligare vellet, peſſima ſane ſymptomata is excitare poſſet. Proſtat in *Heiſteri* Chirurg. [z] caſus, ubi chirurgus herniam ventralem pro abſceſſu habitam, ſcalpello aperire ſecum conſtituit. Aſt a ſæpius laudati *Heiſteri* prudenti conſilio, eo fere momento, quo cultrum tumori admovere voluit, adhuc detentus eſt. Ex qua ſane imprudentiſſima inciſione

R 3 letha-

[y] Libr. Citato. p. 24.
[z] Tom. II. cap. 115. p. 719.

lethales vel ſaltim periculoſiſſimæ inteſtinorum læſiones fieri potuiſſent [a]. Docet itaque hoc exemplum, quam maxime eſſe neceſſarium, ut ad notas, quibus hernia hæc cognoſci, & partim ab aliis, partim a bubone diſcerni queat, probe attendamus.

## §. XVIII.

Quam primum ergo de tumore in inguine hærente quæſtio movetur, explorare fas erit, num ille cauſam aliquam violentam (§. 15. 16.) ſecutus, aut poſt coitum impurum, aut poſt gonorrhoeam ſuppreſſam enatus ſit? Quamdiu duraverit? An colore gaudeat naturali, aut magis rubicundo? An tactui cedat? An a ſpiritu retento incrementum capiat? Bubones enim, uti aliæ phlegmones, a ſanguine impuro, qualis præcipue in lue venerea laborantibus deprehenditur, brevi temporis ſpatio abſque cauſa violenta externa oriuntur. Quouſque non in ſuppurationem abeunt, duri apparent, colorem induunt rubeſcentem, a ſpiritu retento in magnitudine non accreſcunt, nec tactu facile dimoveri, nec preſſione introrſum in abdomen repelli queunt. Quæ omnia rite penſitata, notas exhibent ſat luculentas, quibus bubonocele a *bubone*, venereo imprimis, diſcerni poteſt.

## §. XIX.

Adeſſe autem bubonocelen, præſertim completam, oſtendit tumor oblongus ab annulo & regione inguinali ad ſcrotum oblique deſcendens, idemque magis vel minus pro contentorum ratione diſtendens. *Hernia cruralis* e contrario, in illo loco, ubi vaſa cruralia ſub ligamento Poupartii ad femur abeunt, enaſcitur, & figuram habet ordinarie rotundam, nec prout oſcheocele oblique, ſed magis in linea recta, deorſum directa eſt. Jungitur cum hernia crurali, a compreſſione dictorum vaſorum, ut plurimum oſſis femoris ſtupor, quippe qui in bubonocele minus obſervatur. Præterea oſcheocele a *hydrocele*, *hæmatocele* & *pneumatocele* ita diſcrepat, ut in ea teſticulus tactu facile cognoſci poſſit, quod in modo recenſitis herniis ſpuriis difficulter contingit [b]. Sunt hæc ſigna *generalia*: dantur vero adhuc *ſpecialiora*, quibus ſingulæ ſpecies a ſe invicem diſtinguuntur. Quando *inteſtinum* prolapſum eſt, tumor ille æqualis, lævis & tenſus eſt, ita ut veſicæ flatu diſtentæ ſpeciem præ ſe ferat. Si æger ſupinus jacet, aut ſponte, aut digitorum preſſione cum murmure & ſtrepitu retrocedit atque evaneſcit; quando ſpiritus retinetur, corpus movetur vel erigitur, tumor

[a] Aliud exemplum, ubi chirurgus bubonocelen pro bubone judicans, eamdem maximo cum ægrotantis damno incidit, annotavit *Stalpartus Van der Wiel* obſ. rar. medic. chirurg. Anat. Cent. I. obſerv. 54. p. 226.

[b] Plura qui de hac re deſiderat, adeat *Heiſteri* chirurgiam p. 739.

tumor iterum ſub murmure quodam apparet ac redit. Idem tumor circa baſin anguſtior, quam in parte baſi oppoſita, exiſtit. Quodſi autem *omentum* ſubeſt, tumor adeſt tactu inæqualis, mollis & lubricus [*c*]; difficilius redit ad abdomen, nec quando erumpit, nec quando reducitur, aliquid murmuris auditur. Quando vero *utrumque* elapſum eſt, tunc inteſtino remoto, tumor quidam mollis, pinguedini quoad tactum, ſimilis atque circa baſin latus, in vertice autem magis anguſtus remanet.

## §. XX.

Quum inteſtina unum dumtaxat atque continuatum conſtituant canalem, qui ingeſta, quæ ventriculi actionem jam paſſa ſunt, ulterius promovet, ac tandem partes excrementitias a chyloſis ſeparatas ἄνω excernit; ſequitur, ut devoluta in herniis inteſtinorum pars tranſitum illis ſine magno vitæ diſcrimine, denegare neutiquam poſſit. Interdum tamen obſervatur, quod, etiamſi haud exigua eorumdem portio, intra muſculorum dictorum annulum incluſa hæreat, in uno alterove ſubjecto hernia laborante, via hæc, dummodo nullus committitur diætæ gravis error, plures annos aperta ſatis relinquatur. Exemplum, quo id probare conamur, eſt in promtu. Si caſum noſtrum in memoriam revocamus, luculenter ex eo patebit, virum iſtum hernia affectum, eamdem abſque vitæ detrimento intra *novem* annorum decurſum ſecum portaſſe. Ratio, cur id factum, *quadruplex* eſſe videtur. Primo enim hernioſus noſter moleſtiam qualemcumque a hernia provenientem ſentiens, ſtatim & ſæpius interdiu, repoſitionem omni ſtudio allaboravit atque perfecit: deinde perpetua, qua noctu occupatus erat, partium elapſarum repulſione, impedivit, quo minus inteſtinum cum ſuo involucro concreſcere, ac immobilem herniam cum graviſſimis ſymptomatibus (§. 21.) ſæpius junctam, creare potuerit. Tandem abſtinentia a cibo & potu crudo ac flatulento, itemque a fortiori corporis motu: nec minus ipſa annuli, quam temporis tractu acquiſivit, aliqualis relaxatio tantam inteſtini in ſuo diametro conſtrictionem, quanta ad incarcerationem requiritur, ſine dubio prohibuit.

## §. XXI.

Quando contra portio canalis inteſtini, in tumore hernioſo ſubſiſtentis, ita ab annulo conſtringitur, ut neque quid amplius intrare, neque exire valeat, oritur *incarceratio*, ſeu *ſtrangulatio*. Eadem incarceratio, etſi annulus valide non ſit conſtrictus, oriri poteſt, quando *oſtium ſacci peritonæi* (§. 14.) nimis anguſtum exiſtit, quemadmodum id *le Dran* [*d*] in iis præ-

[*c*] Hæc ſigna omenti prolapſi a *Celſo* jam Lib. VII. cap. XVIII. obſervata ſunt.
[*d*] In obſervat. chirurg. 57. & 58.

præcipue ſubjectis obſervavit, quæ per longius tempus, quo parietes tandem, quoad maximam partem a pilæ continua preſſione concrevere, bracherio uſi ſunt. Tali enim modo vel exigua ſæpius memorato ſacco inhærens inteſtini pars, quando ſucceſſive aut flatu, aut fæcibus extenditur, ita poteſt incarcerari, ut reductio abſque operatione inſtitui nequeat. Niſi ergo in utroque triſti hoc morbi ſtatu miſere ita afflictis cito ſuccurratur, inteſtinum in ſacco hernioſo deliteſcens ab aëre & excrementis ad extremum uſque extenditur, eorumdem ad anum propulſio plenarie intercipitur, gravatur ventriculus, nimis diſtenduntur irritanturque inteſtinorum membranæ, invertitur motus periſtalticus, oriuntur enormes dolorum cruciatus, excitatur demum *ileus* ſeu *miſerere mei*, cum omnibus truculentis, quæ hunc affectum ordinarie comitantur, ſymptomatibus. Ipſa portio inteſtini incluſa, quum ob vaſcula compreſſa ſanguinis affluere decenter & refluere nequit, inflammationem concipit, quæ brevi temporis ſpatio aut in *ſuppurationem* [e], aut in *gangrænam* & *ſphacelum* abit. [f]. Utraque hæc morbi determinatio res eſt conclamata, & quamvis optima adhibeantur remedia, neque ullus ab ægrotante & medente committatur error; ſæpiſſime tamen fatalis exitus tragœdiæ huic finem imponit.

## §. XXII.

Quod inter hernias inteſtinales, *curationem* oſcheoceles præcipue attinet; ad duo potiſſimum momenta reſpiciendum erit. Sunt enim primo *emotæ partes* in cavitatem abdominis provide atque ſecundum artis regulas, quas in ſequentibus §. 27. recenſebimus, *reducendæ*, ac dein in *poſitu* & *ſitu naturali* decenter *retinendæ*. Antequam vero modum, quo utraque indicatio rite adimpletur, explicemus, diſquirendum erit, num una cum iis, quæ bubonocelen efficiunt, partibus, *ſaccus* quoque *hernioſus* reſtitui ſimul & poſſit, & debeat, nec ne? De poſſibilitate reductionis modo memorati ſacci in hernia imprimis antiqua ac inveterata, inter celeberrimos noſtræ ætatis chirurgos diſſenſus adhuc obverſatur. Alii affirmando; alii negando litem componere ſtudent. Celeb. *Gunzius* libro citato cap. IX. ita de hac re ſentit: *ſaccus, niſi vel recentiſſimum malum ſit, vel ſectio adhibita, reſtitui non poteſt.* Eodem libro cap. XI. pag. 44. inter alia hæc eloquitur: *ſaccus ſi recens hernia, raro, ſi antiqua nunquam reſtituitur.* Quamvis libelli iſtius ſingulæ fere paginæ de Clariſſ. *Auctoris* eruditione pariter ac ſumma,

[e] Varia herniarum ſuppuratarum exempla proſtant in Diſſert. *Gladbachii* de hernia incarcerata ſuppurata Præſide *Heiſtero Helmſtad.* A. 1738. habita.

[f] Similis necroſis ipſis communicatur integumentis communibus, & ita tumor antea rubeſcens nigreſcit & aperitur, tuncque pars mortua ſeparatur. Ceſſant dein quidem, rebus ſic ſe habentibus, illico dolores, aſt ægroti in ſummo vitæ periculo ſic conſtituti, mox vitam cum morte ſolent commutare. Prolixius de his omnibus egerunt Ill. *Heiſterus* & B. *Teichmayerus* in Diſſert. jam adductis.

ſumma, quam herniarum ſcrutinio dicavit, opera luculenter teſtentur; huic tamen aſſerto, quum noſtra, quæ eidem obſtat, experientia plus valeat, quam decem rationes, calculum haud adjicimus. Namque primo, neminem eſſe credo, qui herniam IX. annorum recentium claſſi annumerare vellet? Dein ex relatione caſus noſtri patet, ſaccum peritonæi ſub febre, qua æger laborabat, catarrhali ita in abdominis cavitatem reductum fuiſſe, ut poſtea ne minima iſtius portio circa locum, quem antea occupabat, nec tactu, nec viſu inveniri potuerit. Doctiſſimus quidem *Auctor* ad ſtabiliendam ſententiam inter alia citum ac inevitabilem ſacci cum vaginali tunica coalitum in medium profert; nec negamus, hanc concretionem, ſub longiori temporis tractu in quibuſdam ſubjectis nonnunquam evenientem, ejuſdem reſtitutioni quam maxime eſſe impedimento: interim tamen limitandam, nec pro univerſaliter vera habendam eſſe, hanc theſin, exemplum a nobis communicatum docet. Taceamus nunc ea, quæ a *Waldſchmidio* [g] de mucilaginoſo interfluente humore coalitum impediente, propoſita ſunt. Nos a vero vix aberrabimus, quando ſacci, in caſu, quem enarravimus, mobilitatem quotidiano, quem æger in reſtituenda hernia conſumſit, labori, adſcribimus. Accedit inſuper & hoc, quod hernioſus noſter habitu corporis ſtrictiori ac temperamento calido & ſicco, ſive, prout vocare ſolent, cholerico gaviſus ſit, in quo ob fibrarum majorem ſoliditatem partiumque gelatinoſarum defectum, ejuſmodi ſacci cum lateribus dictæ tunicæ vaginalis concretio, quemadmodum id etiam in annoſioribus obſervare licet, rarius contingit. Ipſa denique hæc ſacci mobilitas, ægrotantis abſtinentia ſub morbo catarrhali, a victu ſuperfluo, ſtatus corporis per tres ſeptimanas in lecto quietus, annulorum via ſub inteſtini repulſione aperta, ſitus ægrotantis conveniens & in repoſitionis actu ſupinus &c. ſymbolum ſuum, quo facilius ſaccus ipſe una cum inteſtino elapſo reduci potuerit, procul dubio contulerunt.

## §. XXIII.

Dubium quidem, quod moveri poſſet, an ſcilicet tumor in reductione herniæ, quam Excell. Dominus *Præſes* peregit, relictus, & durante febre totus, quantus fuit, in abdomen refuſus, non potius pro parte omenti, quod ſemper (§. 19.) difficilius reſtituitur, quam pro ipſo ſacco habendus ſit? Primo ſaltem intuitu haud levioris momenti eſſe videtur. Verum ad id reſpondemus, quod, ſi omentum eumdem tumorem formaſſet, eadem quoque ſigna, quibus omenti prolapſus (§. 19.) cognoſcitur, in conſpectum venire debuiſſent. Nunc autem ex relatione caſus diſtincte apparet, nullum omenti veſtigium, licet curatius explorata fuerit hernia, inveniendum fuiſſe. Adeoque is omni contradiceret experientiæ, qui omentum ſubfuiſſe audacter affirmaret. Aſt ponamus, quod quidem mini-



[g] In Diſſert. *de herniæ ſectione.*

minime concedimus, tumorem poſt tentatam à Dno *Præſide* herniæ reductionem, adhuc reſiduum, ab omento elevatum eſſe; nihilo minus tamen ſequeretur, quod, omento reſtituto, ſacci hernioſi reliquiæ ſuperfuiſſent. Ipſe enim ſæpius laudatus *Gunzius* in *libello de herniis* cap. XI. p. 44. affirmat, peritonæi ſaccum efficere tumorem conſpicuum, atque exemplum tradit, ubi chirurgus eumdem, pro vera hernia habitum, reducere anniſus eſt. Atqui ſtatim ab eo tempore, quo æger a febre convaluit catarrhali, nullum plane tuberculum, ab hernia remanſit, ſed potius tota inguinis pariter ac ſcroti regio, uti in ſano homine comparata fuit. Itaque nullum ſupereſt dubium, quin ſaccus peritonæi, non autem omentum, quippe quod nunquam exiſtebat in eodem, penitus abdominis cavitati reſtitutus ſit.

## §. XXIV.

Quum ex his (§. 22. 23.) adductis luculenter pateat, peritonæi ſaccum in hernia antiqua, certis ſub conditionibus, reduci poſſe, ad ea nunc breviter reſpondebimus, quæ quæſtionem, *an ſacci reſtitutio in ægrotantis ſalutem cedat*, concernunt. Celeberrimus quidem *Gunzius*, prout dubitavit, an herniæ vetuſtæ ſaccus intus compelli queat, ita quoque de ſalubritate reductionis ejuſdem valde dubitare videtur. Rationes, quare ab ea abſtinendum eſſe præcipit, certo ſub reſpectu veræ & graves, adeoque attentione omnino dignæ ſunt. Primo enim obſervavit, herniam antiquam raro inveniri, quæ ſaccum non mutatum & præcipue craſſum haberet [*b*]. Dein metuendum eſſe putat, ne ſaccus repoſitus, niſi mox ad priſtinum ſtatum redeat, minima adhibita vi iterum procidat. Hinc quia reſtitutus ſaccus reditum herniæ prohibere haud valeat, & conſequenter neceſſitatem imponendi ſubligaculum minime tollat, ex his præmiſſis concludit: ſatius eſſe, niſi ſaccus admodum parvus ſit, ipſum etſi poſſet, non intus compellere; ſed potius ejus oſtium idonea vinctura occludere. Fatemur, nos in eamdem ſententiam lubentiſſime deſcendere, niſi experientia in noſtro caſu contrarium docuiſſet. Primo enim nulla ſacci craſſities tactu percipi potuit. Erat potius molle a ſacco formatum tuberculum. Dein tertius jam annus elapſus eſt, ex quo hernia, una cum ſacco feliciter abdomini reſtituebatur. Ac, licet ab eo tempore, etiam inter vehementiores corporis motus, quibus ſaltando, equitando &c. vir ille corpus exercebat, hernioſus locus cingulo nunquam munitus fuerit: attamen neque externe novus a hernia proveniens tumor, conſpici; neque interne a ſacco repulſo quidquam incommodi aut damni obſervari potuit. An tandem emotæ partes, quando in earumdem repoſitione ſaccus extra abdomen relictus fuiſſet, adeo firmiter abſque faſcia impoſita abdominis cavitati incluſæ hæſiſſent, eam ob rem dubitamus, quia inteſtinum ſine ſacco hernioſo millies & ultra repo-

[*b*] Libello citat. p. 45.

repoſitum, mox in ſitu erecto, priſtinum inguinis & ſcroti locum rurſus occupavit, quod peracta ſimul peritonæi ſacci reſtitutione, difficilius & poſtremo non amplius contigit. Quoniam itaque, experientia teſte, unica hæc ſacci reductio fundamentali mali curationi maximum addidit pondus, quo jure quis eam, rebus ita ſe habentibus, diſſuadere velit, nullus video. Et idem, ex iiſdem forſan rationibus, ſtatuiſſe virum in arte chirurgica verſatiſſimum *le Dran* [ *i* ] teſtantur ſequentia verba : *Quodſi ſaccus*, inquit, *hernioſus una cum reliquis emotis partibus, in omni caſu retropelli & in abdominis cavitate retineri poſſet, haud exiguum inde haurirent ægrotantes emolumentum.*

## §. XXV.

Salutaris, quem a ſacci repoſitione ſperare licet, effectus, multiplex eſſe videtur, & primarius, prout ego quidem judico, in eo potiſſimum conſiſtit, ut annulus muſculorum abdominalium ad priſtinos limites facilius redire, arctius ſeſe conſtringere, adeoque novæ partium eruptioni fortius reſiſtere poſſit. Quamdiu enim ſaccus intra annulum adhuc hæret, tamdiu fibræ aponeuroſeos magis, quam a ſolo vaſorum ſpermaticorum fune, diſtenduntur, viaque ampla magis & aperta relinquitur. Quum e contrario ſacco ſimul remoto nihil impedit, quo minus annulus ſucceſſu temporis, præſertim in junioribus ſubjectis, priſtinum robur acquirens, hiatum tandem arctius occludat, ac tali modo aperturam non concedat majorem, quam quæ funiculi ſpermatici tranſitui ſufficit. Dein ſacco reducto, periculum herniæ incarceratæ avertitur, qua, teſtante *le Dran* [ *k* ], ii imprimis hernioſi, ſæpius afficiuntur, quibus ſub diuturniori bracheriorum uſu, oſtium ſacci in tantum, aſt non in totum glutinatum fuit. Et prout tertio, ſacci hernioſi cum tunica vaginali concretionem ſæpiſſime obſervarunt, idque commiſſioni attribuerunt recentiores chirurgi [ *l* ]; ita forſan idem herniæ vetuſtæ involucrum retropulſum partim inter ſe; partim cum peritonæi, cui contiguum eſt, lamella interiori, longiori imprimis temporis tractu, coaleſcere, eoque ipſo novo herniæ proventui obicem ponere poteſt. Favet huic concretioni ſtatus ſacci quietus ejuſdemque arctior, ob contiguitatem, cum peritonæo, nexus, quem inteſtinorum incumbentium moles eorumdemque perpetua, quam in eamdem exercent, preſſio, multum juvare videtur. Quarto, fibræ relaxati peritonæi, dummodo malum recens & tumor parvus ſit, facilius, facta repoſitione, ſe reſtituere ac robur deperditum acquirere rurſus queunt. Quum tandem ipſa in caſu, quem propoſuimus, experientia nos edocuit, hernias, modo ſaccus ſit intus compulſus, abſque bracherio & ſectione feliciter poſſe curari; hinc, etſi, S 2 ſacco

[ *i* ] Obſervatione LVIII.
[ *l* ] Obſervat. LVII. & LVIII.
[ *k* ] Vid. Gunzii Libell. citat. p. 44. Not. K. N. 3.

ſacco remoto, faſciarum applicationem, ceu rem omnino proficuam, haud penitus rejiciamus, earumdem tamen diuturniorem uſum non adeo neceſſarium eſſe judicamus, quam in malo, ubi ſaccus in ventrem non refuſus eſt. Quod ſane commodum tanti videtur eſſe momenti, ut unicum id, ſi & reliqua abeſſent, repoſitionem ſacci, in caſu obvio, ſub certis (§. ſeq.) conditionibus, utique eſſe inſtituendam, indicet.

## §. XXVI.

Quod reliquum eſt, num ſaccus abdomini reſtitutus, ſecundum *Garengeoti* ſententiam [*m*], in craſſam carneam firmamque ſubſtantiam remeatum herniæ impedientem, quod vix credere poſſumus, mutatus ſit; num alio modo inter ſe aut cum peritonæo, prout veriſimilius eſt, coaluerit, vivente adhuc viro, certo affirmari nequit. Contenti interim ſumus obſervatione, quæ in hernia libera ac ab omni incarceratione (§. 21.) immuni, ſaccum præternaturalem craſſitiem nondum adeptum, nec aliter corruptum [*n*], reſtitui, ejuſdemque reductionem ad fundamentalem herniæ curationem, multum conferre poſſe, docuit.

## §. XXVII.

Redeamus ad herniarum curationem, quæ prout ſupra (§. 22.) dictum eſt, *reductione* partium emotarum earumdemque *retentione* abſolvitur. Priuſquam id fiat, chirurgus mali indolem, & an libera ac mobilis hernia ſit, nec ne, ſollicite exploret. Dein ægrotus ita collocandus eſt, ut muſculi abdominales aliquatenus relaxentur. Oportet ergo, ſuadente *Platnero* [*o*] patientem eſſe reſupinatum, crure retracto, coxis elatioribus, & a miniſtro, non vero ab ipſo ægro, caput & pectus aliquantum levari. Commendatur eidem aëris exſpiratio, ne inteſtina ſub inſpiratione a diaphragmatis complanatione deorſum coacta, ipſam impediant herniæ reſtitutionem. Quo facto chirurgus ſcrotum, quod occupavit, hernioſus tumor, attollit, lenique ac cauta manuum preſſione unam evolutarum partium portionem poſt alteram, ſurſum ac oblique per dictum (§. 11.) muſculorum abdominalium hiatum, ita abdomini reſtituit, ut quæ poſteriora elapſa ſunt, priora condantur. In hoc labore tamdiu pergendum eſt, uſque

[*m*] Operat. Chirurg. Tom. I. pag. 315.

[*n*] Sunt hæ conditiones, ſub quibus ſacci repoſitionem ſuademus. Et idem vero nobiſcum ſentiiſſe *B. Platnerum* in inſtitutionibus chirurgiæ rationalis p. 531. teſtantur ſequentia verba: *Si tunicæ vetuſtate frequentique inflammatione occallucrunt, vel ſi peritonæum annulo, inteſtina & epiploon peritonæo inhæreſcunt, & ſi vitioſa ſanies, pus, aliudve alienum, ſubeſt, illa (ſacci ſc. reductio) prodeſſe non poteſt, ſed ſemper nocere.*

[*o*] Libro citato pag. 525.

uſque dum omne devolutum repulſum ſit. Si tumor a ſacco hernioſo formatus, relinquitur, an iſte pari modo reſtitui queat, tentandum eſt; nulli enim dubitamus, fore ut, quando res ex voto ſuccedit, ſalutares, quos (§. 25.) recenſuimus, effectus, ſubſequantur. Et ne inteſtinum, quod reprimitur, ſtatim elabatur, miniſter quidam, manu impoſita, id prohibere debet. Reductione ita peracta, locus affectus conveniente faſcia (§. 20.) muniendus eſt.

## §. XXVIII.

Verum enim vero, quum interdum inteſtina flatibus aut excrementis diſtenta, vel annulus ſpaſmo contractus repoſitionem tentatam impediant, de tollendis his obſtaculis chirurgus ante omnia ſollicitus eſſe debet. Cum fructu itaque hunc in finem parti affectæ applicantur primo cataplaſmata, quæ ex *Rad.* Lil. alb. Alth. HB. Malv. mercurial. parietar. verbaſc. *Flor.* melilot. chamom. *Sem.* Lini, fœn. Gr. additis convenientibus *oleis* e. gr. oleo chamom. verbaſc. aneth. melilot. &c. lege artis confici queunt. Proſunt porro linimenta ex iiſdem oleis parata; nec minus lotiones, quas ſpecies ſic dictæ emollientes, carminativæ ac leniter ſtimulantes ingrediuntur, utilitatem præſtabunt haud contemnendam. Quodſi autem harum uſui alvus non reſponderet, earumdem loco fumus tabaci *canaſter* dicti, peculiari, quod *Heiſterus* deſcribit, inſtrumento [*p*], in anum immitti poteſt. Remedia hæc rite adhibita non ſolum fæcum excretionem promovent, ſed inteſtinis etiam aliqualem ſtimulum, quo facilius ſe retrahere & conſtringere poſſint, addunt. Ne tandem partes ſecluſæ inflammatione, quæ in plethoricis frequentius occurrit, afficiantur, aut ut ea jam incipiens imminuatur, *venæ ſectio* inſtituenda, ac pro re nata repetenda eſt. Quando, licet hæc omnia rite ſint in uſum vocata, nihilo minus malum pertinacius perſiſtit, graviaque eidem (§. 21.) ſymptomata ſuperveniunt, neceſſe eſt, ut, quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanet. Quomodo autem *Herniotomia* ſit ſuſcipienda, eo minus, tempori dum parcamus, hic explicare animus eſt; quo fuſius jam *Heiſterus* [*q*], *Platnerus* [*r*], *Gunzius* [*s*], *Vogelius* [*t*]; aliique hanc materiam pertractarunt.

## §. XXIX.

Quod applicationem faſciarum, quibus partes remotas (§. 27.) intra ſuos



[*p*] Libr. Citat. Tab XXXIV.
[*q*] Libr. citat. p 726 ſeq.
[*r*] In inſtitut chirurg p. 518. ſeq.
[*s*] Libello citat. cap. XIII.
[*t*] *In Abbandlung von den Brüchen* ſect. II. p. 182. ſeq.

ſuos terminos coercere oportet, attinet, eam haud ſemper abſolute eſſe neceſſariam, exemplum a nobis propoſitum docet. Saccus enim reſtitutus, vitæ genus regulis diætæ ſtrictius accommodatum, ætas vegetior, imprimis autem ſitus per aliquot ſeptimanas in lecto quietus &c. id procul dubio præſtiterunt, quod alias faſciarum moleſtus ac diuturnior uſus efficit. Verum enim vero, quum imitari eamdem curandi methodum, pauciſſimorum ægrotantium conditio ferat, nec primis ſtatim diebus effectus ſupra recenſiti (§. 25.) exſpectari queant; tutius erit, novæ, quæ ſub fortiori præcipue corporis agitatione, fieri poſſet, partium eruptioni, etiamſi ſaccus repulſus ſit, idoneam, prout (§. 27.) diximus, opponere vincturam. Qua rite adhibita, breviori temporis ſpatio, quam in malo, quod ſaccum reſtitutum non habet, herniæ curatio ſperari poterit. Contra ſi ſacci reductio aut neglecta fuit aut ſuccedere noluit, plerique autores faſciarum aut bracheriorum uſum, non ſolum per plurimos menſes & annos, verum etiam, in ſubjectis præſertim ætate provectioribus ac adultis, quamdiu vita durat, neceſſarium eſſe judicant.

## §. XXX.

Quo itaque partes repulſæ ab inguine ſcrotoque excludantur & ventri immorentur, parata eſſe debent tria vel quatuor ſplenia diverſæ magnitudinis, ac triangularis quadamodo figuræ, quorum unum poſt alterum, ſpiritu roborante ac nervino prius imbutum, loco debilitato ita applicatur, ut minora majoribus ſupponantur. Deinde pannis hiſce immediate ſuperimponitur aut ſubligaculum conveniens aut faſcia ſic dicta *ſpica inguinalis*, quam *Heiſterus* [u], *Baſſius* [v], *Vogelius* [x], deſcribunt, nitidiſque repræſentant figuris. Præſtat, hanc adhibere faſciam in malo recenti & quando æger, peracta repoſitione, duos pluresve dies quietum in lecto cubitum ſervare poteſt. Alias autem ſpicæ huic ingunali, dum operoſius renovatur, facilius a conſtrictione recedit, & aliquo modo ingreſſum impedit, merito præferuntur *Bracheria.*

## §. XXXI.

Excogitarunt autem herniotomi varia, pro ratione ſubjecti, loci, ætatis, partium elapſarum &c. diverſimode exſtructa & ex linteo, panno, goſſypio, lana, corio, ligno, atque chalybe vel ferro parata bracheria. Singulorum tamen figuras & utendi modos hic tradere nec inſtituti ratio, nec paginarum anguſtia permittit. Generatim itaque monemus, ea ſeligenda eſſe

[u] Libro citato Tabul. XXXVIII.
[v] *Im gründlichen Bericht von* Bandagen Tab. XII. p. 199.
[x] L. citat. ſect. I. p. 121. Tab. II.

eſſe ſubligacula, quæ (1) commode applicari poſſunt, (2) quorum præcipue pila reditui herniæ ſatis reſiſtit, nec tamen validiori, quam par eſt, preſſione partibus ſubjacentibus dolores ac inflammationes creat (3), quæ undiquaque & ab omni latere æqualiter premunt, ne ad hanc vel iſtam plagam partes repoſitæ, ablata reſiſtentia, magis inclinent, denuo procidant, ac ſic ab ipſo bracherio intercipiantur, (4) quæ ſub vario corporis motu ac poſitu locum non facile mutant. Specialiora qui deſiderat, adeat *Heiſterum* [y] *Baſſium* [z], *Blegny* [a], *Dionyſium* [b], alioſque, qui de ſubligaculorum conficiendi ac applicandi methodo prolixius & ex inſtituto egerunt. Tandem ſub dicto faſciarum & bracheriorum uſu convenit, abſtinere a potu & victu crudo ac flatulento, vitare cujuſcumque generis validiores corporis motus & ſervare excretiones, alvinas imprimis, in ordine naturali ac conſueto.

[y] Libro citat. Tab. XXV.
[z] Libro citat p. 191. ſeq. Item in obſervat. Anatomico - Chirurgico - Medicis p. 265.
[a] In tractatu de arte hernias curandi.
[b] Operat. Demonſtr. IV. figur. 21.

FINIS.

LXVI.

# DISSERTATIO CHIRURGICA

*DE*

# EPIPLO-ENTEROCELE

CRURALI INCARCERATA, SPHACELATA,

CUM

DEPERDITIONE NOTABILI SUBSTANTIÆ INTESTINI SPONTE SEPARATI, FELICITER CURATA, ALVO NATURALI RESTITUTA.

*Quam Præſide*

BURC. DAVID. MAUCHART PP.

*Tuebatur*

PHILIP. SIGISM. PALM,

*SCHORNDORFIENSIS.*

Tubingæ 20 Mart. anno 1748.

# PRÆFATIO.

HErnia, *Ramex Latinis*, *Germanis* ein Bruch, ein Leibſchade, *Gallis* une deſcente, une hernie, *eſt tumor, quem partes ſolidæ molleſque è cavo quodam naturali prolapſæ, & integumentis communibus obtectæ efficiunt, in abdomine potiſſimum obvius, & à peritonæi dilatatione, rarius ab ejuſdem ruptura oriundus. Si pars prolapſa, e. g. omentum, inteſtinum aliquod, ei loco, in quem procidit, incuneata & adſtricta fuerit, ut citra ſectionem intra abdomen reponi nequeat, & progreſſus fecum per illud incarceratum inteſtinum, ſanguiniſque per compreſſa vaſa circulus turbentur atque ſiſtantur, ſicque varia dolorum, inflammationis, gangrænæ, ſphaceli, vomituum, eorumque tandem ſtercoreorum &c. conſequantur ſymptomata, audit hernia incarcerata.*

*Variæ herniarum ſpecies, maxime inteſtinalis, eaque vel in inguine ſubſiſtens, vel in ſcrotum viris, ad labia pudendorum uſque feminis, deſcendens, vel &, rarius tamen, in femoris ſummam atque anticam regionem demerſa, mala ſunt nimis prohdolor! frequentia, & ſatis ordinarium ſenectutis flagellum. niſi debilis illa ætas ſibi tempeſtive proſpiciat. Quantacumque vero herniarum in genere vel incommoda ſint, vel & pericula, minime tamen comparari merentur cum vitæ ſummo diſcrimine illo, quod ex hernia imminet incarcerata. Unde hoc præſertim cultiore ævo, chirurgiæ dexterrimi quique variarum nationum chirurgi novas certatim quaſi inierunt varias methodos, quibus miſerrimos ejuſmodi ægros ab interitu retrahant, & canali inteſtinorum naturalem reſtituant libertatem atque permeabilitatem.*

*Sed omni licet adhibita cura ſubinde accidit, ut inteſtinum tale prolapſum, putredine ſphaceloque corruptum non modo crepet fediſſimamque ſentinam eructet, ſed & magno ſæpe tractu tandem à reliqua portione ſana ſecedat, ſicque abrupta, & notabili intervallo diſtantia relinquat duo extrema diviſi canalis inteſtinorum orificia; è quorum ſuperiore, ventriculo propiore & continuo, cum poſthac materiam fecalem jugiter exſtillare neceſſe ſit, hunc ſane exitum foras, quo minus in cavum abdominis periculoſe redundet, in loco herniæ procurandum atque anum quaſi artificialem ibidem conſtituendum, ceu ultimam ſalutis anchoram cenſuerunt, niſi quidem ſingulari non minus felicitate quam dexteritate duo inteſtini abrupta fruſta per ſuturam jungi & conſolidari queant, ſalva cavitate canalis, atque intra cavum abdominis ſervari, conſolidato hiatu ac ulcere, in quibus antea prolapſum hæſerat inteſtinum. Feliciter talem rem geſtam abs celebri* Guelpherbytano *Chir. Ramdohr laudat celeb.* Heiſterus *in Chir. ſua latina cap. de bubonocele incarcerata p.* 817. §. 12.

*Naturæ autem beneficio, citra artem & ſupra expectationem chirurgi, coalitorum ſponte talium fruſtorum & reſtituti hinc naturalis fecum alvinarum commeatus rariores oppido hiſtorias adaugere notabili quodam exemplo herniæ omentalis & inteſtinalis, in ſummitate antica femoris incarceratæ, ſ. herniæ quæ epi-*

*plo-enterocele cruralis audit, illudque notis ſcholiiſque illuſtrare in animum mihi videor non male induxiſſe, tum ut ſpecimen aliquod qualiumcumque meorum profectuum edere publicum, tum ut ipſa obſervationis raritate lectoris benevoli gratiam venari liceat. Communicavit, mihi hanc obſervationem celebris atque tam in anatome quam chirurgia raro prohdolor! Inter Germanos exemplo, verſatiſſimus, in civitate mea chirurgus Dn. Jac. Nicol.* Werner, *qui virum, unde deprompta eſt obſervatio, & vivum & mortuum oculis manibuſque ſubjecit chirurgicis & anatomicis. Hujus ergo ampliorem relationem, germanice perſcriptam, in compendio fideliter ſiſtam.*

## OBSERVATIO

SIc ſe habet: Thomas *Gipffel*, æt. 54. an. [*a*] macilentus, aliquandiu laborans hernia crurali lateris dextri, eaque vel ſponte intra abdomen redeunte vel facile ſaltem manibus reponenda, cui jam tum ſatis prominulæ oppoſuit bracherium, [*b*] ſed per negligentiam non ſemper applicitum, anno 1725. hyemali tempeſtate aliquot dies noctesque ſolemni aprorum venationi operam quoque ſuam commodavit, & nimio non minus motu corporis ac

[*a*] Infantibus pueriſque ut ſolidæ partes corpuſculi omnes ſunt molliores, laxiores atque debiliores, ita herniæ in umbilico & inguine facilius atque frequentius accidunt. Senectuti aliud eſt debilitatis vitium, à viribus exhauſtis atque fatiſcentibus, humorum inertium, viſcidorum, ſalibus impuris refertorum &c. dyſcraſia, ſolidorum vero exareſcentia, rigore, induratione. Unde, reſpectu herniarum, & hic ſenes bis pueri, & qui nunquam hernioſi fuere per totam vitam, tandem evadunt, è laxitate & atonia laminæ peritonæi internæ, inteſtinorum, omenti. Sed ſi herniæ inguinales & crurales fiant incarceratæ ſenibus, multo majus imminere, his, quam junioribus, periculum recte ſtatuit, Winslow expoſ. anat. *Traité des muſcles p.* 172. §. 81. quod faſcia ligamentoſa, quæ locum illius procidentiæ ambit, per ſenectam indureſcat ac exſiccetur, ideoque partem prolapſam fortius conſtringat

[*b*] Bracheria, ſubligacula, *Bruchbänder*, qualia vulgo parari ſolent è corio aut molliori panno, plus incommodi, quam uſus habent ordinarie, in herniis paulo majoribus, dum locum affectum, repoſita prius intra abdomen parte prolapſa, non ſatis fortiter & conſtanter comprimunt, ſicque in variis maxime & violentis motibus corporis, portionem aliquam inteſtini, vel omenti ſub ipſo bracherio tranſmiſſam, intempeſtive quin periculoſe, comprimunt, contundunt, & quaſi inter malleum & incudem defigunt. Præſtantiora ſunt, quæ ex ferro elaſtico, & pilis corioque obducto debite parantur, atque mediantibus affixis loris abdomini partique affectæ arctius apprimuntur. Sed ob hanc ipſam majorem compreſſionis vim, qua locus dilatatus ceu obturaculo firmiſſime munitur, tanto major impendenda eſt cura, ut pars prolapſa perfecte prius intra abdomen reddita fuerit, quam adplicetur tale bracherium. Retinuit præſes in pluribus ægris horrendæ magnitudinis hernias inteſtinales, in ſcrotum delapſas, ut illorum aliqui duriſſimum vitæ & opificii genus, cudendi & malleandi ferri, deinceps abſque incommodo & periculo proſequi valuerint. Stantibus vero, ambulantibus, ſedentibus nunquam tuto dimittitur bracherium, cum vel una vehemens ſternutatio herniam bracherio tum non munitam, poſſit mirum quantum intendere ac exacerbare.

ac longa gravique refrigeratione [*c*] effecit, ut prolapſum in hac hernia inteſtinum neque ab ægro, neque ab aliquot chirurgis, qui venationi tum intererant, in abdomen reponi valuerit. Unde in vicinum ſe pagum deferri curavit æger, & in via atque cubiculo frigido, quod inhabitavit, ulterius & graviter refriguit elapſum ejus incarceratum inteſtinum, ipſe vero patiens inconſueta incarcerationis herniæ ſymptomata incidit. [*d*]. Varia quidem domeſtica & euporiſta ſunt adhibita remedia, ſed incaſſum. Tranſvectus dehinc, tertio ab incarceratione die, in vicinum oppidum, Schorndorffium, curæ traditus eſt medici, beat. D. D. *Jægeri* & chirurgi Keppelmanni. Adhibuere hi clyſmata, primo ſtimulantia, dein emollientia, cataplaſmata diſcutientia, venæſectionem. Incaſſum omnia [*e*]. Quinto die chirurgus oppidanus juratus Werner, & militaris primarius Reiſer advocati ſunt. Refert ille, quod tunc ægrum deprehenderit gravibus doloribus & intumeſcentia abdominis, præſertim in inguine, laborantem, liquida & craſſiora vomentem,

[*c*] Multæ variæque ad incarcerationem herniæ ſic conſpirarunt cauſſæ: victus inordinatus, potus frigidus, motus corporis nimius, currendo, elevando & portando onera, inclinando corpus ad humum, refrigeratio ab extus per aliquot nycthemera, & forſitan quoque bracherii omiſſio, aut minus adæquata & ſufficiens applicatio: Unde omentum & inteſtinum, jam ante ſatis extra abdomen prominula, magis ſunt extruſa, feces inteſtini prolapſi incuneatæ, tunicæ vero & vaſa ſanguinea magis magiſque ab arcu tendineo inguinis, ſub quo procidentia facta eſt, ſtrangulata, ſanguinis in prolapſis partibus circulus, & ab ipſo frigore, retardatus, ſicque inflammationis, gangrænæ, ſphacelique poſita fundamenta. Refrigerationis vero cauſſam alere perrexit ægrotus, vel ſaltem debito caloris gradu non gaviſus eſt, in via & pago, quo ſe deferri curavit, cum in cubiculo decumberet frigido.

[*d*] Ordinaria hinc incarcerationis herniæ ſymptomata conſequi neceſſe erat, qualia ſunt: dolor in parte affecta conſtrictorius, pulſatorius, abdominis torminoſus, diſtenſivus; inflatio & tenſio abdominis, nauſeæ, vomitus primo ingeſtorum, & contentorum ventriculi, dein varii liquaminis fædi, ultimo fecum ſtercoriſque, quod phænomenon, affectui præcipue tribuit nomen τȣ miſerere! alvi vero pertinax ordinarie conſtipatio: anxietates, inquietudines, agrypnia, intenſiſſima ſitis, febris, extremorum frigus. Quæ quanta ſint, quanta cum miſeria, quantoque juncta periculo facile patet, & frequens tragicus eventus confirmat.

[*e*] Repoſitio quidem tentata eſt, tenſioni oppoſita emollientia, alvus clyſmatibus lubricata & ſtimulata, venæſectione obviam itum ſtaſi inflammatoriæ; ſed incaſſum omnia, cum mala per longas invaluere moras. Brevi autem partes ejuſmodi ſtrangulatæ membranaceæ & vaſculoſiſſimæ, uti ſunt inteſtina, ſtaſin incurrunt ſanguinis inflammatoriam & putrefactivam, ipſaque inteſtini prolapſi portio magis inflatur & intumeſcit, flatibus, fecibuſque infarcitur, & ſibi ipſum ponit redeundi obicem. Omentum vero ob teneritudinem & arteriarum exilitatem parum habet nativi caloris, facile citoque refrigeſcit & in ſphacelum abit. Si magna vis in retruſione impendatur periculum contuſionis & crepaturæ incurrit inteſtinum. Neque certa ſemper eſt ſalutis anchora, in partis prolapſæ repoſitione, ſi illa gangrænam aut ſphacelum jamjam conceperit. Repoſuit olim celeb. *Mery* tale inteſtinum, cum euphoria ægri, ſed brevi relapſum eſt, & æger aliquot abhinc mortuus eſt horis. vid. Memoir. de l'Acad. des Scienc. an. 1701. p. 357. edit. Amſtelod. Niſi ergo primo tempore, quod tridui ſpatium, & aliquando ne tam longum quidem, permittit, repoſitionis affulgeat opportunitas & felicitas, atque ſigna inflammationis increbeſcant, ad operationem chirurgicam eſt properandum.

tem, alvo conſtipatum & inanibus dejiciendi conatibus ſtimulatum: Tumorem hernioſum durum, turgeſcentem, magnitudine parvæ cucurbitæ, rubore inflammatorio notari ceptum: flatibus fecibuſque infarctum, quod prociderat, inteſtinum: Arcum tendinoſum, vel ligamentum Veſalii à conſtrictione ſpaſmodica valde extenſum: [*f*]. Pulſum durum, frequentem & intermittentem: ægrumque ſiti intenſa, agrypnia, inquietudine perpetua vexatum [*g*]. Repetebatur venæ ſectio, neque tamen ita frequenter, ut Galli ſolent [*h*], propinabantur optima antifebrilia, carminativa, demulcentia, nitroſis remixta [*i*]. Imponebant cataplaſmata reſolutivo-emollientia,

[*f*] Arcum illum tendineum jam olim deſcripſit præſes in diſſ. de hernia incarcerata. An. 1722. hic impreſſa, accurate etiam tradidit Winslow in expoſ. anat. Trait. des muſcles, paſſim, imprimis p. 172. Cur vero appellaverit ligamentum Fallopii non liquet, cum Veſalius in C. H. fabrica lib. II. c. 31. p. 334. illud deſcripſerit ante Fallopium, & hic in ſuis obſervationibus ultro fateatur, ſe nihil de ligamentis quibus oſſa nectuntur, ſingulare quod proferat, habere, Fallop. obſ. anat. P. 42. *Garengeotius. Traité des operations de chirurg. T. I. c. 5. des hernies p.* 140. arcum eumdem pariter allegat, & applicat ad doctrinam de herniis. Hanc itaque cramben anatomicam non recoquam, ſed chirurgis tamen probe ruminandam commendo, illis maxime, qui tam momentoſæ, ac delicatæ ſe accingunt operationi, qualis herniæ debetur incarceratæ, tot difficultatibus circumſeptæ, quas abſque anatomes profundiore ſcientia vix ſuperare feliciter licet. Quid autor hujus relationis ſibi velit per illam conſtrictionem ſpaſmodicam & ab hac pendentem magnam extenſionem arcus tendinei, non liquet? Si enim hujus fibræ tendineæ contrahantur ſpaſmodice, non poſſunt ſimul extendi, i. e. non poſſunt abbreviari & elongari eodem tempore, quoniam eſt contradictio. Extendi vero poſſunt à tranſeunte inteſtino flatibus & fecibus turgeſcente, & tale inteſtinum prolapſum poteſt fortiter urgeri foras a cohærenti tractu inteſtinorum intra abdomen, ſpaſmodice contracto, agitato, deorſum nitente.

[*g*] Mors in olla! facies Hippocratica imminet! Scilicet denotant hæc ſigna eminens febrile incendium, vires labaſcentes & proſtratas, halitus putredinoſos in ſanguinem & viſcera reſorptos.

Forſan haud procul ægri facies abfuit ab illa, naſi contracti, oculorum inſtar moribundi, vocis propemodum exſtinctæ cum pulſu tenuiſſimo vix ſenſibili, quæ Meryum deterruit olim a tentamine repoſitionis, nedum operationis per inciſionem in ægro tali hernioſo, paucis ab hac inſpectione horis mortuo. Vid. *Memoir. de l'Acad. des Scienc. an.* 1701. *p.* 368. edit. Amſtelod.

[*h*] Quid V. S. in hernia incarcerata, gangræna incipiente & ſphacelo imminente, in ſubjecto ſenili, paupere, exhauſto, pluries repetita boni præſtare poſſit non video? nec non in aliis ſimilibus tam externis, quam internis affectibus. Imo vidit præſes, mali potius inductum fuiſſe plurimum, cum ipſo ſanguine vires exhauſtas, materiam circuli ſanguinis ſubtractam, cor non habuiſſe amplius quod moveat, & circumagat, ipſas ſtaſes ſanguinis eo ipſo ingraveſcentes, quod gutta guttam valide propulſare deſineret, impetu deficiente, ſanguine nimis dilapidato. De ſuo in venæ ſectionibus exceſſu, videant Galli, & ne in contrarium labantur vitium Germani caveant. Media tutiſſimus ibis via.

[*i*] Paucis multa dicuntur. Ampliſſimus eſt horum indicatorum cenſus. Plura ſpecificæ virtutis. Alia dicantur ſtaſi ſanguinis reſolvendæ, diſcutiendæ: Alia alvo reſerandæ, ſtimulandæ: Alia criſpaturis ſpaſmodicis relaxandis: Alia viribus roborandis. Inter antifebrilia, eaque non ſimpliciter & unice paroxyſmis ſupprimendis & mitigandis deſtinata, cortex peruvianus & hic eminere, novoque titulo ſuperbire videtur, ex quo, præeuntibus

tia, oleo lini, vitellis ovorum & ung. de alth. remixta; locus affectus totumque abdomen calide perungebatur oleoſis, ad partes ſtrictas relaxandas [*k*].

Inciſionem atque debitam operationem chirurgicam in primo ſtatim acceſſu vel examine ſuadenti Dno. Wernero aurem haud præbuere vel æger, vel ejus uxor atque liberi, mortem ipſam ſectioni præferentes, ipſe etiam Stutgardia evocatus tum adhuc vivens chirurgus Simonius nimis tarde nunc tentari operationem cauſſatus. Hinc illo ſtatim die quinto, quo ægrum inviſerat prima vice, hunc ordinariis ſuis medico & chirurgo reliquit, manumque ab opere retraxit Dn. chirurgus Werner; ſed quinto poſt revocatus, itaque decimo herniæ incarcerationis die, omnia in pejus interea ruiſſe obſervavit: oculi enim erant fixi torvique, artus frigore quaſi glaciati, ſudor frigidus, abdomen durum, inflatum, pulſus debiliſſimus & quaſi nullus, tota regio tumoris hernioſi fuſco-rubra, circulo cincta nigro: vomitus, ſingultus, diffuſa per abdominis inferiora inflammatio, ad ſummum evecti erant faſtigium: faciei totiuſque corporis color luridus (*eine heſsliche Farbe*) cum horrore & frigore, deliquiis gravioribus [*l*].

Con-

bus primum Anglis, horumque poſtea ſequente veſtigia celeber. D. D. *Werlhoff*, in hujus obſervationibus de febribus p. 255. item in commercio literatio Norimberg. An. 1735. p 3. largiores quotidianæ corticis illius doſes ipſi ſphacelo, in caſibus etiam herniæ incarceratæ & ſphacelatæ mira felicitate ſunt oppoſitæ. De modo agendi ingenioſe docteque differentem in illis obſervationibus ſuis Werlhoffium operæ pretium eſt evolvere.

[*k*] Cum eo res devenit, ut gangræna ſphaceluſque partem aliquam occupaverit, emollientia, oleoſa communia, non ætherea, minime conveniunt. Quo igitur ea cataplaſmata, herniæ gangrænoſæ applicita, magis reddiderint diſcuſſiva & reſolventia eo fecere rectius. Arcus ille tendineus parum ſe relaxari patitur emollientibus: in illius vero relaxatione tempeſtiva cardo poſitus eſt curationis. Emollitio loci affecti id unice boni præſtat, ut feces induratæ inteſtini prolapſi mobiliores evadant; omnis reliqua emollitio, nihil facit ad rhombum. Quorſum enim in tam forti ſtrangulatione faciet integumentorum herniæ emollitio; ut ſe patiantur ulterius expandi, & contentum inteſtinum ſtringant minus! Ita vero corticem lambunt, intacto nucleo, neque enim illa ſtrangulatio, quæ a ſtrictioribus integumentis ipſiſque ſaccis proficiſcitur hernialibus tanti eſt, cui primario mederi oporteat. Tamen non male litus oleoſi deſtinantur abdomini reliquo, valde tenſo, dolenti, niſi & huic ſubſit diffuſior inteſtinorum, abdomine contentorum, inflammatio.

[*l*] Mors ad januam! Syndrome peſſimorum ſymptomatum! quis hic manum admoveat operi, niſi ſtudio ſervandi ægri potius, quam tuendæ famæ ardeat; non deſunt inepti malevolique judices, ſi operationis chirurgicæ alea ſiniſtre ceciderit, qui operatorem inculpent, occidiſſe hominem, quem ſervare non potuit. Maſcule igitur & chriſtiane cum Celſo noſtro ſenſit chirurgus Werner: nihil intereſſe, an ſatis tutum ſit præſidium, quod unicum eſt, & melius eſſe anceps experiri remedium, quam nullum: Sed & prudenter ſe munivit prognoſtico, præmonens dubium eventum, & animæ curam commendavit ægro præmittendam. Sunt enim graves omnino reatus illi, quibus ſe implicant ſubinde medici & chirurgi, quando ægros ſuos de imminentis lethi periculo non tempeſtive ſatis & ſerio admonent.

Conclamatis ita rebus ægri conſentit vel tandem ejus familia in operationem chirurgicam, quinque diebus ante propoſitam; quam & Dn. Werner ſe tentaturum non abnuit, ſatius eſſe reputans aliquid quam nihil agere, ſed præmiſſa de dubio eventu admonitione, ut ne culpa in operatorem devolvatur, ſi, quod facile fieri poſſit, vel in ipſa operatione, vel brevi poſt æger diem obierit ſupremum. Igitur poſtquam æger a ſuo confeſſionario ſacro munitus epulo, & apparatus chirurgicus ſtatim adornatus eſſet, incidit ſpithamæ longitudine operator ſcalpello recto tumoris hernioſi partem cutaneam primo uſque ad ſic dictum hernialem ſaccum, enormiter infarctum & diſtentum: hunc dein foramine aliquo inflicto aperuit, & immiſſo ſpecillo ſulcato, in apice clauſo, & introducto ſcalpello forficeque ſaccum hunc ſucceſſive dilatavit [*m*]. Poſt hujus detectionem [*n*] ſe ſtatim conſpiciendum dedit omentum, obtegens prolapſa in-

[*m*] Rectiſſime proceſſit chirurgus in modo operandi, variis dubio procul obſervatis encheireſibus atque cautelis aliis valdopere neceſſariis, quarum expreſſam non fecit mentionem. Neque eſt, quod hic opponas ingenioſam Cheſeldeni celebris chirurgi Angli methodum, qui abdominis regionem inferiorem ſcalpello aperit magna rectaque plaga uſque ad locum prolapſus, digitiſque in cavum abdominis immiſſis retrahit inteſtina prolapſa, omentum vero adnatum acu duplex filum trahente perforat, ligat, amputat, hacque methodo feliciter ægrum reſtituiſſe contendit; vid. celeb. Heiſteri chir. lat. p. 813. §. 6. Taceo enim alia impedimenta, quæ hunc operandi modum promiſcue haud admittunt, ſufficit in præſenti caſu deprehenſa gravis ſphaceloſa atque putredinoſa notabilis inteſtini tractus corruptio, & hinc ea teneritas inducta atque fragilitas, quæ ne placidam quidem elevationem, nedum violentam tractionem, ſuſtinuit abſque crepatura. Neque etiam adſtipulor illis chirurgis, qui facta bubonoceles operatione deprehendentes aliquam inteſtini, vel omenti portionem ſphacelatam, hanc una cum reliqua inteſtini portione integra, vel ſaltem nec ſphaceloſa, nec gangrænoſa, reponunt in cavum abdominis. Illam enim ſphacelatam particulam ſeparari, excidere, & per conſequens inteſtinum tunc notabili hiare foramine oportet, per quod feces in cavum abdominis redundent, ſanaſque partes vicinas inquinent, ſaltem eo uſque, donec claudatur, & conſolidetur præternaturalis ille hiatus. Neque tam commode poſſunt remedia huic ſtigmati ſphaceloſo intra abdomen opponi, quam extra, dum illud in loco herniæ extus tam diu relinquitur, donec ſeparatio facta fuerit emortui fruſti & hiatus conſolidatio; interea vero ſtrangulatio, inciſo & dilatato prolapſus tendineo annulo, nihilominus tolli poteſt atque debet.

Neque celeb. Petiti Pariſienſis chirurgi methodus hic locum habet, qua nempe inciſis hernioſi tumoris integumentis, dilatato per ſectionem annulo, qui partes prolapſas vehementer conſtringit, & integro relicto ſacco, partem prolapſam abdominis cavo refundit, ſaccum, vel per ſe liberum, vel ſi adhæſerit, ſcalpello ſeparatum, in annulum dilatatum attollit, ibidem in glomerem quaſi convolvit, & ut annulo atque peritonæo concreſcat operam dat. Quam enim partes ſphacelatæ, putredinoſa refertæ amurca, inteſtinum crepaturæ proximum, in cavum abodminis ſimpliciter repreſſæ cum ſuo ſacco continente tragœdiam ludere poſſint, vel Davus facile ſubolfecerit?

[*n*] Saccus hernialis etiam in hernia crurali duplex eſt, externus & internus, niſi quidem hernia acciderit per violentam laminæ peritonæi internæ rupturam ac perforationem: externus ſaccus conficitur partim a ſubſtantia celluloſa & externa lamina peritonæi, quæ comitatur vaſa cruralia, abdomine exeuntia, partim a fibris aponeuroticis

inteſtina ad eorum fere partem infimam uſque, incraſſatum nigrum atque ſphacelatum. Hoc ipſum elevavit, & verſus abdomen reflexit, in ſuperiore parte filo cerato, mediante acu recurva circumducto, vincivit [o], atque infra ligaturam reſecuit. E ſacco herniali aliquantillum ichoris putridi emanavit; inque hoc magna inteſtini ilei portio carbone fere nigrior [p], & meſenterio parum adhuc connexa comparens, poſt modicam elevationem in parte ſuperiore ſtrangulationis crepuit, ejuſque fruſtum, longitudine duorum fere pedum cum dimidio ſponte ſeceſſit, a reliqua portione inteſtini [q]; quam vero tetram mephitidem ſpiraverint flatus feceſque confertim ex inteſtino erumpentes, dici vix poteſt? Fruſtum hoc inteſtini, à ſuperiore ſua parte ſeparatum, ad genu ægri propendebat, & ſequenti die penitus ſponte ſolvebatur.

Saccus hernialis una cum integumentis ulteriore inciſione dilatabatur uſque

cis arcus tendinoſi muſculorum obliqui externi & interni: internus vero a lamina peritonæi interna, foras protruſa & inſtar infundibuli in inguen & femoris ſupremam regionem anticam dilatata. Talem ſtructuram inter operandum, animo in alia defixo, non æque obſervat operator, in tali vero putredinis partium ſtatu ne quidem poteſt diſtinguere.

[o] Plurimi chirurgi videntur non ſine gravi ratione improbare omenti ſphacelati in aliqua ſui portione, repoſitionem in ejuſmodi caſibus, vel & vulneribus abdominis, ſine ligatura & abſciſſione partis corruptæ. Ligatura ſupra locum abſciſſionis & in parte ſana requiritur, tum ut vaſcula ejus ſanguinea conſtringantur, ne ſanguinem in cavum abdominis effundant, tum ut omentum poſt repoſitionem ſervetur vicinum vulneri, mediante filo foras propendente & attracto, ut pus ſuum extra abdomen exſtillet, & denique pars omenti ligata & per ſuppurationem abſcedens poſſit extrahi. In eo autem caſu, uti hic ſe præbuit, cum omentum eſt incraſſatum tumidumque tanto magis conducit, filum duplex ceratum mediante acu per medium omentum prius trajicere, & tum demum circumligare, ut ne quando poſt abſciſſionem detumeſcit omentum, filum, intempeſtive laxius factum, ſolvatur.

[p] Famigeratiſs. ille medico-chirurgus & Profeſſor Lugduno-Batavus Raw, cum in ejuſmodi ægro, aperto ſacco, inteſtina nigra conſpiceret, mox ſcalpellum projecit, ab opere deſtitit, ægrumque reliquit, prætexens illum ſervari non poſſe, ſed ei brevi eſſe moriendum: referente Heiſtero in chir. lat. p. 816. nota (a) quod altero quidem die ſic evenit. Præſentis vero caſus felicior eventus manifeſte docet, præter omnem ſpem & expectationem aliquando reſtitui ægrum; ergo non eſſe deſtituendum abs chirurgo.

[q] Mechaniſmo ſingulari, vi arteriolarum oſcillatoria, ſanguinis craſi non in univerſum corrupta, viribus ægri utcumque ſubſiſtentibus aliquando ſponte, citra concurſum artis, ſolvitur ſucceſſive pars corrupta ſphacelata a reliqua viva, ſana. Rariſſimum & ſtupendum ſpontaneæ talis ſeparationis & cruris quidem totius, a genu uſque ad extremos digitos, ſphacelati, luridi, cadaveroſi, in femina, ab eryſipelate maligno vidit olim Præſes in praxi beati parentis, caſum, ab hoc in ephemeridibus naturæ curioſorum, ſub titulo, pedis ſponte decidui, deſcriptum. Inteſtini ilei in hernia crurali incarcerata ſphacelati, & poſt ſacci hernialis factam inciſionem, maximum tractum quatuor certe, vel quinque pedum Pariſinorum abs Chir. celeber. Mery reſectum, ægramque illam virginem reſtitutam, ſervato artificiali ano in illo herniæ loco, ipſe refert Mery in Mémoires de l'Acad. des Scienc. Anno 1701. p. 372. edit. Amſtelod.

uſque ad ligamentum Veſalii verſus os ilei [ *r* ]. Tota ulceris, qua patebat, regio ſiccis obtegebatur plumaceolis, atque iis defendebatur remediis, quæ putredini gangrænoſæ reſiſterent, abdomini vero toti epithemata inſternebantur reſolventia, cunctaque decenti obfirmabantur vinctura. Nec parce propinata ſunt analeptica & juſcula hordeacea. Primo ab operatione octiduo nihilo quidquam melius habebat æger, niſi quod ſingultus, vomitus, acerbiſſimique dolores tenſivi abdominis remitterent; hoc etiam intervallo receſſit penitus mediante ſuppuratione, tota circumferentia ulceris integumentorum ſaccique hernialis. Sed hujus ſacci paries inferior non niſi lentius ſecedebat. Facta vero vel tandem ejus ſeparatione, vaſa cruralia denudata arteriaque pulſans conſpiciebatur [ *s* ].

Poſtquam vero reliquiæ partium corruptarum undiquaque eſſent expurgatæ, & ulceris ſuperficies diſcum quem menſis adhibere ſolemus, amplitudine æquaret, ſucceſſive inducta eſt cicatrix, effluentibus tamen per ſemeſtre fecibus e relicto ulcere & inteſtino hiante. Intra hoc tempus data eſt opera, ut, per ſcitam faſciationem & ſplenia, ulcus poſthac vices ani ſuppleret, eaque via æger per omnem vitam feces redderet alvinas (*t*). Æger recepit vires pedetentim, domo exivit, levioribus ſubinde vacavit laboribus.

Aſt cum foramen ulceris atque inteſtini magis magiſque ſe contraheret arctius, & aliquot ſeptimanarum ſpatio non niſi fluidiora tranſmitteret, remanentibus craſſioribus fecibus, ſupervenit nova abdominis diſtenſio flatulenta, quamvis non niſi fluida & juſcula hauriret patiens; imo cum &

[ *r* ] Saccus itaque hernialis, jamjam ſcalpello apertus, ulteriore inciſione verſus ſuperiora dilatatus eſt, oblique verſus os ilei & foramen illud ovale ſub arcu tendineo vaſa cruralia &c. emittens, ut partes herniæ continentes & contentæ à ſphaceloſa corruptione melius purgari poſſent. Arcum tendineum, qui tamen ſtrangulationis primaria fuit cauſa, cur non diſciderit atque ſic relaxaverit chirurgus? Hæc ſubfuit procul dubio ſufficiens ratio, quod omenti parte prolapſa reſciſſa, depleto & collabaſcente inteſtino, imo in longitudine tam notabiliter decurtato, ſtrangulationis efficacia defecerit, locuſque procidentiæ ſatis ample patuerit. Illum tamen arcum tendineum ſi oportuiſſet diſſecari, inciſio magis verſus pubem, quam os ilei, dirigenda fuiſſet, ob metum ibi diſcindendi arteriæ epigaſtricæ truncum.

[ *s* ] Quanta igitur hic opus ſit deteritate in promovenda ſeparatione parietum ſacci hernialis poſticorum, magnis cruralibus vaſis immediate adhærentium, ipſa res loquitur! Anne ſaccum ita adhærentem licet ſcalpello ſeparare, an lanceola mediante profundius ſcarificare, & ſeparationem ſic adjuvare? Dubito vehementer. Syrtes hæ ſunt ſtudioſe evitandæ.

[ *t* ] Plurima talium curationum exempla proſtant, poſt hernias incarceratas & vulnera abdominis inteſtinorumque. Cheſeldenus in anat. ſua Anglicana iconibus repræſentat & deſcribit exemplum inteſtini in hernia umbilicali ſphacelati, & dehinc ex umbilico notabili longitudine jugiter penduli, & vices ani denique gerentis. Tranſmitto brevitatis ſtudio, quæ hic poſſent addi, de modo ſervandi talem fiſtulam apertam, & mundam: item de inteſtini divulſi inferiore fruſto: de naturali excretione fecum per inteſtinum rectum, qualis aliquandiu ſubinde perennat.

& anguſtum hoc orificium cicatrice penitus occluderetur (*u*), priſtina denuo ludi tragœdia, redire vomitus & inflammatio ac tenſio abdominis dolorifica ceperunt. Duræ & accumulatæ feces inteſtinorum infarctorum digitis percipiebantur per tranſverſum integumentorum abdominis, valde emaciatorum [*x*]. Sub novis hiſce anguſtiis injecit Dn. Chirurgus Werner inteſtino recto, per anum, clyſmata aliquot mediante veſica bubula, cui tubulus erat alligatus, more ſcil. inter plebeios ſolemni, & cum ſufficientem inde non reportaret fructum, ſubſtituit ſyringam, qua per vices impulit copioſe fortiterque in anum mox oleoſa, emollientia, mox ſtimulantia, donec eadem via copioſe feces alvinæ excernerentur, & vomitus æque ac abdominis moleſta inflatio ceſſarent, atque æger ſucceſſive naturali per anum excretione fecum conſtanter gauderet per 22. fere annos [*y*], & munus ſuum tribuni mendicantium aliaſque operas manuarias obiret pro virili [*z*]. Ultimis vitæ annis novam idem æger adeptus eſt

[*u*] Poſſet alias & deberet tale orificium in debita conſervari diametro per turundam, lenia ſeptica &c Cautelæ vero hujus neglectus in ſalutem ceſſit ægro, dum occaſionem præbuit inteſtini duobus ſeparatis extremis ſe mutuo recipiendi atque uniendi. Videtur tamen incipiens intra cavum abdominis, proxime ad foramen fiſtulæ, conſolidatio hæc inteſtini cauſa fuiſſe, cur ipſum foramen ſe indies contraxerit in anguſtius ſpatium.

[*x*] Porta clauſa fecibus, hucuſque foramine & ano illo præternaturali exire conſuetis, non poterant non accumulari illæ in inteſtinis, &, ſi hiaviſſet alicubi ſuperior tenuium tractus, in cavum excerni abdominis, funeſto ſane eventu. Sed metum hunc, extravaſationis fecum, diluebat primum diſtinctus gyrorum inteſtinalium infarctus, digitis in ſuperficie abdominis externa tangendus. Coalitum vero utriuſque extremitatis inteſtini præſagire aut demonſtrare nullum poterat aliud phænomenon, quam alvi repetita & larga excretio naturalis per inteſtinum rectum, ſtipata remiſſione vomituum, tenſionis & inflationis abdominis. Cæterum in corpore emaciato poſſe infarctum inteſtinorum extus digitis percipi mirum non eſt, cum & ipſa aorta, profundius multo ſita, nec tantæ amplitudinis tangi & ejus valida pulſatio ſentiri digiticis potuerit in hecticis emaciatiſſimis.

[*y*] Vel tactu igitur percepit chirurgus diſtincte etiam inteſtini coli infarctum, forſan & principii recti inteſtini, atque ſic clyſmatibus uſum fore aliquem prævidit? Vel in caſu deſperato, nihil non tentandum cenſuit, vel & tacitam obſcuramque ſpem concepit, unionis illius rariſſimæ inteſtini extremitatum? Quocumque egerit fine, peregit feliciter! Aſt non emollitione ſaltem & lubricatione recti colique inteſtinorum, per oleoſa, ſed etiam excitatione, ſtimulo, fibras inteſtinorum muſculares ad contractionem, & hinc propulſionem fecum irritantibus. Quænam adhibuerit ſtimulantia, non recenſet? Præſtare potuerunt hanc operam ⊖ culinare, ⊖ gemmæ, mel crudum, flores acaciarum, folia ſennæ, ⊖ catharcticum Anglicum, ſem. anis, &c. imprimis tabaci Virginiani, canaſter dicti fumus, inteſtino recto, peculiari mediante fiſtula, inſufflatus, quem mira laudat celeb. Heiſterus in chir. lat. præſtitiſſe in herniis incarceratis.

[*z*] Tantæ molis erat toties depellere mortem! Singularis & feliciſſima profecto hæc eſt curatio, & exemplum futuris ſimilibus deſperatis caſibus! Sed & ſpecimen præbet ſcientiæ & dexteritatis chirurgi Dn. Werneri, quod concivi meo hinc ex animo gratulor.

V 2

eſt in priſtino herniæ loco protuberantiam & inteſtini procidentiam, ſine notabili tamen incommodo, ne tum quidem, cum ſucceſſive in majorem increviſſet molem [a]. Bracherium quidem ſubinde oppoſuit & geſtavit, frequenter tamen quoque ſepoſuit. Tandem & his, & vitæ impoſuit finem maraſmus ſenilis, anno ætatis ſeptuageſimo quinto.

## SECTIO CADAVERIS.

Anno 1747. d. 3. Jul. inſtituta, ſed ſolius abdominis & partium olim in hernia affectarum. Externe comparuit nova herniæ cruralis protuberantia, pugni magnitudine. Aperto abdomine & reclinatis integumentis obtutui primo ſe ſtitit omentum tenue & omni privatum pinguedine, protenſum non modo uſque in hypogaſtrium, ſed affixum quoque ibidem paſſim [b], maxime foramini ovali [c], quo vaſa cruralia & tendines iliaci atque pſoæ & nervus cruralis anticus cavo abdominis exeunt, in latere autem oppoſito libe-

[a] Recidiva alias morbo pejor audit: hic non fuit. Cur? An quod inteſtini ilei portio notabilis, putrefactione prævia, fuit ablata? An quod annulus ille ellipticus, ſub ligamento Veſalii reſtitit amplior, atque ſic ſtrangulatio minus fuit metuenda? An, quod æger, ceu piſcator ictus ſapuit, & prudentius ſibi cavit à periculoſis in regimine & diæta erroribus? Neutram ex his ſolis ſufficere cauſam puto. Potiorem detexit ſectio hujus viri, in ætate decrepita ſenili maraſmo confecti: ſcil. inteſtina oſtio procidentiæ interno vicina hic ibi latius peritonæo accreverant, ut motum fluctuationis periſtalticum non potuerint exercere, nec adeo profunde foras excidere denuo.

[b] Hecticis adeo attenuatur omentum, & exhauritur omni ſua pinguedine, ut telam quaſi aranearum æmuletur. Certiſſimo ſane indicio reſorberi ſucceſſive pinguedinem è cellulis omenti per vaſa referentia in maſſam ſanguineam, ut, aliquando æger inſignem alens aqualiculum, & ſumma deglutitionis difficultate diu laborans quæſitus, quomodo vitam vireſque ſuſtineret in tam longa inedia? non male per jocum reſponderit: ſe in diebus ſanitatis tantam collegiſſe in corpore ſuo annonam, unde jam ſatis nutriri poſſit. Hæc ipſa vero omenti tenuitas, atque levitas non minus, quam accretio amplior ad varia hypogaſtrii loca effecerunt, ut in herniæ recidiva non comitaretur inteſtinum. Cæterum omenti hæc tenuitas, levitas atque laxitas impedierunt, quo minus, ob adhæſionem in infimo hypogaſtrio ventriculus jejunus moleſta tractione laceſſeretur, unde aliquando Præſes obſervavit, nauſeas vomituſque viro, dum jejunus eſſet, concitatos fuiſſe chronicos, donec violentiore vomendi impetu medium crepuerit omentum, & ventriculo perpetuam indulſerit quietem. Sc. in ſectione hujus viri, aliquot poſtea annis demortui repertum eſt omentum medium diviſum, fruſto inferiore adnato ad locum peritonæi, qui ab incipiente inguinali hernia tentari ſolet, atque dilatari.

[c] Foramen hoc ovale, per quod ex abdomine in femur trajiciunt tendines muſculorum iliaci & pſoæ, arteria & vena cruralis, atque truncus ille magnus cruralis nervi, in ſtatu naturali non eſt foramen, non hiatus, ſed repletur partim illis ipſis tendinibus, vaſis & nervi trunco, partim obtegitur intus lamina peritonæi interna, partim fibris reticularibus portionis celluloſæ peritonæi interpolatur, ut ſic plures uno ponantur obices elapſuris hac via contentis abdominis. Sed in viri hujus cadavere omnino ſe habuit tanquam foramen pervium, idque ſatis amplum, utpote per quod inteſtini ilei portio liberum ſervavit commeatum: & quod à peritonæi lamina interna non potuit amplius obtegi in cavo abdominis, utpote olim per putrefactionem in loco prolapſus ſeparata.

liberum, nullibi adhærens. Reſcindebatur omentum ſupra locum adhæſionis ad illud foramen, ejuſque pars ſuperior reclinabatur verſus ventriculum, infima vero portio adhærens ſuo loco relinquebatur tamdiu, donec recidivantis herniæ tumor aperiretur. Integumenta & muſculi abdominis ſcalpello aperiebantur ſenſim ſenſimque in parte affecta, una cum ſacco herniali [*d*], qui partem inteſtini ilei undiquaque ſani, neque fecibus, neque flatibus diſtenti, continebat, nihil vero quicquam de omento. Duo inteſtini ilei, quod olim magnam ſubſtantiæ & longitudinis jacturam fecerat è putredine ſphaceloſa, extrema tam ſcite per cicatricem coalita, mediantibus peritonæi parietibus, reperta ſunt, [*e*] ut ſufficiens atque liber fecum commeatus permanſerit ad anum, licet inteſtini diameter aliquantum naturali anguſtior, in loco coalitus fuerit [*f*]. Latiori etiam peripheria accrevit inteſtinum hoc coa-

[*d*] Saccus hicce hernialis, ſi quidem diſtinctus aliquis tum adfuit, quo inteſtinum denuo prolapſum undiquaque cingeretur, non potuit ejuſdem eſſe naturæ, qualis primum in operatione chirurgica deprehenſus eſt: Per illam enim putrefactionem atque ſuppurationem internus ſaccus hernialis, à dilatatione peritonæi lamellæ internæ efformari ſolitus, totus fuit conſumtus, nec video, unde fuerit regeneratus? potuit tamen aliquo ſacco peculiari inteſtinum prolapſum denuo indui, a celluloſa & pinguedinis & peritonæi lamella, qualis alias ſaccum hernialem externum conſtituit.

[*e*] Coalitum hunc e phænomenis ſuſpicari, imo certiſſime licebat ſtatuere, jam vero confirmat autopſia. Partes diviſas, vulneratas, excoriatas, ſibi proxime contiguas, concreſcere quotidiana docet experientia; ſed duas extremitates canalis diviſas ita ſe recipere, ut limbi ſaltem & tam accurate coaleſcant, ut cavitas intermedia maneat libera, utque hæc omnia ſolius naturæ beneficio fiant, ſine concurſu artis, quæ partes diviſas appropinquet, jungat, junctaſque ſervet, id ſane eſt, quod jure meritoque miror veneror-que. Miratur talem coalitum quoque *Courtial dans ſes obſerv. anatom. ſur les os*, in additionum obſervatione ſexta, p. 154. a Paris 1705. in caſu herniæ inguinalis incarceratæ in virgine, cui portio inteſtini prolapſi & gangrænoſi fuit reſecta, dimidii pedis longitudine, ægra vero reſtituta feliciſſime, ut ſine ullo recidivantis herniæ indicio valuerit optime, & in ſubſequenti matrimonio tres feliciter ediderit partus. Exemplum, quod recenſet celeberr. *Heiſter* in chir. lat. cap. 117. p. 12. p. 817. ſ. de ingenioſa non minus ac felici curatione, quam chir. aulicus Ramdohr perfecit in fæmina, cui poſt herniam incarceratam & ſponte ruptam, exciſa eſt magna inteſtinorum pars corrupta: binas vero partes extremas eaſdemque ſanas inteſtini, ſuperiori in inferiorem inſinuata, leniter per injectum filum conjunxit ille chirurgus, in abdomen repoſuit, filique circumducti ope ad vulnus abdominis attraxit, atque ſic effecit, ut cum vulnere conferveſceret, & ad glutinationem (quod mirum videri agnoſcit & ipſe *Heiſter*) inteſtinum diviſum perveniret, fecibus poſtea non per vulnus, ſed per anum egredientibus, & dehinc ſana viveret mulier, exemplum inquam eſt ſpecioſiſſimum atque rariſſimum, ſed quod ars in hoc præſtitit exemplo, id natura ſponte exſecuta eſt in noſtro. Sic natura illuſtrat artis, & ars naturæ opera!

[*f*] Coaluit utrumque inteſtini extremum mediante cicatrice, hæc vero ſtrictior ſemper eſt, & e fibris denſius compacta, quam reliqua mollium circumfuſarum partium ſubſtantia. Hinc diameter canalis inteſtinalis ſub hoc coalitus circulo non potuit non evadere aliquanto anguſtior. Eamdem coanguſtationem ante pluſculos annos hic obſervavit Præſes in canis inteſtino ileo, poſt vulnus abdominis partibus continentibus & inteſtino ileo tres fere pollices longum ſtudio inflictum, demonſtrandæ ſc. ſuis auditoribus gaſtro-

coalitum vicinis partibus, ut tam inteſtinum prolapſum in ſacco herniali interno, quam pars inteſtini olim coalita ſeparari ſcalpello debuerint ab infima abdominis regione, & per conſequens inteſtina proxime hic ſita naturalem fluctuationem ſervare non potuerint, quemadmodum in latere oppoſito ſano [*g*]. Sacci hernialis novi portio poſterior, obtegens vaſa cruralia, craſſior videbatur [*h*] ſuperiore, qua remota in oculos incidit is vaſorum cruralium ſitus, ut vena ſuperaret, ſ. ſuperſcenderet arteriam & modicum efficeret arcum, ſ. flexuram, cum alias vena in cavo abdominis ſub arteria recondatur. Ita colophonem impoſuere ſectioni & inquiſitioni!

&-enteroraphiæ gratia. Ex eadem vero filo debite conſuti & noviſſime conſolidati vulneris inteſtini anguſtiore reddita diametro, (qualem & diu poſt in occiſo hoc cane reperit aliqualiter ſuperſtitem) deduxit rationem phænomeni: cur hic canis primo ab operatione tempore, quoties alvum erat exoneraturus, varias & anxias ventris contorſiones inſtituerit, & gemebundus trepidaverit?

[*g*] Talis ad peritonæum accretio eſt etiam obſervata a Ramdohrio in caſu ſupra not. 28. enarrato per ſectionem illius fæminæ, quæ poſt annum, a ſuperato illo herniæ periculo ex pleuritide obiit. Similem inteſtini ad peritonæum accretionem exhibuit etiam canis, de quo nota ſuperiore mentionem feci. Similia & alii obſervarunt.

[*h*] Videbatur craſſior an ergo revera fuerit, & cur, prolixius inquirere ſuperſedeo? Reliqua anatomica abs chirurgo obſervata, pariter tranſmitto, utpote quæ huc non aliter ſpectant, niſi quatenus, ut ſupra jam monui, operatorem admonent de periculo, ſi in ſeparanda ſacci hernialis pariete poſtico intempeſtive velit eſſe ſedulus.

T A N T U M.

---

## C O R O L L A R I A.

1. Herniæ dividuntur reſpectu partis vel recipientis, vel receptæ: ſeu, quod idem eſt, in ordine ad ſubjectum vel loci, vel cauſæ.

2. Reſpectu partis recipientis hernia in infimo ventre eſt vel ventralis, hic vel ibi in abdomine locis incertis: Vel umbilicalis: Vel inguinalis: Vel ſcrotalis: Vel cruralis, ſive femoralis: Vel per foramen ovale oſſis pubis: Vel vaginalis, vaginam uterinam protrudente inteſtino.

3. Reſpectu partis receptæ, ſeu prolapſæ hernia eſt vel omentalis: Vel inteſtinalis: Vel ex omentali & inteſtinali compoſita, mixta: Vel veſicalis: Vel ſtomachi: Vel hepatis: Vel lienis.

4. Inteſtini recti ex ano protruſio & extruſio ad procidentiam, ſ. prolapſum magis, quam ad herniam refertur.

5. Herniæ omentales ac inteſtinales omnium ſunt frequentiſſimæ, eæque ſexui virili frequentiores, quam feminino.

6. Feminæ tamen, illæ præſertim, quæ ſæpius pepererunt, hernias incurrunt umbilicales præ viris.

7. Dantur herniæ umbilicales in ipſo umbilici annulo medio: Aliæ vero ad latus ejus:

8. Ipſeque annulus ille ligamentoſus, fortis, ſtringit & incarcerat hernias umbilicales.

9. Habet ordinarie & hæc ſpecies herniæ, umbilicalis nempe, ſaccum hernialem à lamina peritonæi interna.

10. Hernia cruralis neque frequentiſſima eſt, quod aliqui ſtatuunt, neque rariſſima.

11. Herniæ cruralis ſtrangulatio in ſenibus tanto eſt periculoſior, quanto ligamentum Veſalii his ſolet fieri rigidius atque induratum magis.

12. Inteſtinum putrefactione ſphaceloſa diviſum, poteſt, ſeparato fruſto ſphacelato, coaleſcere, ſervata canalis permeabilitate: Ergo & gladio diſciſſum, idque tanto facilius.

13. Licet, quin oportet, in hernia incarcerata inteſtinum ſphacelatum ſcalpello aperire, dimittere feces, fruſtum corruptum exſcindere, ipſum inteſtinum diſcindere medium, atque ſic conſolidationem & moliri, & ſperare.

14. Quo citius operatio chirurgica herniæ incarceratæ ſuſcepta, eo ſecurior, meliorque.

15. Sed datur etiam recidiva herniæ poſt talem prægreſſam operationem:

16. Unde cautela, ſe tempeſtive muniendi bracherio poſt operationem, non eſt de ſuperfluo.

17. Emollientium, maxime oleoſorum uſus externus in hernia incarcerata, inflammata, gangrænoſa non modo vanus eſt, ſed periculoſus etiam, promovens inflammationem in gangrænam & ſphacelum.

18. Clyſmata è fumo Nicotianæ Virginianæ maximis elata laudibus in hernia incarcerata, annon, frequentiori uſu, narcoſin ſuſpectam inferunt, cum obſerventur hinc in nonnullis vis quaſi inebrians, capitis gravitas & ſtupor, nauſeæ?

19. Quid? ſi machina electrica ad herniæ incarceratæ trahatur curationem, contactu ad abdomen, aut lumbos facto. An poterunt inteſtina, in abdomine contenta hinc ita percelli & commoveri, ut continuam portionem inteſtini prolapſi retrahere intra abdomen moliantur ſecure & efficaciter?

20. Intempeſtivus, immo ſtolidus pudor eſt, quo ſuffunduntur pleræque, præſertim ſexus feminini, perſonæ hernioſæ, malum tamdiu occultantes ſuum, donec remedio nullus ſit locus.

LXVII.

# DISSERTATIO CHIRURGICA,

*DE*

# EXOMPHALO INFLAMMATO EXULCERATO ET POSTEA CONSOLIDATO.

*Quam Præſide*

D. D. HERM. FRID. TEICHMEYER.

*Tuebatur*

S. FR. CREILING

*TUBINGENSIS.*

Jenæ 28 April ann. 1738.

## CASUS.

Filia viri honeſti, eruditi & in publico officio conſtituti, novem annos nata, caſum fuit perpeſſa ab alto; quo factum eſt, ut tumor, ſub initium non prægrandis, in umbilico fuerit ortus. Cum vero hicce tumor in dies augmenta caperet, fons fuit atque origo variorum, maximo cum periculo vitæ conjunctorum, ſymptomatum. Quippe induxit cruciatus ſic atroces, ut filia per totas noctes ejulaverit atque gemuerit miſere deſiderio quietis. Præter hæc alvo laborans obſtructa, vomitus ſenſit ſæpe repetitos. Ejuſmodi miſera atque calamitoſa conſtitutio rerum filiam, intra anni, & quod nondum excucurrerat, ſpatium, ita enervavit & languefecit, ut, oblata *Magnifico Præſidi*, ſceleto potius, quam homini, ſimilis videretur.

Omnes enim muſculi, tam in brachiis, quam pedibus; imo & glutei, in natibus exiſtentes, adſiccati contabuerant, & vultus accedebat ad mortui ſimilitudinem.

Variorum equidem medicorum auxilium fideſque implorata, varieque cura fuerat inſtituta; præſertim excretio quorumdam per alvum vermium faces ſuſpicionis ſubdebat, puellam premi verminatione, aſt medicamenta adhibita effectu defraudabantur, nec puellæ dolores, nec anxium parentum leniebant deſiderium.

Tandem, ad dolores ſedandos externe epithematibus, &, uti conjectura auguror, emollientibus adplicatis, tumor inflammatus ſponte aperiebatur. Læti parentes, ulcus circumviſentes, lumbricum ex eodem præpendentem, in extremitate quidem contabeſcentem, ſed, parte, quæ in corpore occultabatur, extracta integra; adeo, ut quilibet, hunc lumbricum eſſe, judicare poſſet facillime.

Rebus ſic ſe habentibus, parentes ſibi perſuadebant, lumbricum hunc conciliaſſe tumorem; præſertim cum, hoc ipſo aperto, puella dolorum levamen perſentiſceret. Aſt res nondum erat confecta. Cum enim puella juſculis, ex herbis compoſitis, imprimis ex chærefolio & petroſelino, frueretur, foliola herbarum diſſecta, triſtiſſimus aſpectus! Ex ulcere emergentia omnem reſtitutionis ſpem confundere videbantur.

Parentes, deploratam filiæ conditionem altius penſitantes, *Magnificum Præſidem* adibant, annexis precibus, ut puellæ, quæ in miſerrimo verſabatur ſtatu, auxilium adferat medicum. Annuens petito *Excellentiſſimus Præſes*, qui jamjam & alios infantes, ulceribus umbilici maxime periculoſis laborantes, ſanitati reſtituerat, ex circumſtantiarum relatione atque læſionis ratione concludebat, morbum huncce olim fuiſſe exomphalon, & in tumore ſæpius nominato hæſiſſe tenue inteſtinum, quod, inſecuta

 in-

inflammatione, in gangrænam ulcuſque evaſerit. Id quod ſatis ſuperque antecedentia partim, partim ſine interruptione profluens materia chymoſa, quæ alimentorum, non ſatis, & ut res poſtulat, ſolutorum, particulas habebat comites, teſtabantur.

Etſi tota morbi conditio ita comparata erat, ut multi, eumdem altius repetentes, animis concidere potuiſſent; *Præſidis* tamen *Illuſtris*, medicaminibus, tam interne quam externe morbo convenientibus adhibitis, præter ſpem atque opinionem, curam exoptatus coronavit finis. Filia ſcilicet priſtinæ ſanitati reddita feliciſſime, fruitur, jamjam per quatuor annorum ſpatium, exoptato vitæ genere; nutritio omni ex parte reſtituta, tumor evanuit, & vultus gaudet colore, integri & incolumis corporis teſte, ita ut omnes puellæ artus & viſcera officio ſuo fungantur ad votum.

Dignus omnino fuiſſet hicce caſus, qui jam pridem orbi communicaretur erudito, ſed, cum *Magnificus Præſes* curatius attendere vellet, quæ conſequentia hanc curam exciperet, mihi eumdem ad enodatius evolvendum commendavit.

Probe hinc conſideratis circumſtantiis, conjectu facile erat, morbum deſcriptum fuiſſe exomphalon, ſive herniam umbilicalem, cui caſus ab alto triſtem dederat anſam. Hernia hæcce dolorum, qui eamdem ſecuti ſunt, fuit mater, & cum ſiniſtre morbus fuerit tractatus, inflammatio & exulceratio exinde orta eſt, inteſtinumque una cum integumentis communibus apertum ulcus peperit. Ex quibus dilucide pateſcit, nos jure meritoque diſſertationi titulum: *de exomphalo inflammato exulcerato & poſtea conſolidato*, præfixiſſe. Deus ter optimus maximus labori benedicat huic, ut in ſui honorem, proximi & noſtrum vergat commodum, id quod precibus efflagitamus ardentiſſimis.

---

§. I.

H*Ernia*, ramex, ruptura, deſcenſus, prolapſus, Græcis κήλη, eſt tumor præternaturalis abdominis, ſub cute formatus a viſcere quodam mobili, quod ſpatium rupti & expanſi peritonæi ibi replet.

§. II.

Dum tumor eſt, malum refertur ad morbos malæ conformationis magnitudinis auctæ; dum vero poſt peritonæi rupturam aut expanſionem ſub integumentis communibus formatur ſaccus, quem abdominis viſcera replent, & ita locum occupant extraordinarium, hernia morbis in ſitu mutato annumeratur.

§. III.

§. III.

*Herniæ* omnes a ſe invicem diſtinguuntur vel ratione loci, ubi formantur, vel ratione materiæ, a qua generantur.

§. IV.

Locus generalis, in quo tumores hernioſi obſervari ſolent, eſt abdomen. Etenim prolapſus, vel hernia oculorum, aut exophthalmia; item bronchocele, ſive gutturalis tumor, herniæ ſunt improprie tales; *herniarum* verum ſubjectum eſt peritonæum, quod a data quadam violentia vel ſubito rumpitur, vel ſucceſſive expanditur.

§. V.

Licet itaque omnes in abdomine regiones, experientia teſte, ab herniis affici poſſe, certum ſit; non tamen negandum eſt, primario & ſæpius contingere umbilicales, inguinales & ſcrotales, quæ Græcis vocantur: *ὀμφαλοκήλη*, *βυβωνοκήλη* & *ὀσχεοκήλη*. Rariores paulo exiſtunt femorales ſive crurales, epigaſtricæ, hypogaſtricæ, hypochondriacæ, iliacæ & pubis.

§. VI.

*Umbilicalis hernia* tumorem producit in umbilico prominentem, ad inſtar globi dimidiati vel hemiſphærii, nunc majoris nunc minoris.

§. VII.

*Peritonæum* membrana eſt figura ovalis ſubſtantiæ tendinoſæ, lubricæ & celluloſæ, quæ interiorem abdominis concamerationem obducit, viſcera ibi contenta coercet, & intra pomœria ſua retinet. Hæc autem membrana circa umbilicum, ubi vaſa involvit umbilicalia, magis, quam alibi, attenuatur, quo fit, ut hic fibræ ejus facile cedant, ſi viſcera abdominis a niſu quodam forti premuntur, aut ſi hic locus per violentiam quamdam exagitatur [a].

§. VIII.

[a] Connata peritonæi mala conformatio & ſic hæreditaria diſpoſitio ad herniarum productiones anſam dediſſe teſtatur *Hildanus centuria VI. obſ.* 73. & Valeſcus de Taranta *lib. 6 cap.* 7. *Philonii ſui*, qui ambo hernioſas familias & hernioſos filios ad tertiam progeniem natos obſervaſſe aſſerunt.

## §. VIII.

Quemadmodum vero infantes recens nati ſæpiſſime inflammationibus & ulceribus umbilicalibus afficiuntur; ita quoque præ cæteris ætatibus diſpoſiti ſunt ad hernias umbilicales. Et hoc imprimis, ſi clamores & ejulatus, in quibus viſcera abdominis verſus hunc locum vi quadam premuntur, accedunt, evenire ſolet. Equidem benigniſſimum numen ad declinandas herniarum moleſtias huncce annulum umbilicalem ſollicite munivit atque firmavit, partim per concurſum tendinum trium muſculorum abdominis majorum, qui ibi tendinem efficiunt communem, quem lineam albam vocamus; partim per muſculos rectos, in quorum medio umbilicus prominet, & quorum inſcriptiones tendinoſæ umbilicum tam in latere dextro quam ſiniſtro firmiter cingunt atque ambiunt. Nihilominus tamen hæc notabilis muſculorum, tendinum & ligamentorum vis ſufficit vix in omnibus ſubjectis ad declinandos & avertendos herniarum proventus. Imprimis vero herniæ ſolent oriri, ſi cauſæ antea aſſignatæ, inflammatio ſcilicet, exulceratio, clamores aliæque violentiæ uniuntur, & ſimul in uno ſubjecto junguntur.

## §. IX.

*Hernia inguinalis*, vel *bubonocele*, oritur, quando peritonæum circa annulum muſculoſum inguinalem ita læditur, ut viſceribus abdominis introitum permittat. Annulus muſculoſus in femina uteri ligamenta rotunda, in viro vaſorum ſpermaticorum præparantium & deferentium funiculum, proceſſum peritonæi & cremaſteris muſculi principium involvit. Formatur ab externo abdominis obliquo muſculo, utpote primo ſub integumentis communibus ſito, maxime vero ab ejus aponeuroſi, ſive parte tendinoſa, quæ hoc in loco format fiſſuram, cujus latera paulo craſſiora hic, quam alibi, obſervantur. Item ab obliquo interno, cujus fibræ hic magis carneæ exiſtunt, cremaſteri principium dant, & nunc ſupra nunc infra ſpermatica vaſa proceſſumque peritonæi decurrunt. Ad huncce annulum formandum concurrit ſimul ipſe tranſverſalis abdominis muſculus, cujus pars tendinoſa licet hic valde attenuetur, cum margine tamen obliqui externi, *vagina tendinea* Albini & *ligamento Fallopi* vel *Poupartii* cohæret.

## §. X.

*Femoralis* vel *cruralis hernia* tumorem producit in interna regione crurali, viſceribus nempe, ſi peritonæum rumpitur aut expanditur, ad oſſis ilii & iſchii ſinuoſitatem deſcendentibus. Sinuoſitas vero oſſis ilii eſt arcus, per quem tendines muſculorum pſoas & iliaci interni decurrunt. Supra hanc ſi-

nuo-

nuoſitatem indicatum ligamentum Fallopianum extenditur. Componitur autem ligamentum hocce partim ab aponeuroſi obliqui externi, quæ, dum intra vertitur, originem dat obliquo interno; partim a ſpecialibus fibris tendinoſis parallelis, ſibi propriis, ſatis validis, quæ æque cum aponeuroſi obliqui externi in unum coeunt corpus. Hocce ligamentum tendinoſum cum ſpina anteriori & ſuperiori oſſis ilii & parte ſuperiori, ſive criſta oſſis pubis, conjungitur, atque parte tendinoſa muſculi faſcialis, ſive faſciæ latæ obtegitur [*b*]. Hæc *hernia cruralis* vel *femoralis*, circa vicinia muſculi ſartorei & pectinei protuberans, utpote rarior, nec ab omnibus chirurgiæ ſcriptoribus accurate obſervata, multo minus deſcripta eſt; imo, quod maximum, multi eamdem plane neglexerunt [*c*].

## §. XI.

*Scrotalis Hernia* venit nunc conſideranda. In ſexu ſequiori proceſſus peritonæi

[*b*] *Poupartianum* ligamentum in hiſtoria academiæ regiæ Pariſinæ anni 1705. pag. 64. 65. ſatis accurate deſcribitur ſequentibus verbis: *Ils ſont attachez par un bout ſur la crête de l'os des Iles, & par l'autre bout ſur la crête de l'os pubis, & le milieu porte à faux. Ils ſont la jonction d'os en cet endroit, car ils ſoutiennent les trois grands muſcles de l'abdomen.* Dicunt ſimul: *& dont cependant les Anatomiſtes n'ont point traité.* Sed hoc aſſertum veritati minime convenire videtur. *Poupartius* enim non primus eſt hujus ligamenti inventor, ſed idem jamjam magnus anatomicus *Gabriel Fallopius*, medicus Mutinenſis, *in* ſuis rariſſimis *obſervationibus anatomicis*, Venetiis impreſſis 1561. illud dudum deſcripſit pag. 91. b. ubi de muſculo pyramidali, ab eo etiam primum invento, egit. Verba ſe ita habent: *aliquando accidit, ut dictorum muſculorum principium non incipiat primum a ſpina ilium, ſed inferius a ligamento illo valido, quod ab eadem ſpina uſque ad os pubis percurri* &c. & paulo poſt, ubi de muſculi cremaſteris origine diſſeritur, ſcribit: *ad tenuium muſculos deſcendo, in quibus aliam ſane originem reperio ab illa, quæ ab anatomicis prodita eſt. Quoniam manifeſtiſſime eos ſemper video ab oſſe ileum, vel ab eo ligamento, cujus mentionem feci, initium ducere, ſub chorda muſculorum oblique deſcendentium, atque una cum peritonæo & vaſis per foramen chordæ egredi.* Celeberrimus D. D. *Jacobus Douglas* in *deſcriptione muſculorum* pag. 50. illud vocat ligamentum pubis & D. D. *Schreiberus* addit: *obſervat nempe Albinus, vaginam, inveſtientem femur, eo uſque adſcendere, illumque marginem tendineum ambire undique: dum ergo membranam illam abſcindis, formas tibi ligamenti ſpeciem. Ligamentum illud ab inventore dicitur ligamentum Pouparti.* Illuſtris archiater & P. P. O. Lipſienſis D. D. *Waltherus* in programmate inaugurali de *Entero-ſarcocele*, anno 1737. edito, occaſione Diſſert. inaug. *de inoculatione variolarum*, Præſid. D. D. *Bavero*, reſp. Kriſch, quoque hocce ligamentum Fallopianum vocat, & accuratiſſime idem deſcribit. Imo ipſe antiquus & magnus *Euſtachius* Tab. 32 hocce ligamentum quoque ſedulo indicavit. D. *Garengeot in* ſua *Myotomia*, Pariſiis edita 1724 pag. 20. hocce ligamentum deſcribit, gloriam inventionis Fallopio tribuit, ejuſque veram exiſtentiam confirmat, quod ejus verba teſtantur: *le ligament dont je viens de parler eſt décrit par Fallope & eſt diſputé par quelques Anatomiſtes d'une grande reputation, cependant il eſt réel* &c. Qui de hoc dubitant, triga eſt celeberrimorum anatomicorum, *Morgagnius*, *Cowperus* & *Heiſterus*. Rationes dubitandi reperiuntur in *Anatomia* Illuſtris *Heiſteri* Tom. II. pag. 53. D. *Præſes* aliquoties hocce ligamentum publice in cadaveribus humanis auditoribus demonſtravit.

[*c*] Pluribus de eadem legi poteſt *Garengeot* in *Chirurgia practica*, ſive *Traité des opera-*

tonæi mox properat ad finem, & exinde fit, ut feminæ tantummodo a *Bubono-cele* afficiantur, quæ interdum ad pudendorum labia uſque ſeſe extendere ſolet. In ſexu maſculino peritonæi proceſſus in ſcrotum properans, ipſum involvit teſticulum, tunicamque efformat vaginalem, vel elythroiden, cujus fibræ, quibus, mediantibus ipſis vaſculis ſpermaticis, jungitur arctiſſime, [d] ſi expanduntur ſucceſſive, vel ſubito hoc tegmen diſrumpitur, inteſtinis vel omento uſque ad ſcrotum concedit exitum. Hæc *hernia ſcrotalis* interdum tanta capit incrementa, ut ad inſtar marſupii ingentis verſus genua uſque extendatur. Magnificus *Præſes herniam* ejuſmodi vidit, in qua inteſtina, omentum & ipſum meſenterium delituit.

## § XII.

*Hernia ventralis* quandoque fuit obſervata, & quidem *primo* in regione epigaſtrica, ab umbilico verſus cartilaginem Xiphoideam, & in interſtitiis muſculorum rectorum. Et hæc hernia juniores & infantes afficit. *Secundo* in regione hypogaſtrica, ab umbilico verſus os pubis & muſculos pyramidales, quæ ſimili modo in muſculis rectis contingit. Hæc in gravidis occurrit, præcipue illis, quæ ſæpius cum moleſtia uterum geſtarunt atque pepererunt.

## §. XIII.

A recentioribus naturæ ſcrutatoribus ſedulo annotata quoque eſt *hernia pubis*, ratione loci ita dicta, ratione vero cauſæ *veſicæ* vocata, quæ ſane non levis momenti eſt, id quod celeberrimi chirurgi Pariſini, *Petit* & *Garengeot* confirmarunt. Oritur a prævia graviſſima atque moleſtiſſima urinæ ſuppreſſione, in qua veſica ultra modum expanſa, atque urina repleta ſupra pubis os porrigitur; quale quid fieri ſolet in gravidis, ultimis geſtationis menſibus, quibus uterus totam regionem Hypogaſtricam replet [e].

## §. XIV.

Interdum quoque annotata fuit *Hernia hypochondriaca* atque *iliaca*, quæ in illis evenire ſolet ſubjectis, quorum abdomen adeo vulneratum, ut, abſque gaſtrorhaphia adhibita, labia jungi non poſſint. Hac vero inſtituta, quando peritonæum non inter ſe exacte jungitur, ſaccus formatur, quem vel omenti vel inteſtini portio implet.

§. XV.

*operations de chirurgie*, *Tome Premier*, *cap. V.* Quædam etiam de hac hernia occurrunt in *Hildani obſervationibus cent. III. obſ.* 64. & *Plateri obſerv. lib. III. p.* 758.

[d] Vid. celeb. *Nuckii adenograph. p.* 130. *ſqq.*

[e] Magnif. *Præſes* ejuſmodi herniam pubis vidit etiam in viro; ubi tota fere mentula in tumore erat abſcondita, ut modo exigua ejuſdem pars promineret, quo & fiebat, ut ad congreſſum inhabilis redderetur ægrotus.

## §. XV.

Ratione ſubjecti, quod gignit morbum, vel ratione materiæ, a qua *herniæ* formantur, eſt (1) inteſtinalis, ſive Entero-cele, (2) omentalis, ſive Epiplo-cele, (3) Entero-epiplo-cele, ſive talis, quæ a portione omenti atque inteſtini cujuſdam ſimul formatur. Et hæ *herniæ* a chirurgis vocantur *veræ*; ad *falſas* pertinet (1) hydro-cele, ſive hernia aquoſa, quæ in umbilico & ſcroto fieri poteſt. Interdum quoque oriri ſolet *mixta*, hydro-entero-cele, vel hydro-epiplo-cele, quando in herniis omentalibus & inteſtinalibus lympha extravaſata ſimul præſens eſt. In hydropicis ſcrotum & mentula interdum inſimul intumeſcit, & tota ſcroti celluloſa ſubſtantia a lympha extravaſata mirum quantum extenditur. Nuperrime Excell. *Præſes* in cadavere viri decollati & publice diſſecti, alioquin ſatis ſani, hydrocelen tunicæ vaginalis in latere dextro tantum obſervavit. Quæ cum modo hæc tunica teſticulum ambiens uncias circiter duas lymphæ extravaſatæ in ſe contineret, originem traxiſſe a rupto vaſculo quodam lymphatico, vel teſticuli, vel epididymidis, vel vaſorum ſpermaticorum, vel ipſius tunicæ vaginalis videbatur. (2) Pneumato-cele in tympanitide; (3) Sarco-cele, quando hyperſarcoſis excreſcit; (4) Cirſo-cele, quando vaſa ſanguifera, præter naturam diſtenta, ejuſmodi efficiunt tumorem.

## §. XVI.

*Herniam umbilicalem* ab omnibus jam recenſitis corporibus fieri poſſe, experientia teſtatur. Datur enim inteſtinalis & omentalis tantum, & omentalis inteſtinaliſque ſimul; datur nunc ventoſa in tympanitide, aquoſa in aſcite & hydrope ſaccato; interdum oritur carnoſa a carne benigna & indolente, nunc dolorifica a carne maligna, ad cancrum vergente; nunc exulcerata dapeſcens. Præterea etiam obſervatur varicoſa, ubi venæ tantum expanduntur; rarius aneuriſmatica, ubi ob arteriarum læſiones tumor ſimul pulſat.

## §. XVII.

Illa *hernia*, quam pertractandam ſumſimus, fuit *inteſtinalis*, quod ex circumſtantiis facillime fuit collectum, & traxit non a ſucceſſiva expanſione, ſed a ſubitanea ruptura in caſu ab alto originem [*f*].

§. XVIII.

[*f*] *Dionis* in *Chirurgia* p. 117. ubi de exomphalo agit, rupturam tantummodo pro vera cauſa herniarum umbilicalium verarum agnoſcit, & expanſionem ſucceſſivam, tanquam rem impoſſibilem, negat. Contraria ex parte Celeb. *Heiſterus* in *notis* hanc defendit & obſervatione confirmat. Id ſane negari non poteſt, maximam ſcriptorum partem defendere rupturam, pauciores vero dilatationem ſucceſſivam, & ipſa experientia ſatis ſuperque confirmat, rupturam ſubitaneam eſſe frequentiorem cauſam, quam dilatationem ſucceſſivam. Nam herniæ oriuntur in niſu & laboribus, in quibus inſpi-

## §. XVIII.

Inteſtina, quæ herniarum tumores replere ſolent, ſunt tam jejunum, quam ileum, rarius paulo etiam cæcum cum adpendice vermiformi & colon [*g*]. In illa vero hernia, cujus jamjam §. 11. mentionem injecimus, inteſtinorum tenuium item & craſſorum cum ipſius meſenterii & omenti magna delituit portio.

## §. XIX.

Si inteſtinorum portio, quæ ſaccum hernioſum replet, tam notabilis eſt, ut exinde formetur tubus duplex, vel recurvus, ex duplici nempe orificio conſtans, per quæ duplicia orificia chymus, flatus & feces nunc intrant & deſcendunt, nunc iterum exeunt & aſcendunt, oritur *hernia completa.* Vid. *Garengeot p.* 233. Si portio canalis inteſtini, in tumore hernioſo exiſtentis, ita ab annulo umbilicali conſtringitur, ut neque quid amplius intrare neque exire valeat, oritur *hernia incarcerata*, ſive *ſtrangulatio*, quæ a Gallis dicitur *Etranglement.* Hujuſmodi ſtrangulatio fieri quoque poteſt in hernia inguinali, femorali & ſcrotali, imprimis vero, ſi inteſtina per annulum muſculoſum inguinalem conſtringuntur.

## §. XX.

Hic morbi ſtatus enormes dolorum cruciatus habet comites. Quippe cum portio inteſtini, in hernioſo ſacco deliteſcentis, a chymo, flatibus & fecibus ad extremum uſque extendatur, omnia potulenta, eſculenta & medicamenta, quæ ad ventriculum perveniunt, & per pylorum ad inteſtina properant, verſus anum moveri non poſſunt. Quo fit, ut ventriculus gravetur, inteſtinorum membranæ expandantur, irritentur, & ita demum motus inteſtinorum periſtalticus invertatur, & ileus, ſive *miſerere mei*, aut volvulus excitetur. Hoc in morbo omne id, quod inteſtina, ſupra herniam ſubſiſtentia, receperunt, per valvulam pylori iterum in ventriculum redire & per vomitum rejici ſolet; &, ſi colon intravit herniam, ſit vel umbilicalis, vel inguinalis, vel femoralis, vel ſcrotalis hernia, vomitus naſcitur ſtercoreus, nihilque per alvum excernitur, & ipſa ſcybala ſive excrementa fœtida per os ejiciuntur.

§. XXI.

ratio enormi ſufflaminatur modo, ut in partu difficili, moleſta alvi & urinæ excretione, ſaltu, equitatione, omni abdominis contuſione &c.

[*g*] *Galenus* in tractatu *de morbis vulgaribus*, cæcum ſive monoculum pro unico herniarum ſubjecto agnovit; verum in *comment. ad Hippocrat. aphoriſm. III. Sec.* 4. Ileum etiam prolabi poſſe affirmat. *Fabricius* ab *Aquapendente cap. V. chirurg.* omnia inteſtina hernias formare poſſe docuit, quod tamen ad duodenum & rectum applicari nunquam poteſt. *Van* Meckern in *obſerv. med. chirurgic.* virum vidit, cujus *ſcrotalis hernia* ſe ultra genua extendebat.

## §. XXI.

*Hernia*, quæ in umbilico contingit, plerumque recipit, ob ſitum inteſtinorum naturalem, portionem inteſtini jejuni, (rarius coli). In caſu noſtro idem fuiſſe factum omnia ea confirmant, quæ per ulcus exinde natum effluxerunt. Scilicet vegetabilium portiones & diſcerpta herbarum folia, imo & chymoſa materia abſque fætore profluxit; cujuſmodi maſſa in jejuno inteſtino tantummodo ſolet exiſtere.

## §. XXII.

Notabilem inteſtini jejuni portionem repleviſſe ſaccum noſtrum hernioſum umbilicalem, herniamque completam formaſſe, ex ſymptomatibus ſæpe recurrentibus concludi poſſe omnino videtur. Vomitus enim, alvi obſtructiones, abdominis intumeſcentiæ, ructus, dolores, & cruciatus, ſomnum & infantibus adeo neceſſariam tranquillitatem, digeſtionem, nutritionem & vires, puellæ noſtræ ita infringere potuerunt, ut inter ſuſpiria, lacrymas atque gemitus ſucceſſive uſque ad extremam corporis conſumtionem contabuerit.

## §. XXIII.

Omnes praxeos chirurgiæ ſcriptores uno ore teſtantur, fieri poſſe in omni hernia vera inteſtinorum, cum lateribus integumentorum ſaccum hernioſum conſtituentium, coalitus. Rarius equidem, minimum tarde & longo ſatis tempore præterlapſo, contingere id ſolet in ſubjectis annoſioribus, ob fibrarum acquiſitam ſoliditatem & partium gelatinoſarum defectum; in junioribus vero intra breve temporis ſpatium hoc fieri poſſe, ratio & experientia teſtatur. Ejuſmodi vero coalitum inteſtini cum integumentis extitiſſe in ea, quam pertractamus, hernia, extra omnem eſſe videtur controverſiam; imo partem inteſtini, antea cum ſacco hernioſo connatam, in hunc uſque diem perdurare certiſſime perſuaſi ſumus. Ipſa inteſtini pars, cum ſacco hernioſo concreta, poſteaque in hernia incarcerata, inflammata, gangrænata, ſphacelo corrupta & demum perforata, fonticulum illum conſtituit, ex quo chymus aliæque eſculentorum partes indigeſtæ propullularunt.

## §. XXIV.

Inflammatio, gangræna & ſphacelus ſunt ſymptomata, quæ herniam incarceratam preſſo ſequuntur pede. Etenim (1) ipſa alimentorum materia, vel chymi, quæ inteſtinum in hernia replet atque diſtendit, per ſe

ad putreſcentiam vel corruptionem inclinat. Quippe ſecundum leges œconomiæ animalis neque movetur, neque fermentatur (2). Portio inteſtini, quæ ſaccum herniæ intravit, ſimili modo putreſcere incipit, dum debita circulatio ſanguinis, quæ vitalitatem in partibus conſervat, per tunicas inteſtinorum neque fit, neque fieri poteſt, quia tunicæ inteſtinorum & in his vaſa ſanguifera nimis comprimuntur, ut via ſanguinis per majora & minora vaſa præcludatur.

## §. XXV.

Etenim cum annulus umbilicalis nimis expanſus ſanguini per vaſa inteſtinorum incarceratorum, neque introitum, neque exitum permittat, non poteſt non perire vitalitas, & inteſtinum incarceratum emori. Similis necroſis demum communicatur integumentis communibus, & ita tumor antea rubeus nigreſcit, & aperitur, & tunc pars mortua ſeparatur, ceſſantque ideo illico dolores, qui antea moleſtiam creabant. Rebus vero ſic ſeſe habentibus, ægroti in ſummo vitæ periculo conſtituti, mox vitam cum morte ſolent commutare.

## §. XXVI.

Dolorum cruciatus, durante herniæ incarceratione & quaſi incuneatione, origines ducunt, (1) ab expanſionibus annuli umbilicalis. Peritonæum enim tendinoſæ & nervoſæ eſt ſubſtantiæ, & inſuper nervi ipſius peritonæi ad annulum decurrunt umbilicalem. (2) A ligamentis umbilicalibus, in quibus vena umbilicalis cum ſuo ligamento lato, arteriæ umbilicales binæ & ipſe vrachus cum ſuo ligamento lato vel ſuſpenſorio veſicæ concurrunt. (3) A concurrentibus tendinibus muſculorum oblique deſcendentium, aſcendentium, tranſverſalium, qui tendines omnes in linea alba concurrunt, & inſuper vaginas oblongas in utroque latere efformant, quarum principium circa cartilaginem enſiformem & finis in oſſe pubis eſt. In hiſce binis vaginis longis muſculi recti abdominis conſervantur & commoventur (4), ab inſcriptionibus tendinoſis ſive tendinibus tranſverſalibus muſculorum rectorum, qui etiam in hernia incarcerata cum dolore expanduntur, haud ſecus ac tendines ipſi longitudinales muſculorum rectorum in linea alba unitorum. Hi tendines a pube & ligamento Fallopiano uſque ad umbilicum arctius cohærent, vel anguſtiores ſunt; ſupra umbilicum autem verſus cartilaginem enſiformem latiores pauliſper evadunt.

## §. XXVII.

Ex his jam dictis ſatis aperte liquet, annulum umbilicalem ejuſque partes in eo exiſtentes, ubique nervoſæ eſſe naturæ, quibus rebus fit, ut dolo-

dolorifice afficiantur, & dolorem inſuper adeo intolerabilem efficiant, ut per totum abdomen vi conſenſus ſeſe extendat. Exinde planum eſt, hernias umbilicales, ſæpius incarceratas, modo ferme ineffabili excruciare ægrotantes, hominumque vires & nutritionem deſtruere.

## §. XXVIII.

Herniarum umbilicalium nulla fere eſt differentia, neque (1) in loco, ſive parte affecta; nam omnes ſunt in annulo umbilicali, neque (2) in cauſa immediata, quia oriuntur vel a ruptura & ſubitanea violentia, quod & factum fuiſſe in noſtra hiſtoria certum eſt. Differunt autem ratione materiæ, de qua jam antea locuti ſumus, & ratione magnitudinis. Aliæ enim, qualis noſtra fuit, ſunt ad inſtar ovi columbini; aliæ ad inſtar ovi gallinacei; aliæ plane ad inſtar capitis infantis minoris, vel ad inſtar pilei, ut loquitur *Dioniſius pag.* 81. Editionis gallicæ, *l'on en obſerve quelquefois de plus groſſes que la forme d'un chapeau.*

## §. XXIX.

Præſentiam *herniæ inteſtinalis* dignoſcere poſſumus, ſi attendimus, (1) ad colorem, qui a naturali interdum recedit, dum ſcybala præſentia per integumenta communia expanſa & ſic pellucida reddita, tranſparent, & inſuper excrementa indurata a manu tangenti exacte diſcernuntur. (2) Ad duritiem & elaſticitatem, quæ augetur inſpirationibus ſingulis, augetur clamore, augetur poſt paſtum, jejunium contra & frigida omnia tumorem imminuunt. (3) Ad dolorem, qui ſatis notabilis eſt, ſi tumor premitur. (4) Ad ſtrepitum. Strepitus enim & murmura percipiuntur, ſi digiti applicantur, dum flatus ad inteſtina in abdomine recondita redeunt. Hinc *Dioniſius pag.* 81. inquit: *on entend un petit bruit cauſé par le gargouillement que les inteſtins font, en rentrant dans le ventre.* In hernia omentali vero vix ullus dolor, nulla coloris mutatio, nullus ſtrepitus, nullus notabilis durities adeſt, nec latitudo, nec altitudo tam enormis, quæ in inteſtinali, obſervantur.

## §. XXX.

*Hernia umbilicalis*, præ reliquis omnibus extreme dolorifica, moleſtiſſima & cum maximo vitæ periculo juncta eſt. Moleſta eſt propter concurſum partium nervoſarum & tendinoſarum, in annulo umbilicali concurrentium & herniam formantium, id quod antea jam fuit §. 26. oſtenſum. Periculoſiſſima eſt ob triſtiſſima ſymptomata, dolorem ſcilicet fere intolerabilem, alvi conſtipationem, ſingultum, ructus, vomitum bilioſum & interdum ſtercoreum, febrim, ſtrangulationem, quam alii vocant incar-

cerationem, inflammationem & demum gangrænam ac ſphacelum. Inſuper, quod maximum eſt, vix operationem ſectione perficiendam admittit, &, ſi illa inſtituitur, ægrotantes plerumque perire ſolent, id quod in aliis herniis, teſte experientia quotidiana, non metuendum, quippe quæ cum exoptato ſucceſſu ſectione curantur [ *h* ].

§. XXXI.

In noſtro caſu, durante morbo, ſæpius nata eſt hernia incarcerata, inſciis parentibus, & gravitatem hujus morbi non intelligentibus, minoris tamen gradus. Juncta quoque eſt ſtrangulatio vera, inteſtinum in tumore abſconditum; ob impeditam ſanguinis circulationem, inclinavit ad inflammationem, juncta eſt febris, gangræna & ſphacelus, pars inteſtini emortua cum parte integumentorum corrupta, aperta eſt & ſeparata, & ita natum eſt ulcus, per quod alimenta propullularunt.

§. XXXII.

Expoſuimus ita in parte theoretica hujus diſſertationis morbi ſubjectum, ſive annulum umbilicalem, ejus partes eum componentes & in eo exiſtentes, cauſam immediatam, peritonæi rupturam a caſu ab alto, tanquam cauſa mediata productam, cauſam materialem, ſive inteſtinum, quod tumorem formavit, ſymptomata eorumque origines & rationes, differentias, ſigna diagnoſtica & prognoſtica. Nunc ipſam curam aggredior generalem & ſpecialem. Qui vero herniarum curam intendit, eamque ſecundum veram medendi methodum ſuſcipere vult, inteſtinum prolapſum & in ſacco contentum, ocyſſime, provide tamen, in cavitatem abdominis reſtituere & ſaccum evacuare laborabit.

§. XXXIII.

Multum confert in hoc negotio (1) venæſectio, cujus uſum egregium Dn.

[ *h* ] Quod operatio herniæ umbilicalis ſectione ſuſcepta vix ſufficiens ſit ad ægrotantes e mortis faucibus eripiendos, aperte &, ut virum probum & honeſtum decet, conſcentioſe teſtatur Mr. Dionis *Cours des operations de chirurgie* pag. 88. ſequentibus verbis: *Vous jugez bien que cette operation eſt très-perilleuſe & preſque toujours mortelle, parce que l'on eſt obligé de couper les aponévroſes, qui entourent le trou du nombril: je l'ai fait cependant une fois avec un ſuccès heureux. Le malade ſentoit des douleurs ſi cruelles qu'il ſouhaittoit la mort à tous momens; mais auſſi-tôt que les boyaux furent remis, il ne ſe plaignoit plus, & il guerit parfaitement bien. Je l'ai fait encore deux autres fois, mais à la verité les malades en ſont morts. Il eſt certain auſſi que de cette operation il en perit plus qu'il n'en réchappe; c'eſt pourquoi ceux qui ont de ces exomphales doivent plûtôt ſe paſſer de chemiſe que de bandage.*

Dn. *Garengeot* p. 274. experientia & rationibus comprobavit, ejuſque citam opem in uno ſubjecto obſervavit, ita, ut ægrotus ſtatim poſt venæ ſectionem exclamaverit : *ma deſcente eſt rentrée.* Venæſectio evacuat ſanguinem non tantum, ſed & ſimul revellit, h. e. ſanguinis motum a loco affecto & doloroſo, imo minus commodo ad commodiorem ducit. Dum ſanguis evacuatur, vaſa & fibræ majorem acquirunt flexilitatem, nec amplius tam vehementer reſiſtunt, ſed facile cedunt, & hac ratione inteſtini reſtitutio venæ ſectione facilitatur.

## §. XXXIV.

Egregium uſum quoque (2) habent clyſteres, concinnati ex plantis emollientibus & carminativis, ac mixti cum ſufficienti quantitate lactis & oleorum. Hiſce mediantibus, dum colon a ſuis contentis fecibus & flatibus liberatur, abdomen detumeſcit & minor in eo eſt reſiſtentia. Inter alia *Hildani* teſtimonium, quod *Cent. VI. obſerv.* 73. de uſu egregio clyſterum in herniis incarceratis exhibet autor, legi meretur.

## §. XXXV.

Hiſce præmiſſis, ægrotus cubet ſupinus, humeris paululum depreſſis, natibus vero eminentibus. Ægroto commendatur aëris exſpiratio, quam ut per aliquot momenta conſervet, neceſſe eſt. Dum hoc fit, chirurgus leviter digitis ſuis, oleo inunctis, ſaccum tumidum premendo inteſtinum in abdominis cavitatem reſtituere tentat, imo quoque poſtea ipſum, ſi præſens eſt, omentum. Hæc operatio requirit patientiam & circumſpectionem, ne improvida manu violetur, vel plane dilaceretur inteſtinum atque omentum. Inteſtinum, quod ultimato ſaccum intravit, primum in abdominis cavitatem reſtituendum.

## §. XXXVI.

Si per labores & conatus chirurgi tumor non imminuitur, & duritie ſua ac flatuum præſentia reſiſtit, adeo, ut ægrotus dolores, operationis comites, perferre nequeat, alia excogitanda eſt methodus, & ante omnia tumor emolliendus. Remedia, quæ hoc præſtant & contenta in tumore lubricant, ſunt balnea, cataplaſmata, fotus, linimenta, ex jam indicatis emollientibus & carminativis. Linimenta parantur ex oleoſis, oleo roſato, perſicorum, amygdalorum dulcium & amarorum, chamomillæ, rutaceo, abſinthii, anethino, caſtorino, verbaſci, liliorum alborum, unguento de althea, populneo, potabili rubro, aliiſque hujus commatis. Hiſce oleoſis tepidis tumor inungitur, linteamina, oleis humectata, calide ſæpius ſuperimponuntur, vel, ſi placet, cataplaſmata ſuperaddantur vel

in

in forma pultis cocta cum lacte, oleis, ſebo, pinguedinibus atque medullis vel ſub forma ſacculi. Horum ingredientia ſunt radices liliorum alborum, malvæ, altheæ, bryoniæ, fabariæ, herba malvæ, paridis, parietariæ, brancæ urſinæ, linariæ, verbaſci, cum floribus chamomillæ ſimplicis atque romanæ, ſambuci, meliloti, verbaſci, farina fabarum, hordii avenæ, tritici, ſemine lini, feni græci, aniſi, coriandri, carvi, fœniculi, cumini, nigellæ, ficubus & dactylis. Ex ſimilibus quoque balneorum ingredientia poſſunt componi.

## §. XXXVII.

Si chirurgus in pagis, ubi officinæ pharmaciæ deficiunt, ad ægrotum, in tali miſerrimo ſtatu conſtitutum, vocatur, ad remedia domeſtica confugere debet. Huc referri poteſt mica panis tritici, farina lini, flores ſambuci, chamomillæ, ſemen carvi, oleum lini, butyrum recens, ſebum omnis generis, vitellum ovi ac oleum ovorum brevi tempore parabile [ *i* ].

## §. XXXVIII.

Si per adhibita hæc remedia tumor a duritie ſua liberatur, de novo chirurgus tentare debet contentorum in ſacco reſtitutionem &, ſi feliciter opera-

[ *i* ] *Garengeot* communicavit uſitata Pariſiis remedia in noſocomiis v.g. *l'Hôtel-Dieu pag.* 272. & 277. *Tom. I. operat.* ſuarum.

### LINIMEMTUM.

*On prend trois ou quatre jaunes d'œufs, & ſix ou ſept onces d'huile roſat, qu'on mêle bien enſemble, & qu'on fait chauffer ſur un petit feu, ou plûtôt au bain-marie; puis on y met un peu d'eau-de-vie, & avec cette embrocation toute chaude, on frotte la tumeur, ſa circonference, & le ventre.*

### CATAPLASMA.

Pag. 276. & 277.

*On prend pour cet effet des herbes emollientes, comme la mauve, la guimauve, la mercuriale, la parietaire & le violier; on les fait bouillir dans une ſuffiſante quantité d'eau, juſqu'à-ce qu'elles ſoient bien cuites. On les paſſe enſuite au travers d'un tamis & avec une ſpatule on en extrait la pulpe. On diſſout enſuite cette pulpe dans la décoction, & avec ce mélange on délaie de la farine de ſeigle & de lin: on fait cuire ce mélange à petit feu en remuant toujours; & quand il a demeuré une heure & demie ou deux ſur le feu, on y ajoute du miel commun & du vinaigre, & l'on fait encore cuire le tout au moins une grande demi-heure. Enfin on juge par l'odeur du cataplâme qui ne doit plus ſentir la farine, qu'il eſt bien cuit, & avant que de le retirer du feu, on y ajoûte l'huile de lis.*

*Ce cataplâme,* dicit autor, *a de très-bons effets, mais il demande beaucoup d'aſſiduité & de patience. Mr. Mery prétendoit que quand il n'étoit pas bien cuit il faiſoit plus de mal que de bien. Mais comme ce cataplâme eſt trop long à cuire; & que le malade ſeroit long-tems ſans ſoulagement, on fait en attendant celui de mie de pain.*

### CLYSTER.

*On donne des lavemens au malade compoſés avec une ſuffiſante quantité de lait, un verre d'huile de noix & de la canelle. Il faut faire bouillir la canelle concaſſée dans le lait, puis on paſſe le tout, & on y ajoûte l'huile.*

peratio procedit & inteſtinum vel ſolum, vel cum omento junctum, in cavum abdominis reintravit; operatio feliciter eſt ad finem perducta. Nunc requiritur machina, annulum comprimens, & prohibens novum inteſtini atque omenti prolapſum. Hæc machina vocatur *Amma*, *brachierium*, *brachiale*, *brachiatorium*, & componitur ex faſcia circulari, ſcapulari & inguinali. Faſciæ debent eſſe ſatis latæ & robuſtæ, ex corio ſubtiliori vel panno goſſipiato duplicato compoſitæ, & ita adaptatæ, ut ubique ſit æqualis craſſities atque conveniens reſiſtentia abſque tamen omni moleſtia. Circularis cingit abdomen, &, ne illa removeatur a loco ſuo debito, ſuperaddendæ & cum ea jungendæ ſunt ſcapularis & inguinalis. Hoc enim facto, circularis conſtanter munere ſuo fungitur, vulnuſque umbilico inflictum comprimitur, & reditus viſcerum in ſaccum declinantur.

## §. XXXIX.

Umbilico ipſi adaptatur ſpecialis machina ex ligno parata, cujus forma repræſentat fungum terreſtrem, ſive globum dimidiatum depreſſum. Hic globus ligneus tegitur goſſipio & corio, in plano vero hujus globi adaptatur elater ſpiralis, ex filo ferreo conſtructus. Tota vero hæc machina ſollicite jungitur cum faſcia circulari. Hæ machinæ conſtanter de die & nocte ab ægrotante geſtandæ & in ſitu conſervandæ ſunt. Ægrotus ipſe, durante cura, alimentorum ſolidorum uſum removet, & modo per juſcula nutritur, in exigua quantitate aſſumenda, ne repleantur ultra modum inteſtina & abdominis expanſio augeatur. Juſcula ſint alimenta medicamentoſa, temperantia & balſamica, quæ conſolidationem annuli rupti promovent, & flatuum moleſtias declinant. Hujus generis ſunt juſcula carnis vituli, boum, gallinarum, cum cancris fluviatilibus, chærefolio, petroſelino aliiſque radicibus, nempe tragopogi, cichorii, ſcorzoneræ, ſiſari &c. parata.

## §. XL.

Umbilico ſuperimponuntur emplaſtra. Huc referas contra rupturam, de pelle arietina, vel prioris in *Cabrieres*, quod apud *Dionyſium* pag. 223. reperitur. Juvant & olea ceræ, perfoliatæ & ovorum, optima herniarum remedia, cum quibus locus affectus bis de die inungitur, & emplaſtris denuo munitur. Si placet humectare ſplenia emplaſtris ſuperimponenda, fieri id poteſt decocto quodam vinoſo calido, parato ex foliis roris marini, menthæ, arnicæ, agrimoniæ, virgæ aureæ, hederæ terreſtris, herba herniariæ, radice ſymphyti, floribus chamomillæ, ſemine carvi, & aniſi. Quando itaque hernia recens in juvenili ægroto contingit, conſolidatur vulnus annuli rupti, interdum ad votum, imprimis ſi interna convenientia remedia ſimul in uſum vocantur.

## §. X L.

Si remedia, hactenus commendata, ſine fructu adhibentur, & inteſtinum manuum applicatione reſtitui non poteſt, tunc nullum amplius reſtat remedium, quam unica ſectio, quæ terribilem & ineffabilem dolorum cruciatum mitigat. Eſt quidem, uti §. 30. indicavimus, hæc valde periculoſa; imo, ut plurimum lethalis, ſed præſtat in re ancipiti dubium eligere remedium, quam nullum. Etenim ſi ſectio in craſtinum protrahitur, gangrænoſa inflammatio morte finienda apparebit.

## §. X L I.

Suſcipitur autem ſectio ſequenti modo: (1) integumenta communia ſacci cultro acuminato provida manu modo in loco exiguo aperiuntur, hac quidem cum cautela, ut neque omentum neque inteſtinum vulneretur. Foramini a chirurgo immittitur conductor alatus, quem *Garengeot* in tractatu inſtrumentorum ſuorum p. 197. oſtendit & emendavit *Magnificus Præſes*. Hocce inſtrumentum in ſulcum vel crenam ſuam recipit cuſpidem cultelli, cum quo ſaccus tutiſſime & abſque inteſtinorum læſione aperitur. Denudatis ita inteſtinis, (2) chirurgus removet omnia obſtacula, & diſſecat tunicas fibras & ligamentula ibi exiſtentia, & ſimul aliquam portionem inteſtini ex abdomine extrahit, ut contenta in parte incarcerata majus acquirant ſpatium. Nunc (3) conductorem alatum quoque in annulum immittit umbilicalem, & cum cuſpite cultelli ſecando illum dilatat, in illo quidem loco, ubi conſultum eſt, & in tanta quantitate, prout neceſſitas hoc expoſcit.

## §. X L I I.

Reſtitutis in abdominis cavitatem inteſtinis, illico vulnus deligandum balſamis, plumaceolis, emplaſtris atque ſpleniis. Acria vulnus perferre nequit, nam totus annulus nervoſæ & tendinoſæ eſt naturæ, ideo tantum temperatiſſima adhibenda, ut oleum ovorum, mel roſarum cum myrrha, maſtiche, ariſtolochiæ & colophonii pulvere. Applicatis his cum plumaceolis filo munitis, emplaſtra ſuperimponenda, ut ſtypticum *Crollii*, Opodeldoch *Paracelſi*, catagmaticum Londinenſe, de tacamahaca, maſtichinum, divinum &c. Si poſt operationem ad votum nova caro ſuccreſcit, vulnus conſolidatur; apparentibus autem inflammationibus cum febri deliriis atque convulſionibus fatis cedendum, imprimis ſi ante operationem gangræna annulum inteſtinum & omentum contaminavit.

## §. X L I I I.

Curam ſpecialem in noſtro caſu *Magn. Præſes* omni diligentia ſollicite ſuſcepit remediis neceſſariis diæteticis, chirurgicis & pharmaceuticis, balſamicis, epuloticis, temperantibus, analepticis, bezoardicis. Eoramen, poſt partis e-

mor-

mortuæ ſeparationem umbilico inflictum, erat exiguum, & ſeſe in quantitate habebat ad inſtar ternarii, triplo autem major fuit tempore ſtrangulationis, expanſionis & gangrænoſæ inflammationis. Labia hujus in partibus nervoſis exiſtentis ulcuſculi rubebant cum ſenſu exquiſitiſſimo, & hoc fiebat, ut puella nil niſi temperatiſſima perferre poſſet topica. Præſcripſit *Excellentiſſimus Præſes* electuarium fluidum balſamicum atque epuloticum ex melle roſarum electuario diaſcordio Fracaſtorii, pulvere ariſtolochiæ, roſarum rubrarum, florum ſambuci, myrrha, maſtiche, aloe atque colophonio. Hocce remedium cum plumaceolis latis conſtanter ulcuſculo fuit ſuperimpoſitum, cum emplaſtro ſtiptico crollii, quod hæc omnia tegebat.

§. XLV.

Primis quatuordecim diebus horum remediorum topicorum uſu ulcus magis magiſque mundificabatur, circa margines nova caro ſuccreſcens apparebat, nulla amplius chymoſa materia ex ulcere propullulabat, manifeſto indicio vulnus, inteſtino inflictum, jam fere penitus eſſe clauſum. Puella inſuper amplius non ſentiebat cruciatus, quieſcere & placide dormire poterat, appetitus reſtitutus ad votum ſuccedebat, vires in dies magis magiſque increſcebant, & ſigna ſimul reſtitutæ nutritionis apparebant. Præter hæc nulla aderat febris, nulla circa umbilicum inflammatio, nulluſque amplius ructus, ſingultus & vomitus. Alvus erat ſtato tempore aperta, quæ ſigna omnia promittebant exoptatum curæ eventum. *Magnificus Præſes* igitur hac methodo ſemel inchoata ulterius inſiſtens addebat electuario antea indicato balſamum indicum album ſive de copaiva, & pulverem opobalſami ſicci ad conſolidationem totius ulcuſculi magis magiſque promovendam.

§. XLVI.

Sigillandi & exſiccandi fine ultimato elegit pulveres exſiccantes ex ſulphure lycopodii, pulvere roſarum, florum ſambuci, herba ſcordii, addendo ceruſſam ad pondus omnium.

§. XLVII.

Interne in principio adhibita fuit mixtura ex tinctura bezoardica Wedelii, eſſentia traumatica W. Myrrhæ ſuccini & liquore anodyno minerali, de qua mixtura mane hora 8va & poſt meridiem quarta ægrota aſſumſit viginti guttulas. Circa finem curæ eſſentia ſerpentariæ virginianæ, myrrhæ & opobalſami veri locum prioris medicamenti ſupplebat. Hora decima matutina & nona veſpertina pulvis adhibitus fuit ad grana XV. compoſitus ex radice contrajervæ, lapidibus cancrorum, cornu cervi philoſophico, ſuccino præparato, coralliis rubris præparatis, & antimonio diaphoretico martiali, cum tantillo theriacæ cœleſtis. Hæc remedia aſſumta ſunt cum infuſo theiformi ex raſura radicis pareiræ bravæ, herba arnicæ, agrimoniæ, veronicæ, meliſſæ & ſemine aniſi ſtellati.

## §. XLVIII.

In regimine diætæ omnia ſunt obſervata, quæ ad exoptatam curam pertinent, conſervata eſt puella in aëre puro & calido cum animi & corporis tranquillitate, alimenta erant juſcula & brodia nunc gallinacea, nunc vitulina vel bovina leviter aromatiſata atque vitello ovi mixta, cum quibus aſſumſit interdum aliquot grana ſpermatis ceti. Et ita per Dei gratiam feliciter ad finem cura eſt perducta.

F I N I S.

LXVIII.

# DISSERTATIO
## CHIRURGICA
*DE*
# HERNIA VENTRALI.

*Quam tuebatur*

BEAT. IGNAT. LA CHAUSSE,

*BRUNTRUTANUS-RAURACUS.*

Argentorati 29 Octobris 1746.

§. I.

Viſcera chylopæa, ventriculus nempe, epiploon, inteſtina, hepar, lien cum reliquis, licet in abdomine ultro citroque fluctuent; vinculis tamen propriis ſua ſede coërcentur &, ne dimota, foras prolabantur, cavis tegumentorum, muſculorum abdominalium, peritonæi, tanquam totidem ſaccis, includuntur.

§. II.

Molles hæ partes (§. 1.) talem, in infimo ventre, ſitum obtinent, ut, reciprocis ſepti tranſverſi preſſionibus expoſitæ, deorſum antrorſumque protrudantur: quo quidem contingente, involucra ambientia, (§. 1.) contentis in ea incurrentibus, cedunt, extrorſum prominent. At cum aponeuroticæ, muſculoſæ, membranaceæ indolis ſint horum velamentorum fibræ, conſequenter elaſticitate gaudeant; hæ eadem vi, qua preſſæ angebantur, reagunt, ſimulac cauſa comprimens ceſſat: ſed eo ipſo viſcera abdominalia, aliis reciprocis motibus, ab ipſis his involucris, ſurſum rurſus retrorſumque abiguntur. Enimvero talis eſt fibris his directio, ut longitudinaliter partim, partim tranſverſaliter, viſcera, faſciarum inſtar, cingant; ſicque, ſi partes contentæ in eas nitantur, ex lineis rectis, in curvas mutari, neceſſe ſit, ſique ultra modum activitatis non extenduntur, impetu deſinente, in priſtinum ſtatum redeant. Secus vero, ſi elaſticitas ipſarum naturalis ſuperatur, tunc enim arcus hos nimium tenſos, inflexoſve elongari quidem, non vero amplius in lineas rectas reſtitui, ſed relaxari potius, aut plane rumpi, ex Phyſicis & Mechanicis principiis palam eſt.

§. III.

Partes abdomen cingentes (§. 1.) intuenti, primo ſeſe offerunt *integumenta communia*, cuticula nempe, cutis, & membrana adipoſa. Et quidem ad *cutem* abdominis quod attinet, hæc à cute reliqui corporis in eo potiſſimum differt, quod ſuperficies ipſius, papillulis nerveis, nec copioſis, nec diſtinctis adeo conſita ſit, quam aliis in locis, quodque portio ipſius anterior, texto tenuiori magis, ſed ſimul ſtrictiori gaudeat, quam poſterior. Atque in genere, textum hoc, ex concurſu productionum tendinoſarum, arteriarum, venarum & nervorum conflatum, cavum aponeuroticum, elaſticum (§. 2.) format, quod ideo mirum quantum extendi, in latitudinem ampliari, & ſpiſſitudine minime imminuta, multum dilatari poteſt [a].

In-

[a] Vid. acutiſſimi *Winslow Expoſit. Anatom. de la Struct. du corps hum. Tom. IV, Part. I.* Traite du bas ventre, §. 13.

Incumbens cuti *cuticula*, cum nihil aliud ſit, quam dictorum vaſorum fines ultimi, in ſquammulas abeuntes; [*b*] rete quoddam, ſulcis areoliſque diſtinctum, in abdomine conſtituit [*c*].

Subjecta vero cuti *membrana adipoſa*, ex variis ſtratis componitur, cellulis innumeris ſibi invicem adjacentibus conſtans, quæ oleo madidæ flexilitatem fibris largiuntur, ideoque infimum ventrem, in inſignem molem augeri poſſe, ut immenſum promineat, alia ratione patet.

## §. IV.

Inciſa cute atque pinguedine, (§. 3.) viſui ſeſe ſiſtunt *muſculorum abdominalium quinque paria.* Horum ſuperior

1. *Obliquus Externus* dictus, oritur carneus à margine inferiori octo vel novem coſtarum imarum, totidem digitatis initiis, oblique poſtea deſcendens tendineſcit, ita quidem, ut aponeuroſi, partim robuſta, oſſi pubis, nec non labio externo oſſis ilii, à tubere uſque ad ſpinam ipſius anteriorem ſuperiorem inſeratur, ubi cum ligamento *Fallopii* [*d*] communicans, ſpatium, *annuli* in modum apertum, pro tranſitu vaſorum cruralium relinquit, quæ aponeuroſis, antequam ad os pubis pertingat, in duas faſcias, columnarum modo, fiſſa, *annulum*, pro tranſitu vaſorum ſpermaticorum [*e*] in viris, ligamentorum rotundorum in fæminis, format; partim vero aponeuroſi lata & debili totam regionem anteriorem abdominis tegit, quod planum tendinoſum, cum illo alterius lateris ubique intertextum, in medio lineam quamdam, albam vocatam, conſtituere juvat. Subſtratus huic

2. *Obliquus Internus*, qui tendineus ab apophyſibus vertebrarum lumbarium ſpinoſis & tranſverſis quibuſdam, & ab oſſe ſacro, carneus vero ab ambitu circulari oſſis ilium & ligamento oſſium pubis ortus, aſcendit fibris carnoſis ſemilunatis latis, atque dein tendinibus brevibus cartilaginibus coſtarum ſpuriarum & duarum verarum ultimarum adnectitur. Caro vero media tendo fit, qui in duas laminas ſecedens, muſculis rectis vaginam impertitur, quæ quidem vagina ſuperius etiam ab aponeuroſi obliqui externi roboratur (n. 1.) accedentes poſtea iterum hæ laminæ & cum ſui comparis tendine ſeſe decuſſando, ad lineam albam conſtituendam ſuum quoque ſymbolum conferunt. His tecti ſunt

3. *Tranſverſi*, qui brevi tendine à proceſſibus tranſverſis vertebrarum lumbarium nati, carnei dein ad anteriora procedunt, annexi ſpinæ oſſis ilium,

[*b*] Conf. *Boerhaave in cedro dignis Inſtitut. medic.* §. 425.

[*c*] *Winslow* l. c §. 14. 15.

[*d*] Negatum magni nominis Anatomicis. inter quos *Morgagnus* etiam *Adverſ. anat. III. p.* 2. fuit hoc ligamentum, & ſolum pro expanſione aponeurotica hujus muſculi habitum.

[*e*] Unicum ſolum annulum, ab aponeuroſi obliqui externi fiſſa, per quem vaſa ſpermatica tranſeunt, ſtatuimus, cum non perforent duos ſubjacentes muſculos, obliquum internum & tranſverſum, ſed ſub iiſdem ſolummodo repant. *Winslow Tom. II.* §. 94. & 112.

rum, ligamento oſſium pubis, marginique interno cartilaginum coſtarum ſpuriarum ad xiphoiden uſque cartilaginem, quæ fibræ, tranſverſim ita incedentes, quibuſdam in locis interdum diductæ ſunt, interdum deficiunt [*f*], deinceps vero producuntur in tendinem, qui obliquo inferiori arcte adhærens, vaginam rectorum (n. 2.) inferius firmat; ulterius dein protenſus, & muſculi alterius lateris tendine irretitus, lineam albam itidem deſcribit.

Sex horum latorum muſculorum tendines, ita ſibi invicem intricantur, ut non ſolum cujuslibet muſculi tendo latus cum illo comparis coëat; ſed & omnes ſex ita illaqueentur, ut ſectione nequaquam ſeparari poſſint. Qui quidem horum tendinum per totam longitudinem abdominis concurſus, atque inde formata aponeurotica expanſio, *Lineæ Albæ*, vel rectius *Semilunaris* nomine, ab anatomicis ſalutari conſuevit. In medio lineæ hujus tendines hi in orbem acti, foramen rotundum ſub forma *annuli* efficiunt, quod tranſitum vaſis umbilicalibus in fetu concedens, eo in lucem edito, his abſciſſis, cum cute in cicatricem, *Umbilicum* vocatum, coaleſcit. Et alba hæc linea, ſupra umbilicum lata, infra illum anguſta conſpicitur. Ex eo vero, quod trium horum latorum muſculorum plana, tam carnea, quam aponeurotica, (n. 1-3.) vario modo ſeſe decuſſent, ut plano unius muſculi carneo, alterius muſculi planum tendinoſum ſubjectum ſit, & ubi planum unius carneum deficit, ibi per carneum alterius ſubſtratum ſuppleatur, idque in toto ambitu æqualiter ita obtineat, peculiari hoc mechaniſmo, ita conſiderari debent tria hæc muſculorum paria, ut quaſi forment unum ſaccum muſculoſum, circumpoſitum viſceribus abdominalibus, qui eadem in ſitu ſuo continendo (§. 1.) æqualiter undique viſcera hæc comprimere, & ab iis reciproce preſſus, æqualiter itidem reſiſtere poſſit. Quæ a laminis aponeuroticis obliqui inferioris ſecedentibus fit vagina (n. 2.), tenuis ſuperius & tranſparens, ſi finditur, in conſpectum veniunt

4. *Recti muſculi*, qui carnei à cartilagine enſiformi & quintæ, ſextæ, ſeptimæ coſtæ cartilagine ortæ, fibris rectis tanquam faſciæ longæ utrinque ad latus lineæ albæ deſcendunt, tribus inſcriptionibus tendinoſis ſupra umbilicum dotatæ, ubi etiam propter latitudinem lineæ albæ ſecedunt, quandoque una infra eumdem diſtinctæ, ubi albam lineam tegunt, inſertione ſua ad ſymphyſin oſſium pubis terminantur. Communi cum præcedentibus (n. 4.) vagina ex parte incluſi.

5. *Pyramidales* à figura dicti, exigui, carnei, à margine ſuperiori oſſium pubis aſcendunt ad latera rectorum, lineæ albæ hinc inde parvis tendinibus adnexi, verſus umbilicum in apicem deſinunt [*g*].

§. V.

[*f*] Garengeot *operat. de chirurg. Tom. I. p.* 252. Platner *inſtit. chirurg. rat.* §. 790.

[*g*] Deſcriptionem muſculorum horum eatenus ſolummodo tradidimus, quatenus ſequentibus explicandis neceſſaria eſt, qui vero abdominalium muſculorum deſiderat deſcriptionem, ei exactam *Winslow Tom. II.* §. 66. concinnam *Boerhaave inſt. med.* §. 86. ex optimis Anatomicis enucleatam Cl. *Haller* in *Boerh. præl. ad inſt. Vol. I. p.* 260. ſup-

## §. V.

Toti huic involucro ( §. 4. ) & præcipue tranſverſalibus muſculis (n. 3. ) mediante cellulari quadam ſubſtantia adhæret ſaccus membranaceus, tenuis, elaſticus, pyriformis, ſuperius compreſſus, in medio latior, ad inferiora in obtuſum finem deſinens, viſcera abdominis immediate ambiens, ( §. 1. ) *Peritonæum* ab extenſione circumcirca, quod Græcis περιτείνεσθαι, vocant. Quod, ſecundum recentiorum & ſaniorum anatomicorum ſententiam, unicam ſolum laminam habet [ *h* ], cujus ſuperficies interna lævis, polita; externa vero inæqualis, è congerie innumerarum cellularum, pinguedine repletarum, variaque ſtrata formantium, conflata, tanquam apophyſis præcedentis [ *i* ] haberi, atque ideo textum cellulare vocari meretur. In quibuſdam locis quidem, præcipue ubi tranſverſi fibris adhæret, deſtituitur hoc texto peritonæum. A cartilagine xiphoide uſque ad umbilicum in viris, ab umbilico uſque ad pubem in fæminis, craſſius apparet. Apophyſis hæc folliculoſa, ſeu textum peritonæi cellulare prolongatur hinc inde in productiones quaſdam, quæ, portionem ſuam internam membranaceam relinquentes, partes ex abdomine exeuntes comitantur, illiſque involucra præbent. Sic, vaſa ſpermatica per annulum obliqui externi ( §. 4. n. 1. ) ex infimo ventre egredientia, proceſſus ſuos à portione hac externa nanciſcuntur; quos etiam, cruralibus vaſis, ſub ligamento *Fallopii* ( l. c. ) tranſeuntibus, impertit; imo pari ratione, ſuper veſica & inteſtino recto proceſſus texturæ hujus cellularis expandi [ *k* ], notum eſt. Non minus etiam ſuperficies peritonæi interna viſceribus abdominis proſpicit, dum ea ambiens, proceſſus ſic internos format, tunicam communem iis largiendo. Imo, quod notatu dignum, in ſuperficie interna peritonæi quandoque hinc inde vaginas, foramina cæca [ *l* ], ductus cæcos [ *m* ], reperire licet, quæ peculiaria diverticula viſceribus

peditabunt, qui delineationem vero eorumdem videre cupit, exactiorem & ſplendidiorem nullibi conſpiciet, quam in opere illo incomparabili, quod *Lutetiæ Pariſiorum* ſub titulo: *Eſſai d'Anatomie en Tableaux Imprimés*, nova arte nunc paratur; ubi *Tab.* 10. & 11. muſculi abdominales æri inciſi, viviſque coloribus picti, admirando ſiſtuntur ſpectaculo.

[ *h* ] Olim multum de duplici lamina peritonæi diſputatum fuit, & de viſceribus in duplicatura peritonæi locatis, unanimi hodie conſenſu unica lamina huic membranæ tribuitur; *Winslow Tom. IV. P. I. Tr. du bas ventre* §. 22. &, qui ex profeſſo illam deſcribit, *Henſing Diſſ. de Peritonæo* §. 15. quæ extat in *Halleri collect. Diſſ. Anatomic. Vol. I. p.* 249.

[ *i* ] *Winslow* l. c. §. 24.

[ *k* ] *Winslow* l. c. §. 31. *Henſing* l. c. §. 5.

[ *l* ] Commerc. Liter. Norimb. 1735. *Hebd.* 14. & 1737. *Hebd.* 1. *E. N. C dec. II. A.* 5. *p.* 125 *Haller. in Præl. inſt. Boerh. Vol. V. P. I. p.* 284.

[ *m* ] *Nuckius Adenograph. p.* 134 in omnibus fæminis productiones internas, quæ comitantur ligamenta rotunda, ſtatuit, ſed nec apud *Hallerum* l. c. nec apud alios fidem invenit.

ribus atque inteſtinis, ibidem ſeſe inſinuandi, locum naturalem parant. Sic fabricata hæc membrana, inſigni elaſticitate gaudere neceſſario debet; (§. 2.) hinc incredibilem extenſionem pati poſſe, quo magis vero extenditur, eo magis craſſitie augeri [*n*] conſtat. Quam ob rem maximo utique robore prædita eſt, quod tamen iis in locis, ubi portio celluloſa membranaceam deſerit, minuitur & infirmatur.

## § VI.

Nominatæ hæ partes (§. 3. 4. 5.) abdominis viſcera, epiploon, inteſtina, ventriculum, hepar &c. ita circumvallant, ut inſigni fornice inter pectus & pubem antrorſum emineant, & quamdiu elaſtica vi ſua agunt, undique eadem, qua à viſceribus premuntur vi, reſiſtunt; (§. 2.) ſicque ſuperficiem externam abdominis omnibus in locis æqualiter tenſam, lævem, politam conſervant. Sin vero elaſticitate hac imminuta, vel læſa, in loco quodam laxantur, vel plane rumpuntur; (§. 2.) viſcera, ob motum diaphragmatis, poſt tergum ſemper irruentia, vinculis ſuis laxatis, (§. 1.) eo in loco abdomen in tumorem attollunt, unde fit, ut indecore promineat, qui ſtatus partium continentium abdominis è naturali, ſic in p. n. abiens, *hernia* vocari ſolet: quæ eſt tumor p. n. infimi ventris, à relaxatione, vel ruptione peritonæi, muſculorum abdominalium, integumentorum, & viſceribus contentis, è ſitu naturali ad hæc loca prolapſis, contingens [*o*].

## §. VII.

Derivatur herniæ vox, à Latino hærere, vel *ἀπὸ τῦ ἔρνεος* Græco, germen, ramus, quia inteſtinum, ſi deſcendit, præcipue in ſcrotum, quaſi ramum efficit, vel à Sabinorum hernius, quo, quicquid eſt durum, indigitabant, à duritie hinc ita vocata. Græcis dicitur Κήλη, à *κηλέω*, permulceo, per *καταχρησιν*, noceo, vel *χαλάω*, laxo [*p*], quo nomine ab initio deſignabatur omnis tumor, qui in ſcroto oritur, ſed dein, ad alios tumores translata hæc vox, omnes abdominis tumores denotabat. Latinis hic affectus à ſimilitudine *Ramex* [*q*], *deſcenſus*; à cauſa, qua ſemper fieri credebant, *ruptura*, *crepatura* audit. Galli ob priorem rationem illum, *une Deſ-*

[*n*] *Henſing* l. c. §. 8.

[*o*] Boerhaave *in ſuis præl. Vol. VI. p.* 51. eam, quaſi dislocationem, vel luxationem partis mollis, vocat.

[*p*] Foeſii *Oeconomia Hippocrat.* voce Κῆλαι, p. 336.

[*q*] Herniæ vocabulum, *Celſi* temporibus, in obſcænis fuit, & indecorum *L. VII. C.* 18. Milites Commodi Imperatoris, præter alia convicia quoque eum *κηλήτην*, *hernioſum*, vocarunt, *Dionis Hiſt. Rom. L.* 73. Noſtro ævo morbus pro indecoro habetur, & omni ſollicitudine etiam medicis & chirurgis velatur, maximo ſæpe cum velantium periculo, imo interitu.

*Deſcente*, *Hernie*, antique *Hargne*, appellare ſueverunt. Germanis, ex Latinorum præjudicio, *ein Bruch*. alias *Leibſchaden*, vocatur.

## §. VIII.

Cum peritonæum viſcera abdominis immediate ambiat (§. 5.) hoc primum eſt, quod impetum irruentium partium mollium ſuſtinere debet (§. 6.); ſed, ſi ipſius fibræ, elaſticitate ſua naturali privatæ (§. 2.), integre ſeſe reſtituere nequeunt, à partibus, in illud incurrentibus, ita ſucceſſive membrana hæc laxatur, dilatatur, ad anteriora protruditur, ut dicta hæc viſcera magis atque magis in locum dilatatum ſeſe inſinuent, una cum laxato peritonæo deſcendant, prolabantur: quod quidem, ſi foramina cæca, ſeu foveæ naturaliter in peritonæo hinc inde jam adſunt (§. 5. & not. l.), eo facilius evenire poteſt, cum ſic naturales, ad relaxationes peritonæi & prolapſus viſcerum, diſpoſitiones præſto ſint. Pars peritonæi, prolapſas has partes ita includens, *Saccus peritonæi*, vel *Saccus herniæ* vocari ſolet, qui quidem nihil aliud eſt, quam membrana ipſa, vel portio membranacea peritonæi, partes molles, in eam inſinuatas, continens. Qui ſaccus, non adeo inepte in internum, & externum dividi poteſt [r]. *Internum* vocando, ipſam portionem membranaceam peritonæi; cui adhuc exterius ſtrata quædam celluloſa adhærent, quæ ſub *externi ſacci* nomine veniunt.

Quod peritonæo accidere ſtatuimus, illud ratione muſculorum epigaſtricorum locum quoque habere poteſt (§. 4.) vel enim, rupto peritonæo (§. 6.) hi muſculi ſoli impetui viſcerum (§. 2.) reſiſtere debent, quod dum non ſemper valeant, itidem elaſticam ſuam vim amittunt, laxantur, viſcera intro ſeſe recipiunt, & ſaccum herniæ ſic formare poſſunt; vel integro etiam peritonæo, ſed laxato, horum muſculorum aponeuroſes præprimis (§. 4.) nimis relaxantur, & ſic prolapſas partes recipiunt [s].

Imo ſi fibræ eorumdem, tam muſculoſæ, quam aponeuroticæ, naturaliter diductæ (§. 4. n. 3.), vel, unitate ſoluta, plane diviſæ ſunt [t]; tunc temporis cutis ſola contra niti debet vi partium intrantium, quæ ſola ſic ſaccum herniæ quandoque conſtituit, diu vero reniti impotens, ſæpiſſime rumpitur.

## §. IX.

Contenta abdominis, ab involucris ſuis ſic laxatis, vel ruptis (§. 6.) non amplius coercita, ſi inſuper ligamenta ea nectentia itidem laxantur (§.

[r] Mauchart *Diſſ. de hernia incarcerata Tubingæ* 1722. *C. II. p.* 13. 14. hanc diſtinctionem proponit.

[s] Talem ſaccum, à triplici aponeuroſi muſculorum abdominalium formatum, obſervavit Mery, *Memoires de l'Academie Royale des Sciences*, *ann.* 1701. *Mem. p.* 376. *edit. Batav.*

[t] Cl. *Gunzius libello de herniis p* 49. qui, uti cuncta de hac materia, ita hoc quoque ſolide proſecutus eſt. *Vogel tr. Germ. von denen Brüchen*, *edit. nova*, 1746 *p.* 56.

(§. 1.), qua data porta ruunt, exitumque quærunt, quem iis in locis commode inveniunt, ubi muſculorum abdominalium fibræ aponeuroticæ à ſe invicem hiantes, annulos (§. 4.) vel fibræ carneæ diductæ (§. 8.) interſtitia faciunt. Hinc

I^ma^ herniarum diſtinctio nata, quæ *à loco*, *quo prolapſus fit*, varia ſortiuntur nomina. Nam vel in umbilico, per annulum in medio lineæ albæ (§. 4. n. 3.) fit egreſſus, quod vitium, *hernia umbilicalis*, ὀμφαλοκήλη, Ἐξόμφαλος, Græcis vocari ſolet; vel per annulum obliqui externi (§. 4. n. 1.) prolapſæ partes in inguine apparent, & *Inguinalis hernia*, Βουβωνοκήλη, dicitur; quæ, ſi ulterius, in viris ad ſcrotum, in fœminis ad labia pudendorum uſque deſcendunt, *Scrotalis*, vel Ὀσχεοκήλη, in viris ſalutatur [v]. Aponeuroſes quoque obliquorum, eo in loco, ubi cum ligamento *Fallopii* communicant, hiant (§. 4. n. 1.); ſed per hunc annulum ſub ligamento ad crura quoque prolabi poſſunt viſcera, ſicque *Femoralem vel Cruralem herniam*, ſeu Μηροκήλην, conſtituere [x]. Imo eſt quoque ad ligamentum, foramen ovale claudens, hiatus quidam, per quem, dum fit elapſus, *hernia* quædam *Ovalaris* dicta, oritur [y]. Et ſi quocumque in loco abdominis alio, epigaſtrio videlicet, ſive ad latus umbilici, vel in linea alba, ſive id ſupra, ſive infra umbilicum ſit, ſive in aliis regionibus abdominis, hypogaſtrio etiam, partes promineant; *Ventralis Herniæ* nomine, vel Ὑπογαστροκήλης, venit. Minime vero ſemper eadem ſunt viſcera, quæ per hæc loca (n. 1.) labuntur, ſed ſubinde alia atque alia. Et inter illa quædam frequentius, qualia omentum & inteſtina; quædam rarius prolabuntur, talia ſunt ventriculus, hepar, lien, veſica, uterus &c.

II^da^ hinc herniarum diſtinctio, *à parte prolapſa*, qua nempe, ſi omentum ad hæc loca devenit, *Omentales*, ſi inteſtina, ſive tenuia, ſive craſſa devolvuntur, *Inteſtinales* dicuntur. Et inteſtina quod attinet, modo illa integra tumorem formant, modo vero latus ſolummodo inteſtini convexum & paries tantum ipſius interceptus, ſeſe inſinuat, via adhuc ex parte libera pro tranſitu alimentorum vel fæcum manente [z], quod in coli cellulis ſæpius ita obſervatur, vel, quod raram facit herniam, invenitur ſæpe, in ileo præcipue, appendix quædam ſeu peculiare diverticulum [a], quod elapſum

 herni-

[v] Scrotales hæ, etiam *Completæ herniæ* vocantur, ad diſtinctionem *incompletarum*, quando partes ſolum in inguine apparent, at, me quidem judice, diſtinctione hac carere poſſumus, cum eſſentiale nullum diſcrimen faciat.

[x] Vid. *Goelicke Diſſ. de hernia femorali Francof. ad Viadrum* 1740.

[y] *Mem. de l'Acad Royale de Chirurg. Tom. I. p.* 709. ubi, ex recenſione *Garengeot*, quædam ipſius exempla allegantur.

[z] *Mery Mem. de l'Acad. Royale des Scienc. A.* 1701. *p.* 357. *Garengeot Operat. de Chirurg.* Tom. 1. Obſ. 21. p. 365.

[a] Primus has hernias obſervavit *Littrius; Mem. de l'Acad Royale des Sciences A.* 1700. *Hiſt.* p 20. *Mem.* p. 384. idem vidit, l. c. 1714. *Mem.* p. 259. ab aliis obſervata talia diverticula invenimus, conf. *Ruyſch. Theſ. anat.* VII. *Tab.* IV. E. N. C. *Cent.*

A a 3 VIII.

herniam facit, & eo ipſo canalis itidem non anguſtatur. Inter raras herniarum ſpecies ab auctoribus recenſentur, *Hernia ventriculi*, Γαςροκήλη [*b*]; hepatis, quæ *Hepatocele* vocatur [*c*[; lienis, ſive *Splenocele* [*d*]; *uteri*; *veſicæ*, quæ Κυςοκήλη appellatur [*e*]; cumque dictæ hæ partes, vel ſolitariæ exeant, vel plures ſimul

III. hinc in *ſimplices* & *compoſitas* dividi poſſunt herniæ. Si unum tantum viſcus prociderit *ſimplex* eſt *hernia*, ſi plura prodierint *compoſita* audit; ad quam etiam referri meretur, ſi pluribus in locis ſeſe manifeſtat tumor, ut *duplicem*, *triplicem*, quandoque & plures numero in uno ſubjecto reperire liceat. In umbilico, ſi epiploon ſolum invenitur, *Epiplomphalos*; ſi inteſtinum, *Enteromphalos* vocatur: fere ſemper autem omentum inteſtinum præcedit, una procidunt, & *Enterepiplomphalon* tunc conſtituunt. Si in inguine, vel ſcroto, unum, vel alterum horum, ſolum ſeſe manifeſtat, *Epiplocele*, vel *Enterocele*, ſi vero ambo ſimul *Enteroepiplocele* ſalutatur. Quod ſi elater peritonæi nimis labefactatus, (§. 2.) ſicque ingens dilatatio, vel plane ruptio ejuſdem contigerit, (§. 5. 6.) pluribus adhuc numero partibus exitus porta tunc panditur, hepar, v. g. ventriculus &c. in conſortium exeundi trahuntur, quæ herniæ, ex compoſitarum numero, nullum tamen amplius nomen ſortiuntur. Scire autem juvat, an partes hæ pridem, an noviſſime prolapſæ fuerint, mora enim temporis, partes ab initio liberæ, firmius poſtmodum compinguntur, dolorificæ evadunt, vel adhærentes fiunt, cum ſacco ferruminantur. Hinc

IV. dividimus hernias in *mobiles*, quæ ſi recentes, plerumque *liberæ*, & ſine dolore ſunt; ſi vero inveteratæ, fortius infiguntur, doloribus ſtipatæ ſunt, tuncque *incarceratæ* vocantur; vel *immobiles*, quæ per moram temporis concreſcunt, & tunc *adhærentes* appellantur. Hæque omnes, ſacco ſuo, ſive à peritonæo, ſive aliunde nato, (§. 8.) ſunt involutæ, adeoque

V. ſolummodo *cum dilatatione peritonæi*, vel, ſacco deficiente plane, *cum ruptura peritonæi* [*f*] contingunt. Verum enim vero, nec ſola ſunt viſcera, (n. 2.) quæ abdominis circumferentiam in tumorem elevant, ſed, per modo memorata loca, (n. 1.) cum dictis partibus, etiam aliæ res toto genere p. n. ſeſe manifeſtant, tumorem faciunt; quales quidem aqua, aer, ſanguis, car-

VIII. *Obſ.* 50. p. 332. *Act. Phyſ. Med. Vol.* 1. *Obſ.* 82. *Act. Petropol. Tom.* IV. *p.* 263. *Act. Vratislav Tent.* 18. p. 540.

[*b*] *Mem. de l'Acad. Royal. de Chirurg. Tom.* I. p. 703. *Gunz.* l. c. p. 87.

[*c*] E. N. C. *Dec.* I. A. II. *Obſ.* 88. p. 162. *Dec.* II. *A.* VII *Obſ.* 6. p. 11. *Gunz* l. c. p. 4.

[*d*] *Gunz.* l. c.

[*e*] Vid. Celeb. *Saltzmanni* noſtratis *de veſicæ urinariæ hernia Diſſ. A.* 1732.

[*f*] Veteres omnes hernias à ruptura peritonæi contingere autumabant, quod ex onomatologia (§. 7.) patet, hinc hernioſos vocarunt ruptos; recentiorum multi plane negant peritonæum unquam rumpi, conf. *Haller Præl. in Boerh. Vol.* V. *P.* I. p. 286. *Mauchart Diſſ. cit.* p. 12. confirmant tamen illud, teſtes omni exceptione majores, *Saltzmann Diſſ.* cit. §. 21. p. 34. *Garengeot Operat. Chir. Tom.* I. p. 329.

carnes fungoſæ ſunt, quæ, variis in locis peritonæum ejuſque proceſſus extendendo, diſtinctioni herniarum

VI. in *veras*, quæ à partibus corporis inquilinis, omento, inteſtinis, &c. [*g*] & *ſpurias* ſive *analogicas* dictas, quæ à rebus heterogeneis fiunt, locum dederunt. Si ſic umbilicum prominere faciat aqua, *Hydromphalos*; Si flatus, *Pneumatomphalos*; ſi carnes, *Sarcomphalos*; ſi varicoſa vaſa, *Varicomphalos* dicitur. Quæ ſi in ſcroto ita fiunt, *Hydrocele*; *Pneumatocele*; *Sarcocele*; ſi vaſa ſpermatica tumida, varicoſa, *Varicocele*, vel Κιρσοκήλη; ſi ſeminalia, *Spermatocele*; ſi pinguedo protuberat, *Liparocele* vocantur. Spuriæ hæ herniæ veris ſæpe aſſociantur, & *ex veris & ſpuriis compoſitas* faciunt [*h*].

## §. X.

Eſt igitur *Hernia* noſtra *Ventralis* (§. 9. n. 1.) è verarum cenſu, (n. 6.) atque *definitur*, tumor p. n. abdominis, in quocumque alio ejuſdem loco, quam in annulis ſeſe manifeſtans, atque à prolapſu omenti, inteſtinorum, ventriculi, hepatis per laxatum ruptumve peritonæum, muſculos abdominales atque cutem contingens. Græcis Ὑπογαστροκήλη, Gallis *Hernie Ventrale*, Germanis *ein Bauchbruch*, vocatur. Quæ, dum aſſerimus, omnem circumferentiam, qua infimus venter circumſcribitur, annulis umbilicali, (§. 4. n. 3.) obliqui externi atque ligamenti *Fallopii* (§. 4. n. 1.) exceptis, ventralis herniæ vagam ſedem eſſe palam eſt; ſive hoc in epigaſtrio, ſive ad latus utrumque umbilici, ſive per longitudinem lineæ ſemilunaris, ſive ad hypogaſtrium utrumlibet fiat. Ubique enim horum locorum, elatere peritonæi & muſculorum epigaſtricorum vel imminuto, (§. 4. 5.) vel, diductis (§. 4. n. 3.) aut ruptis fibris, penitus ſublato, abdomen à contentis tunc irruentibus indecore prominebit. Quod quidem ita verum eſſe comperimus, ut, veteribus jam de hac herniæ ſpecie ſermonem fuiſſe, notum ſit. *Hippocrati* cognitam fuiſſe diſcimus [*i*], nec minus *Galenus* illam tetigiſſe videtur, [*k*] & *Celſus* integrum caput ei deſtinavit [*l*], *Avicenna* quoque de iis, tanquam raris, mentionem injicit [*m*], & *Carpus* in quacumque ventris parte fieri eas dicit, præcipue in iis, in quibus venter telo perforatus fuit [*n*]. A *Montagnana*, propter vagam in abdomine ſedem, hernia hæc ventralis

[*g*] Quorſum etiam *hernias cerebri*, *uveæ*, *ſacculi lacrymalis Bronchocelem* referre licet.

[*h*] Quadruplicem recenſent *Act. Haffniens. Vol.* III. *Obſ.* 55.

[*i*] *Epidem L.* II. S. I. *n.* 71. *Edit. Lind. Pectinum ruptiones, quæ, quidem circa „ pubem fiunt, utplurimum ſtatim ſunt innoxiæ. Quæ vero paululum ſupra umbilicum in „ dextra parte, hæ doloroſæ ſunt & anxioſæ, & ſtercoris vomitum inducunt, velut eti- „ am Pittaco accidit. Fiunt autem hæ, aut à plaga, aut à vulſura, aut alterius inſultu.*

[*k*] *Adminiſtr. anatom. L.* V. *C.* VI.

[*l*] *L.* VII. *C.* 17.

[*m*] *Tom.* I. p. 962. *Ed. Iunt.*

[*n*] *Comment. in Mundinum* f. 106.

tralis appellatur [ *o* ], *Platerus* quoque eas modo ventris hernias, modo ventrales vocat [ *p* ]. Poſterioribus vero ſeculis ita in Democriti puteo abſconditus latuit hic morbus, ut nullum de eo in ſcriptoribus Chirurgicis veſtigium reperire datum ſit, donec in ſcriptis, à noſtri ævi excellentiſſimis in arte Magiſtris, editis *Dionis*, *Garengeot*, *Le Dran*, *Heiſtero*, *Gunzio*, *Vogelio*, *Platnero*, *Mem. De l'Acad. Roy. de Chirurg.* poſtliminio iterum è tumulo quaſi excitatus fuerit.

## §. XI.

Miraberis forſan, cur poſt tot retro demum ſecula in apricum iterum deducta fuerit peculiaris hæc herniæ ſpecies ( §. 10. )? En alti hujus ſilentii rationem! omnibus iis temporibus, quibus de hernia ventrali ſiluerunt autores, confuſioni litatum eſt, nec probe ad *differentiam*, quæ inter ipſam, & umbilicalem herniam intercedat, attenderunt, omneſque ventrales herniæ, pro umbilicalibus ab ipſis habitæ, ſub hoc nomine ab iiſdem deſcriptæ fuerunt. At cum in herniis ordinaria, qua elabuntur, porta, annulus ſit; ( §. 4. & 9. ) ita in umbilicali hernia, annulus ab aponeuroſi magnorum muſculorum abdominalium in medio factus ( §. 4. n. 3. ] verus & unicus locus eſt, per quem, ſi contingit prolapſus, tumor tunc herniæ umbilicalis nomen meretur. Omnia reliqua vero loca, ſive ad latus umbilici, vel etiam, tam ſupra, quam infra umbilicum, in tota longitudine lineæ albæ, ( §. 9. & 10. ) hernia ventralis ſibi-vindicat. Plurimæ hinc umbilicalium, re accuratius diſcuſſa, ad ventrales relegandæ ſunt: Qua in re conſentientes habeo *Garengeot* [ *q* ], *Dionis* [ *r* ], *Junckerum* [ *s* ]. *Ruyſchius* [ *t* ], etiam huic ſententiæ favere videtur, & *Gunzius* [ *v* ], licet *Cl. Le Dran* hernias umbilicales omnes eas vocet, quæ per longitudinem lineæ albæ fiunt, ſicque limites earum, multum etiam ultra regionem umbilicalem, extendat [ *x* ].

Non adeo vero differt, imo potius *ad herniæ ventralis cenſum referenda eſt hernia ventriculi*, ( §. 9. n. 1. ) quæ in parte ſuperiori lineæ albæ, immediate ſub cartilagine xiphoide, ubi fibræ muſculorum deficiunt, ſeſe manifeſtat. Hæc enim, cum in alio loco abdominis, quam in annulo ( §. 9. ) contingat, non ſolum ideo ventralibus herniis accenſeri meretur [ *y* ], verum etiam,

[ *o* ] *Conſil.* 227. cap. I. 3. ubi de ſpecie principali eminentiæ mirachialis i. e. ventralis raro eveniente loquitur, qui propterea primus ipſi nomen impoſuiſſe dicitur a *Gunzio*, p 5. l. c.

[ *p* ] *Prax. med. Edit. in 4to p.* 490.

[ *q* ] *Operat. de Chirurg. Tom.* I. *p.* 234.

[ *r* ] *Cours d'Operat. de Chirurg. p.* 121.

[ *s* ] *Conſpect. Chirurg. p.* 204. Caut. 1.

[ *t* ] *Obſervat. Chirurg.* 71.

[ *v* ] *Libell. de herniis* C. XV. p. 66.

[ *x* ] *Traité des Operat. de Chirurg. p* 138.

[ *y* ] Quod etiam facit *Commentator Dionis la Faye* p. 121.

etiam, cum raro ſolus protuberet, ſed ſæpiſſime epiploon ante ſe protrudat, imo interdum magnam partem inteſtinorum, hepar quoque comitem habeat, magnas hic locorum, & prodigioſas hernias format [z], ob quas quidem rationes optime ventris herniis annumeratur [a].

Caveas vero quæſo ne noſtram herniam cum inguinali confundas, cum enim in omni abdominis loco extra annulos fieri (§. 10.) poſſe diximus, contingit quandoque, ut prope annulum obliqui (§. 4. n. 1.) aponeuroſes muſculorum abdominalium [b] hic locorum ſpiſſæ ſatis & duræ, dilatatæ, ſaccum effingant (§. 8.) & attollantur, quod quidem inguinalem herniam mentiri poteſt, accurata vero inſpectione, vel ſectione demum compertum habemus, tumorem hunc non in annulo, ſed prope ipſum natum, herniam ventralem efficere [c].

Turpe quidem dictu, ſed ſi vera fateri volumus, herniæ hujus ſpecies quandoque à nonnullis chirurgis, nomine hoc indignis, cum aliis quibuſcumque tumoribus confunditur, ut pro abſceſſu habitus præpoſtere à quibuſdam apertus fuerit [d]. At, cum manui prementi facile cedat hic tumor, & ad interiora ſeſe recipiat, preſſione vero ceſſante, iterum appareat, baſis ipſius inſuper ſemper lata ſit, nec æqualis undique magnitudinis, his adhibitis cautelis, nullus confuſioni cum abſceſſu locus ſupererit.

## §. XII.

Verum enim vero, licet propter vagam in abdomine ſedem (§. 10.), certus tumoribus his *locus* aſſignari non poſſit; attamen ex eo, quod nunquam in annulis appareant (§. 11.), ita ſuis circumſcripti limitibus ſunt, ut nunquam de præſentia ventralis herniæ dubitaverit chirurgus, ſi in quocumque extra annulos loco (§. 10.), eam videre ipſi datum fuerit. Sic in regione epigaſtrica, circa enſiformem cartilaginem, peritonæum, nullis fibris muſcularibus tectum (§. 11.), facile preſſioni cedit, extenditur, prominet, quod herniis tunc ventriculi anſam præbere poteſt (§. 11).

Ad

[z] Qualium exempla legimus in *Tranſact. Anglic. A.* 1731. *No.* 421. 7. *p.* 286. *Edit. Verſion. Gallic.* ubi de tumore ſupra umbilicum, magnitudine capitis humani, narratur, quod apertus pylorum cum tertia parte ventriculi, colon integrum cum reliquis inteſtinis contineret, ita ut ex inteſtinis, nil in abdomine remanſerit, præter partem duodeni, cum parva portione jejuni & recto. *E. N. C. Vol.* II. *Obſ.* 94. *Tab.* IV. recenſent herniam, quæ abdomen à pectore ad pubem ita extendit; ut ad genua uſque propenderet ſaccus. *Mem. de l'Acad. Royale de Chirurg. p.* 701. adeo magnas eas evadere interdum notant, ut quaſi ſecundum ventrem repræſentent.

[a] *Gunz.* l. c. *Cap. XX.*

[b] *Winslow Tom.* II §. 81.

[c] *Mery Mem. de l'Acad. des Sciences A.* 1701. *Mem. p.* 376. *Blegny Zod. Med. Gallic Ann.* I. *Menſ. Febr. Obſ.* I. *p.* 43.

[d] *Heiſter. inſt. Chirurg. p.* 799. *Platner inſt. Chir. rat.* §. 821. *Haller Præl. in Boerh. inſt. Vol.* VI. *p.* 56.

Ad latus itidem umbilici in utroque latere, à laxatione aponeuroſium muſculorum epigaſtricorum formari poſſunt ventrales herniæ (§. 8.), quæ prægreſſis ſeculis minus accurate pro umbilicalibus habitæ fuerunt (§. 10. & 11.): quales multæ in fæminis gravidis, vel etiam poſt puerperium difficile, imo in infantibus recens natis reperiuntur. Recti muſculi utrinque ad latus lineæ albæ decurrentes (§. 4. n. 4.), lineam hancce non omnimode tegunt, ideo peritonæum hic locorum à cingentibus muſculis minus defenſum, debilius exiſtit, atque impetui viſcerum cedit (§. 5.), ſicque in interſtitiis rectorum inter ipſos per totam longitudinem lineæ albæ, ſupra & infra umbilicum, hernias ventrales frequentes eſſe non mirandum, imo à contractione eorumdem incarcerationi ſæpiſſime obnoxiæ ſunt [*e*]. Tranſverſorum ſæpe fibræ diductæ ſunt, imo deficiunt, & pinguedine ſupplentur (§. 4. n. 3.) in regione laterali & hypogaſtrica, atque his herniis portam pandunt. Super inguinibus itidem (§. 11.), ubi fibræ tranſverſi & obliqui interni rariores, tumores hos naſci obſervatur. Quæ, quod revera ita in his locis, uti diximus, contingant; ex pluribus obſervationibus, aliquibus ſolum, operæ pretium erit, comprobare. In latere ſiniſtro lineæ albæ, quatuor tranſverſos digitos ſupra umbilicum, herniam ventralem, trium pollicum cum dimidio magnitudine, obſervavit *Littre* [*f*]. Memoratu dignam benigne mihi communicavit *Dn. le Maire Xenodochii Regii Argentinenſis chirurgus olim primarius*, vir ob conſummatam in chirurgia ſcientiam nemini abſque elogio, mihi ob inſignem præſtitam benevolentiam abſque grata recordatione nunquam nominandus, qui herniam quamdam ventralem quadruplicem crucis in modum vidit in capillorum concinnatore, qui in juventute ſua doloribus ventriculi obnoxius & vomitibus violentis, rupturam fibrarum in linea alba paſſus eſt, ut duos tranſverſos digitos ſupra umbilicum tumor appareret, & eadem diſtantia infra umbilicum ſimilis alter talis tumor ſeſe manifeſtaret, in quo ſolum epiploon hæſit, lateraliter vero verſus regiones lumbares duo alii tumores magis notabiles conſpectui ſeſe ſiſterent. In regione epigaſtrica ad hypochondrium dextrum nuperrime demum herniam ventralem, caput infantis æquantem, conſpicere mihi datum fuit in viro, qui in eodem latere oſcheocelen quoque geſtat. Omnis ſuperficies anterior abdominis in utroque latere à tali tumore occupata viſa fuit à *le Dran* [*g*]. Imo eodem annotante [*h*], rara quædam & occulta herniæ ventralis ſpecies oriri poteſt, inter ipſas muſculorum rectorum fibras, ſi vulneratæ unquam hæ fibræ non amplius bene coaluerint, tunc à peritonæo impetum in eas faciente dilatari poſſunt, ſicque herniæ locum facere, quæ quidem propter vagi-

[*e*] *Gunz.* l. c. p. 72.
[*f*] Mem. de l'Acad. des Scienc. 1714. p. 259.
[*g*] *Operat. de Chirurg. p.* 142. Mem. de l'Acad. de Chirurg. p. 701.
[*h*] L. c. p. 145.

vaginam qua recti includuntur (§. 4. n. 3.) exterius ne quidem apparet. Sed extra hunc caſum ſæpius ad latus rectorum ab aponeuroſibus obliquorum & tranſverſi relaxatis abdomen in tumorem attollitur [*i*]. Inter duos rectos per tres circiter latos digitos diſcedentes herniam conſpexit duplicem *deſideratiſſimus Hænelius*, minor una erat in umbilico, altera major latum digitum ſupra eumdem [*k*]. In regione hypogaſtrica ſiniſtra duo tumores laudato *Dn. le Maire* occurrerunt in praxi ſua, quorum unus occupabat longitudinem criſtæ oſſis ilii, alter ſupra pubem ad latus pyramidalis, quæ appendicem formabat, & maxime notabilis erat. Quandoque uti *Petit* [*l*] in fætu obſervavit, deficiunt plane muſculi abdominales, ſed peritonæum tunc, omnem vim ſuſtinere impos, moli prementium viſcerum cedere debet, unde totum abdomen immenſum prominet.

## §. XIII.

Quas de herniis in genere tradidimus diſtinctiones (§. 9.), eæ in ventralibus quoque obtinent. Et quidem *diviſio*

I. *A loco* deſumitur, ita ut contingere eas obſervatum fuerit, præcipue in linea alba, ſive ſupra, ſive infra umbilicum (§. 12.), ubi muſculi recti a ſe invicem ſecedunt, vel in epigaſtrio, vel ad latus umbilici (§. 10. 11.), vel in hypogaſtrio, à ſecedentibus obliquorum & tranſverſi fibris (§. 4. n. 3).

II. *A viſceribus*, quæ in tumore ſeſe ſiſtunt; atque ex peritorum libris conſtat, herniam ventralem fieri quandoque ab omento in regione epigaſtrica ad longitudinem lineæ albæ [*m*], interdum contingere à ventriculo [*n*], quandoque ab inteſtinis, & quidem vel jejunum ſeſe manifeſtat [*o*], vel ileum & jejunum [*p*]: atque ileum quod attinet, illud omnium facillime prolabitur, idque interdum totum, interdum paries ſolummodo ipſius, aut appendix illa peculiaris, quæ in illo ſæpius reperitur (§. 9. n. 2.) & quæ rarior eſt herniæ ſpecies [*q*]: quæ quidem ilei in ſaccum talem vel cæcum prolongatio incarcerationis frequentem anſam præbet, inteſtinum colon etiam quandoque devolvitur [*r*], coli etiam ſæpe pars cum

[*i*] *Le Dran* l. c. 143.
[*k*] Allegante *Gunzio* l. c. p. 72.
[*l*] Memb. de l'Acad. des Scienc. 1716. p. 187.
[*m*] Le Dran *Obſerv. de Chirurg. Tom. II. p.* 59.
[*n*] Mem. de l'Acad. de Chirurg. p. 703. Gunz. *de herniis cap.* 20. Vogel *von denen Brüchen edit nova* p. 67.
[*o*] *Gunz.* l. c. p. 29.
[*p*] Saviard *Obſervat. Chirurgic. Obſ.* 59.
[*q*] §. 9. *not.* aa.
[*r*] Talis duplex illa *Hænelii* §. 12. allegata.

cum appendice conſpicitur [*s*], colon itidem cum epiploo ſociatur [*t*]. Et, ſi quoddam horum viſcerum ſolitarie exit

III. *Simplices*, ſi vero plura gregatim (§. 9. n. 2. &. §. 11.) & diverſis quandoque in locis elabantur, *compoſitæ* evadunt, quales ſunt omnes illæ magnæ & prodigioſæ in quibus omnia fere viſcera abdominalia vinculis ſuis relaxatis ventrem miſero ſpectaculo protuberantem exhibent [*u*]. Ita omnia inteſtina tenuia, præter duodenum, & omnia craſſa, excepto recto, veſicula fellis, & pars ventriculi in hernia ventrali reperta fuerunt [*x*]. Pertinet huc enteroepiplogaſtrocele triplex, duo tumores ab epiploo, unus ab inteſtinis à *Dn. le Maire* (§. 12.) obſervata; hernia illa à *Blegny* memorata [*y*]; entero-epiplogaſtrocele à *Gœlicke* allegata [*z*]; hepar, veſicula fellis, lien, ventriculus in tumore detectus. [*a*] Raro vero ſimplices obveniunt ventrales herniæ, verum cum ab epiploo inteſtina tegantur, illa fere nunquam ſola, ſed præcedente epiploo prolabuntur. Dictæ hæ partes, dum in tumore fluctuant, & ſine incommodo geſtantur

IV. *Mobiles* liberas efficiunt hernias, ſi vero doloribus, inflammatione ſtipatæ ſunt, incarceratæ tunc fiunt eædem, atque ſi non amplius cedunt, & adhærent, *immobiles* nuncupantur:

V. Tandem *à laxato* ſolum in his herniis *peritonæo*, *vel rupto*, id quod frequentius in ventralibus, quam in aliis contingit, diviſio petenda eſt. Et eæ ubi rumpitur peritonæum ſtupendæ ſemper ſunt magnitudinis: (n. 3.) talis eſt illa monſtroſa quam in fæmina quadam nobili vidiſſe mihi recenſuit *Dn. le Riche*, *Xenodochii Regii Argentinenſis copiarumque & caſtrorum regiorum chirurgus primarius*, fautor atque hoſpes olim meus grato dignoque encomio celebrandus. Hæc infra umbilicum prope tranſverſalis plicam tantam rupturam jam diu paſſa erat, ut vinculo paulum laxato plurimæ diffluerent partes, unde immanibus cruciabatur doloribus, quibus non aliter, quam in lecto, & vincturæ conſtrictione levabatur. Agmen verarum harum herniarum, ſpuriæ alicujus, ſarcoceles nempe ventralis mentione, claudimus [*b*].

## §. XIV.

Hiſce ratione locorum (§. 12.) & diviſionis (§. 13.) præmiſſis, non diffi-

[*s*] Mauchart *Diſſ. de hern. incarcer. p.* 11.
[*t*] Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1714. p. 259.
[*u*] E. N. C. *Vol. II. Obſ.* 94. Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. I. p. 701. Mem. de l'Acad. des Scienc. 1714. p. 259. Select. Francof. *T.* 2. *Vol. II. Obſ.* 2.
[*x*] Tranſact. Anglican. 1732. N°. 422. 8. p. 44.
[*y*] *Zod. Gall. Ann. I. Febr. Obſ. I. p.* 44.
[*z*] Gœlicke *Diſſ. de hern. femoral.* §. 16.
[*a*] Mem. de l'Acad. des Scienc. 1716. p. 179.
[*b*] *Vogel* l. c. p. 92.

difficile erit *Diagnoſin* herniæ ventralis tradere. Quum vero in alio quocumque abdominis loco, quam in annulis (§. 10.) eam fieri diximus; (§. 12.), hinc, ſi in quacumque regione ventris cutis indecore prominet, à chirurgis ad ventralem herniam cæteris paribus rite concludi, patet. Etenim ſi, ubicumque illud ſit, tumor ille exiſtat inæqualis, mollis, parvus, rugoſus, ſine magnis doloribus, abſentibus vomitibus, alvo libera, & præcipue ſi foveas poſt impreſſionem digitorum relinquit, atque abſque murmure & ſonitu reprimendus, omentum foras prolapſum fuiſſe indicium eſt. Inteſtinum quoddam vero ſi egreſſum, tumor deprehenditur æqualis, elaſticus, tenſus, rotundus, poſt impreſſionem digiti ſeſe reſtituens, modo creſcit, modo imminuitur, prouti diſtentum magis minuſve inteſtinum eſt, repellendus facile digitis cum murmure quodam, quod præ aliis inteſtini prolapſi ſignum eſt, & apertius fit, ſi tuſſiendo, vel per ſuccuſſus inſpirando tumor augetur & ſentitur. A ventriculo ſi elevatur cutis (§. 11.), ventralis hæc hernia tunc duos tranſverſos digitos ſub cartilagine mucronata ſeſe manifeſtat, atque omnes hæ herniæ poſt cibum ſtatim increſcunt, in jejunio minuuntur, & in ſupino ægri decubitu ſenſim evaneſcunt, quod ſignum eſt illarum characteriſticum [*c*]. Compoſitam adeſſe herniam ventralem per ſigna modo nominata adunata certiores evadimus, ita quidem, ut ubi repoſitis cum murmure inteſtinis aliquid in ſacco remaneat, omentum illud eſſe concludamus. Atque ſi tumor prodigioſus nimis atque enormis appareat, (§. 13.) à magnitudine procidentiam aliarum ſimul partium ventriculi, hepatis, meſenterii &c. inferimus. Hæc, quæ ita protuberant, ſi digitis prementibus cedunt & reſiliunt, liberam, mobilem eſſe herniam ventralem ſignificant. Si vero omento, vel inteſtinis nimium diſtentis, impactis, vaſa ſanguinea comprimantur, tumor tunc cedere recuſet, rubicundus, nitidus evadat, dolor vehemens, vomitus chyloſus, bilioſus, conſtipatio alvi, ſingultus accedat, inflammatam, incarceratam herniam indicant. Quæ dicta ſymptomata ſi augeſcunt, inflammatione latius ſerpente, tumor lividus, mollis evadit, pulſus depreſſus, parvus, frequens, lipothymiæ, inſomnia, ſudores frigidi, evaneſcentia dolorum gangrænam, ſphacelum & rem ad triarios perveniſſe, proh dolor! ſatis manifeſtant. At, ſi magno hernioſi bono inflammatio prægreſſa in ſuppurationem quandoque abit, inteſtina roduntur, aperiuntur, peritonæum, aponeuroſes muſculorum, cutis quoque à pure effuſo exeſa, ſuppurata itidem rumpuntur, ſicque interdum herniam incarceratam ſuppuratam [*d*] formant. Si in ipſa inteſtini incarceratione alvus libera manet à diverticulo quodam in inteſtino (§. 10.) herniam oriri probabile eſt. Si à relaxatione peritonæi, utplu-

 rimum

[*c*] *Gunz* l. c. p. 92.
[*d*] Vid. Heiſteri *Diſſ. de hernia incarcerata ſuppurata ſæpe non lethali. Helmſtad.* 1738.

rimum tumores non adeo inſigne volumen exhibent, quam ſi à rupto eodem contingunt, qui etiam non ita facile incarcerantur. Rara illa hernia ventralis inter ſeparatas per vulnus recti fibras oriens (§. 13.), difficilius cognoſcitur, à ſymptomatibus tamen reliquis herniæ abſque apparente tumore indicatur. Atque ſigna herniæ ventralis pathognomonica, quæ illam à quibuſvis aliis diſtinguunt, ſunt tumor major minorve, latior in baſi quam in ſuperficie, ſubito apparens, moxque paulum preſſus ſic recedens, ut evaneſcat, ſpirando tamen mirum in modum augetur, quia nullo annulo coërcetur (§. 10.): ubi inteſtinum ſubeſt, vehementes adſunt abdominis dolores in hac hernia, qui etiam ſtomachum afficiunt, ut aſſumta, imo bilis evomatur [*e*].

## §. XV.

Cum partes abdomen cingentes, peritonæum præcipue, elatere ſuo naturali privari, adeoque laxari vel plane rumpi poſſit (§. 5.), atque hoc facto, viſcera laxatis quoque vinculis (§. 9.) in loca peritonæi dilatata vel rupta irruant (§. 8.), ſicque tumorem faciant; in cauſas herniarum, uti aliarum, ita ventralium inquirenti, patebit; *cauſam herniæ ventralis proximam* eſſe vel relaxationem, vel rupturam peritonæi, quod ultimum quidem in hac ſpecie frequenter contingit, licet in aliis rarius ſit [*f*]. Relaxationem quidem peritonæi inducere poſſunt omnia ea, quæ membranam hancce nimis diſtendendo, premendo, inteſtina contra eam impellendo, ab elaſticitate & tono ſuo naturali eam dejiciunt, quæque proinde *Cauſa remota* hujus affectus exiſtunt, qualis eſt interius fortis viſcerum, inteſtinorum niſus, incurſus in ſuperextenſum peritonæum, præcipue dum à reciproco motu diaphragmatis deorſum antrorſum pelluntur (§. 2.), ſicque in anguſtius ſpatium rediguntur, quo facto, reſiſtentia peritonæi ſuperatur, vel ubi jam debilitate naturali, vel diſpoſitione ad hernias (§. 5.) laborat, eo facilius dilatatur. Pertinet huc quoque colluvies humorum ſeroſorum in abdomine ſtagnans, viſcera à tono ſuo dejiciens, lubricans, vincula quoque eorum relaxans, atque ob eamdem rationem peritonæum ſucceſſive dilatans. Debilitas quoque nimia fibrarum naturalis eſt diſpoſitio ad hernias, ductus etiam cæci peritonæi (§. 5.) & deficientes fibræ muſculorum abdominalium (§. 4. n. 3.) huic effectui favent. Huc & temperiem peculiarem, ſanguineum & phlegmaticum temperamentum præ aliis, obeſitatem nimiam, & hæreditariam quandoque labem, referre [*g*] licet. Quæ diſpoſitio interna per varias

*Cauſa*

[*e*] Vid. *Platner* l. c. §. 821. *Heiſter* l c. p. 799. *le Dran* l. c. p. 143. *Dionis* l. c. p. 119.

[*f*] *Dionis* l. c. p. 119. ventris herniam ſemper à ruptura peritonæi fieri aſſerit, in quo tamen fallitur.

[*g*] Vid. Hoffmann. *Med. Conſultat. Tom. II.* p. 53. E. N. C. *Cent. V. obſ.* 92. Fa-

*Cauſas* externas utplurimum & *occaſionales* excitatur, quæ cum multifariæ ſint, ad cenſum rerum nonnaturalium commode reduci queunt. Confert igitur huc (α) Aër, atque ratione illius habitatio in locis, regionibus paludoſis, nebuloſis. (β) Diæta pinguis, oleoſa, flatulenta, hinc Helvetis endemius, & Monachis familiaris eſt hic morbis, cibus & potus nimia in copia ingurgitatus, fermenteſcens, cereviſia frigida avide hauſta. (γ) Ratione applicatorum externorum ictus, lapſus, caſus, calcitratio, equitatio, ſuſpenſio à brachio, niſus ad attingendum aliquid, præcipue poſt paſtum, vel in ſtatu graviditatis [*h*], motus varii fortiores in ſaliendo, ſaltando, currendo, onera geſtando, præprimis ſi ſuſtinendo, vel elevando pondus ſpiritus retinetur, ob erectum quoque corporis ſitum cauſæ ſunt cur in homine frequentiores ſint herniæ, quam in brutis. (δ) Omnes nixus reſpiratorii fortiores, ejulatio, vociferatio, ſternutatio, riſus, tuſſis ferina, ſuctio infantum, tubarum inflatio, niſus in egerendis fæcibus, ſuum ſymbolum huc conferunt; atque etiam hic de fæcibus nimis duris, flatibus inteſtina diſtendentibus, geſtatione fætus in utero, partu difficili, præpoſtera ligatione funiculi umbilicalis, venere immodice exercita, urina diu retenta, hydrope [*i*], lumbricis convolutis [*k*], tanquam cauſis occaſionalibus, mentio injicienda. (ε) Animi affectus interdum, veluti terror ſubitaneus [*l*], imaginatio gravidæ fortis [*m*], hunc affectum concitaſſe, legimus.

Hæ cauſæ omnes, vario modo viſcera abdominalia, reciproco motu à diaphragmate, & muſculis abdominalibus, preſſa (§. 2.), verſus peritonæum pellunt, illius elaterem ſuperant, illud laxant, dilatant; ita quidem, ut ſi lente & ſucceſſive agunt dictæ cauſæ, laxationem peritonæi, ſi vero fortius & ſubito impetunt, ruptionem ejuſdem inducant. Simul & ſemel verò etiam rumpuntur ii, qui læſionem violentam, a vulneribus in cavitatem abdominis penetrantibus, incurrunt, quibus ictus, vel calcitrationes fortiores infliguntur; his etiam annumerandi, quibus plaga, vel vulnere olim peritonæum læſum fuit; cum enim partes membranaceæ male vel raro conſolidentur, accedente cauſa quadam alia occaſionali, labia denuo hiant, parteſque elabi ſinunt. Mirum hinc non eſt, poſt vulnera à gladio, poſt paraceteſis adminiſtrationem, ſectionem in partu cæſareo

Fabricii *Sciagraph. Hiſt. Phyſ. Med. Butisbac.* p. 60. qui patrem & patruum eodem ætatis articulo hoc morbo correptos fuiſſe memorat.

[*h*] Illud eveniſſe in fæmina quadam, quæ, dum gravida eſſet, aliquid attingere volebat, atque ſic triplicem herniam ventralem in locis diverſis contraxit, ex communicatione ſupra laudati *Dn. le Riche* mihi notum eſt.

[*i*] *Le Dran* l. c. p. 143.

[*k*] E. N. C. *Dec. I. A.* 3. p. 194.

[*l*] Ruyſch. *Obſervat. Anatom. chirurg.* p. 125.

[*m*] Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1716. p. 178.

ſareo [*n*], herniæ operationem, vel incarceratæ ſuppurationem [*o*], novas hernias, & præcipue ventrales fere ſemper preſſo pede ſubſecutas fuiſſe. Recenſitæ modo cauſæ, tanto cum impetu, tantaque cum pertinacia quandoque agunt, ut elaterem ambientium partium non ſolum penitus deſtruant (§. 2.), ſed, eadem vi agere perſeverantes, in dilatatum peritonæum inteſtina fortiter impingant, quod cum accidit, ob compreſſionem vaſorum in annulo, partibuſque vicinis, circulus ſanguinis in iiſdem intercipitur, hinc rubent, tument, inflammantur, partes prolapſæ conſtringuntur, atque per locum, ubi egreſſæ ſunt, remeare nequeunt, ſicque hernia incarcerata oritur, quæ quidem cauſam proximam agnoſcit conſtrictionem partium prolapſarum, ab annuli conſtrictione, vel quandoque etiam à ſacci hernioſi (§. 8.) conſtrictione, provenientem [*p*]. Annulum enim, cum tendineus & elaſticus ſit, rarius quidem à partibus mollibus inflammari poſſe videtur, ſaccus potius peritonæi anguſtari, atque ſic incarcerationi anſam præbere poteſt. Id quod omnium facillime tunc evenire poteſt, ſi poſt factam ſemel herniæ reductionem, ſacci parietes concreſcunt ex parte, relicto ſolum orificio quodam mediocri, cui accedente cauſa occaſionali ſucceſſive inteſtina ſeſe inſinuare poſſunt, atque deſcendere, quando vero moles partis prolapſæ ſacci anguſtiæ non reſpondet, aut ejus ſpaſmodica conſtrictio, vel inflammatio accedit, quæ ſæpius à fæcibus flatibuſve retentis, à refrigeratione ſubitanea, ab exercitio, & motu fortiori accidit, partes tunc in ſacco contentas comprimi, conſtringi, incarcerari nceeſſe eſt. Quæ ſic per moram temporis in ſacco hærebant partes, à ſucco ex poris ipſarum exudante, cum ſacco concreſcunt, quod etiam prægreſſa inflammatione earumdem accidere poteſt, quæ herniæ immobilis & adhærentis primaria tunc cauſa evadit.

Ex memoratarum cauſarum claſſe præprimis herniæ ventrali producendæ obſtetricantur tuſſis, ſternutatio fortior, ejulatio, ſuctio nimia mammarum, diæta pinguis, fætus geſtatio, niſus in partu, operatio cæſarea, paracenteſis, herniæ, & in genere quæcumque vulnera peritonæi unitatem ſolventia.

Atque ex hac ratione *ſubjecta*, quæ herniis ventralibus expoſita ſunt, infantes exiſtunt, quibus magis familiaris hic morbus, quam adultis, & fœminis etiam magis frequenter evenit, quam viris, temperamenta ſanguinea, & phlegmatica propiorem diſpoſitionem gerunt, & aſcitici, atque vulnera peritonæi perpeſſi, jus quaſi acquiſitum in hernias haſce obtinent.

§. XVI.

[*n*] Mem. de l'Acad de Chirurg. *Tom. I.* p. 642. Saviard *Obſ. Chirurgical.* 59.
[*o*] Mem. de l'Acad. de Chirurg. p. 341. Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1723. *Hiſt.* p. 45.
[*p*] Confirmant hæcce le Dran *Obſerv. Chir. T. II.* p. 16. Garengeot *Operat. Tom. I. Obſ.* 16. *Dionis* l. c. p. 324. *Gunz* l. c. p. 31.

## §. XVI.

Quæ de cauſis (§. 15.) atque ſignis (§. 14.) herniæ ventralis diximus, ad *prognoſin* ejuſdem prona nos ducunt via.

1. Herniæ ventrales curatu difficiliores ſunt reliquis, quod *Hippocrates* jam aſſeruit (§. 10.).

2. Herniæ ventrales difficulter radicaliter curantur, præcipue ſi poſt ruptionem, vel poſt vulnus peritonæi contingunt (§. 15.).

3. Recentes herniæ facilius curantur, quam inveteratæ.

4. In infantibus, & junioribus curationi plenariæ locus eſt, in adultis, ſenibus non item.

5. Eæ, quæ cum tumore, dolore, inflammatione conjunctæ ſunt, (§. 14.) incarceratæ ſunt, & periculoſæ ſemper.

6. Quæ immobiles ſunt, & adhærent, difficulter curantur, & periculi plenæ ſunt.

7. Inteſtinales herniæ periculoſiores ſunt omentalibus.

8. Enteroepiplogaſtrocele non adeo periculoſa eſt, quam ſi ſola inteſtina egreſſa, quia omentum defendit inteſtina prolapſa.

9. In gravidis ventrales non adeo metuendæ, imo ſæpe evaneſcunt.

10. Nimis prodigioſæ ventrales (§. 13. n. 3.) à muneribus conſuetis impediunt, imo negotio generationis obſtant.

11. Concionatoribus, uti omnes herniæ, ita hæ quoque fatales ſunt.

12. Herniæ incarceratæ, obſtructiones alvi, dolores, inflammationes, tenſiones abdominis, vomitus, ileum, volvulum, lipothymias, ſudores frigidos, mortem generant.

13. Si poſt reductionem dolores, vomitus non remittunt, putredinis ſignum eſt.

14. Ventrales, quæ in interſtitiis rectorum ab umbilico ad pubem ſeſe manifeſtant (§. 12.), imo omnes prodigioſæ, incurabiles cenſentur.

## §. XVII.

Hæc ſunt, quæ hernioſos minantur pericula (§. 16.), quæ quidem evitare docet ars, congruis adhibitis præſidiis, legitimaque methodo medendi adminiſtrata. Præſidia hæc morbo directe opponenda, cumque in hernia ventrali, viſcera abdominalia, in quocumque abdominis loco prolapſa, tumorem faciant (§. 10.); *Methodus* herniæ ventralis *curatoria*, duas expoſcit indicationes:

Quarum Ima eſt, ut partes prolapſæ reponantur;

IIda, ut repoſitæ in ſitu ſuo contineantur.

At quum ea, quæ prociderunt viſcera, alia libera atque mobilia ſint, adeoque abſque opera ſtatim reduci queant, alia vero incarcerata, vel plane

adhæreant (§. 13. n. 3.) & immobilia ſint, ſicque reductionem, vel difficilem, vel impoſſibilem reddant, duplici modo *prima indicatio* abſolvitur. Si enim libera ſunt viſcera, per Taxin, id eſt, repoſitionem ſolam, ſi incarcerata, per herniotomiam, id eſt, repoſitionem prævia facta operatione, hunc ſcopum attingere ſolemus. Partes itaque reponendæ, ſi recenter herniam fecerunt, nec majus volumen, quam quod orificio partis relaxatæ, vel ruptæ reſpondet, occupant (§. 15.) ſtatim tunc & ſine mora ad earumdem repoſitionem accingere nos poſſumus. *Taxin* itaque inſtituturus chirurgus reſupinato ægro, coxis & ſcapulis elevatis, & dorſo excavato abdomen introrſum vergere faciat, ut ſic cutis ſupra tumorem relaxetur, quo facto ambabus tunc manibus tumori applicitis per preſſionem lenem idem intropellendus, cogendus eſt, ſicque hernia reponitur, atque hoc quidem in herniis ventralibus ſæpius propria manus perficere poteſt. Sique inteſtinum prolapſum eſt, cum murmure leni illud contingit (§. 14.), & ſi poſtmodum aliqualis adhuc tumor remanet, omentum adhuc hærere indicatur, cujus quidem repoſitio itidem tentanda, quamvis id ſæpius difficilius exſequi liceat. In ea ventralis herniæ ſpecie, quæ à ventriculo fit (§. 11.), repoſitio eodem plane modo peragenda. Qui poſt retrogreſſas partes relinquitur ſaccus herniæ (§. 8.), itidem repellendus, at cum membrana peritonæi, ab elatere ſuo deturbata, raro illum reſumat (§. 15.), nullus fere reponendi ſaccum modus datur, id tamen, ſi quandoque fortuna accidit, parietes tunc ſacci coaleſcunt (§. 15.), duriores fiunt, ſicque repagulum novi prolapſus conſtituunt tutiſſimum [q].

## §. XVIII.

At, ſi quando evenit, ut partes tumorem formantes ita magnitudine augeantur, à flatibus vel fæcibus ita diſtendantur (§. 15.) ut repoſitio ipſarum difficilis, imo ob inflammationem & incarcerationem impoſſibilis fieret (§. 17.), tunc, ut ſcopo noſtro taxi nempe potiamur, præparationem præviam, qua mediante partes tenſæ relaxentur, impactæ emolliantur, inflammatio aliaque pericula diſcutiantur, inſtituere convenit. Si à flatibus vel fæcibus inteſtina diſtenta in nimium volumen protuberant, carminativa, antiſpaſmodica, emollientia, laxantia, in forma tam clyſterum, quam cataplaſmatum, & fomentationum conveniunt. Locum hic habent ſpec. p. Dct. emoll. & carminativ. in ▽ & lacte coctæ, vel ☉ lini ſolum, ſub forma clyſmatis injectum, quibus non juvantibus clyſteres alii paululum fortiores & magis irritantes ſubjungi, & omnibus irritis fumus herbæ nicotianæ, fiſtula quadam peculiari inflatus, tanquam egregium aperiens magno ſæpe cum ſucceſſu repoſitioni herniæ favit [r]. Sunt

[q] Garengeot *Operat. Tom. I.* p. 318.
[r] Heiſter *Inſt. Chirurg.* p. 789.

Sunt etiam quidam qui ☉ fulminans cum arcano duplicato interne ſcopo diſcutiendi ſuadent [*s*]. Quibus internis addi etiam poſſunt per os aſſumta ꝏſa, demulcentia, ₒ°ₒ Amygd. dulc. manna, ſyrup: violar dialth. cum anim. rhei & liq. anodyn. mineral. Hoffm. mixta. Sed adjungenda externa, fomentationes cum adipe taxino [*t*] embrocationes, inunctiones ventris cum oleis carminativis & diſcutientibus, cataplaſmata emollientia, cum mica panis ſimilaginei, ₒ°ₒ, lacte, & croco, pulpa Hbb. emollient. cum ungt. alth. ſ. q. mixta, vel illud domeſticum ex lini faſciculo convoluto, atque vel in lixivio, vel lacte, vel ₒ°ₒ lini cocto. Quibus omnibus fibræ, tam peritonæi, quam inteſtinorum, nimis tenſæ relaxantur, ſicque reductio promovetur, quæ quidem interea temporis ſæpe tentanda eſt, &, ſi partes emollitæ fuerint, tandem ex voto ſuccedit. Interdum vero adeo fortiter impacta hærent viſcera, inteſtina præcipue, ut efficaciſſimis adhibitis licet emollientibus & diſcutientibus, tumor tamen cedere recuſet, imo omnia ſigna inflammationis (§. 14.) præſto ſint, continuatis tunc prædictis relaxantibus, in uſum quoque vocatis balneis emollientibus e rapis, furfuribus, lacte & aqua, oleo, palmarium quod in his anguſtiis convenit præſidium in V. S. poſitum eſt, quod ocyus citius adhibendum, quæ quando in brachio præcipue aliquoties inſtituitur, partibus nimium tenſis relaxandis, adeoque inflammationi diſcutiendæ optime famulatur, ſi præprimis inflicto vulnere lato magna quantitas celeriter evacuatur, atque hæc evacuatio ad animi uſque deliquium continuatur, in quo quidem ſtatu imminuta reſiſtentia vaſorum & impetu ſanguinis ſedato, reductio tentanda. Cum enim per V. S. partes inflammatæ relaxentur, tunc quidem temporis ſæpiſſime inteſtina, quæ antea adhibitis omnibus licet auxiliis reduci non potuerunt, momento citius reponuntur. Ubi relaxatio inteſtinorum ſumma reductionem impedit, conſilium multorum non ſpernendum eſt, omiſſis calidis emollientibus, quæ magis relaxant, frigida, adſtringentia applicanda [*u*], imo etiam interne purgantia fortiora propinanda eſſe, quæ inteſtina ad ſtimulum, & contractionem majorem incitent.

## §. XIX.

His in tempore adhibitis (§. 18.), ſæpe ab orco revocatur æger, quod ſi vero ita fortiter impacta ſint inteſtina, ſi incarceratio, adhæſio, vel immobilitas adeo conſtans, ut nihil non, quod pro reductione hactenus tentatum, irritum fuerit, ſicque inflammationis augmentum & gangræna metuenda (§. 16.); tunc temporis nihil aliud conſilii ſupereſt, quam ut ad alterum ſcopum, quem in reponenda hernia (§. 17.) præfixum habemus,



[*s*] Gœlicke *Diſſ. cit.* §. 30.
[*t*] *Gunz* l. c. p. 74.
[ ] Eſſais de Médecine d'Edinbourg *Tom. V.* p. 357. *Gunz* p. 36. *Vogel* p. 101.

bemus, properemus, qui *mediante* prævia *operatione* peragitur. Quàm ut rite inſtituat herniotomus ad ea quæ ante operationem, in ipſa, & poſt eamdem ipſi agenda ſunt, probe attendat. Antequam ventralis herniæ operationem ſubeat æger, corpus ipſius præparandum per laxantia Rhabarbarino Mannata, diætam convenientem, clyſteres, quo impuritates e primis viis & corpore eliminentur, nec inſuper habendæ V. S. quibus ſpaſmi & tenſiones relaxantur, plethora imminuitur, ſanguini ſic æqualis circulus procuratur. His ita à parte ægri perfectis, tempus commodum operationi deſtinandum locuſque lucidus lecto in medio cameræ poſito ſeligendus, huic lecto ita imponatur æger, ut reſupinus collocatus, pectore & coxis demiſſioribus, abdomine vero elatiori conſtitutus ſit, ſi nempe in linea alba tumor exiſtit (§. 10.); ſi vero in latere eſt hernia, in oppoſitum latus ad marginem lecti collocandus eſt æger, miniſtri ab operatore ita diſtribuendi, ut unus, ad caput ægri locatus, illud una cum pectore ſuſtineat, alter inter crura ad ea firmanda locetur, tertius miniſter in latere herniæ oppoſito ad neceſſaria operatori inſtrumenta porrigenda ſitus ſit. Apparatus, quo ad hanc operationem perficiendam inſtructus ſit herniotomus, ſunt quæ ſequuntur inſtrumenta, ſcalpellum rectum, *biſtouri droit*, à Gallis vocatum, aut cultellus inciſorius, forfex cum nodo, ſpecillum ſulcatum, & aliud latum, ſcalpellum quoddam cum nodo, *biſtouri à bouton* à *Dn. Petit* inventum, acus duæ chalybeæ cum filo ſextuplicato, pannus vel ſericum in modum bacilli convolutum, Gallis *chevilles* dictum, plumaceola, ſplenia, vincturæ, mantile cum ſcapulari, *la ſerviette avec le ſcapulaire*, balſ. Arcæi, embrocatio ex ₒ°ₒ roſar. & chamom. 🜄l. VRiſſ *.

## §. XX.

Quæ cuncta, ſi ad operationem præparata ſint (§. 19.), Herniotomus operi ſeſe accingens locum abdominis, in quo hernia ventralis ſeſe manifeſtat (§. 12.) examinans, pro ejus diverſitate diverſo modo inciſionem facere debet, ita quidem ut tractum fibrarum ſemper ſequatur, ſique tumor in linea alba ſupra vel infra umbilicum in interſtitiis muſculorum rectorum, vel in ipſis muſculis rectis apparet, plaga recta inciſio inſtituenda, ſi vero lateraliter in regione epigaſtrica, vel hypogaſtrica, in obliquorum, vel tranſverſi fibris obſervatur, obliqua ſectio fiat. Operator igitur pollice & indice manus ſiniſtræ, & miniſter digitis manus ſiniſtræ cutim elevant, intentamque ſic cutem ſcalpello recto una cum panniculo adipoſo caute incidit, fibræ muſculares eodem quoque modo per inciſionem caute diſſecentur & præcipue, ſi nullus adeſt ſaccus (§. 9. n. 5.), ſuſpenſa manu inciſio peragenda, ne viſcera læſionem incurrant. Si vero ſacco involuta ſunt, quando uſque ad peritonæum, ſaccum herniæ formans (§. 8.), perventum eſt, introducto ſuper ſaccum hernioſum ſpecillo ſulcato, quod huc illucve agita-

* Spiritus vini rectificatiſſimus.

tur,

tur, inciſio ſcalpello cum apice, vel ſcalpello elaſtico, *biſtouri herniaire de M. le Dran* dilatanda, ut ſic tota hernia appareat, quæ quidem, ſi ingentis molis eſt (§. 13. n. 3.), tranſverſim tunc eodem modo cutis cum muſculis inciſione dilatanda eſt, ita ut crucis formam referat, adhibita undique hac cautela, ut dilatatio nuſquam plus, quam opus fuerit, fiat, quia membranæ aponeuroticæ difficulter conſolidantur, quæ vero hic evenit hæmorrhagia, parva admodum eſt, & nodo [illegible] li vel VRiſſ. atque ſi forte vaſa epigaſtrica læduntur, ligatura facile compeſcitur, cellulæ poſtea & laminæ adipoſæ ſubjacentes, quæ ſaccum externum faciunt (§. 8.), vel unguibus diſcerpendæ, vel inſtrumento, *dechauſſoir* dicto, dedolandæ, ut ſic ſaccus, qui in hernia noſtrate utplurimum baſin latam habet (§. 14.), undique denudetur. Denudato itaque ſacco ipſo herniario, prudentis Chirurgi eſt, in quonam ſtatu ſaccus & contenta ipſius ſint ante inquirere, quam ulterius pergat. Si inteſtina & omentum preſſioni cedunt, libera eſſe indicium eſt (§. 13. n. 4.), & ſtatim tunc eorum repoſitio, inteſtinorum prius, dein omenti perficienda. At ſaccus herniæ, licet pars membranacea peritonæi ſit (§. 8.), hincque elaſtica (§. 5.), reſilire tamen amplius non poteſt (§. 17.), verum, cum elaterem ſuum perdiderit, ut reponatur neceſſe eſt. Atque ſecundum *Petiti* quidem methodum [x] in omni hernia reponendus eſſet, ut novo hoc modo prolapſui obex ponatur, quod tamen conſilium tuto ſemper imitandum non eſt, atque eo ſolum in caſu, ubi partes incluſæ liberæ, mobiles, integræ ſunt, locum habet. Poteſt vero incarceratio herniæ adeo jam invaluiſſe, ut partes in tumore impactæ, omentum nempe & inteſtina, inflammatæ & gangræna affectæ videantur, vel ab exudante liquido cum ſacco agglutinatæ ſint. Quod dum per ſigna (§. 14.) conjicimus, ad ipſam aperturam ſacci properandum, arrepto nempe apicibus digitorum pollicis & indicis, plaga parva infertur, introducendo poſtea digitum indicem, & ſuper eo ſcalpellum cum nodulo, uno tractu ſaccus dilatetur, qua methodo adhibita, Gallis familiari, ſcalpello illo elaſtico carere commode poſſumus. Tunc vero partes incluſæ probe examinandæ, ſique omentum in conſpectum primum prodit, illud interdum corruptum, & putrefactum ibi deprehenditur, quod ordinarie in parte, ſupra corruptam ſana, filo ligatur, & ſub ligatura reſecatur [y]. Inteſtina, ſi flatibus aut fæcibus diſtenta (§. 15.), major tunc eorum portio eximenda & ſtercorales materiæ dividendæ, poſteaque ſi ſana ſunt, ea qua exierunt ſerie reponenda. Si corrupta, vel gangræna affecta deprehenduntur inteſtina, res quidem ægri in vado non eſt, verum non ideo ſtatim conclamata habenda, partes potius inteſtinorum

Cc 3 gan-

[ ] Quam *Garengeot Operat. Tom.* I. p. 368. proponit, & ſimul caſum de ſutore hernia ventrali laborante adducit, qui facta operatione a Dn. *Petit* & repoſito ſacco integro, vix quinque diebus elapſis, cum ſanitate in gratiam rediit.

[y] *Gunz* l. c. p. 55. omentum non ligandum, ſed ſolum abſcindendum ſuadet. Epiplocelen ventralem ſuppuratam, vigeſimo poſt operationem die, ſubito lethalem annotavit *le Dran Obſerv. T.* II. *Obſ.* 63.

gangræna affectæ forfice abſcindendæ, auferendæ, & quouſque gangræna ſerpit extirpandæ, quo facto orificia inteſtinorum ad latus vulneris aſſuenda, quæ labiis vulneris agglutinata anum artificialem ſic relinquunt [z]; vel, ut auſus nobiles *Præſidis Academ. Reg. Chirurgiæ Gallorum* DN. *de la Peyronnie*, cujus nomen jam elogium eſt, imitemur [a], qui inteſtini reſecti extrema filo meſenterio injecto ad ſe invicem adduxit, ſicque canalem hunc, oris iterum unitis, integravit, herniamque ablata magna licet portione inteſtini, novo ſed felici tentamine abſque fiſtula curavit [b]. Cujus intenti poſſibilitatem probarunt etiam inteſtina in hernia præpoſtere loco bubonis vel abſceſſus aperta [c], vel incarcerata ſuppurata, quæ ſæpe rurſus ita coaluerunt, ut nullum ulcus in inteſtinis remanſerit [d].

## §. XXI.

Si ſacci nimia anguſtia incarcerationi anſam præbuit (§. 15.), vel partes, ſucco ex interiori extillante, coaleſcunt, ſacco adhærent (§. 9. n. 3.), utrumque repoſitioni obſtat. Hæc cum operationem morentur, ut ſacci anguſtia per inciſionem cum ſcalpello dilatetur & ut adhæſio dorſo ſcalpelli ſeparetur, neceſſe eſt, id quod in parva portione adhærente facile fit; ſi vero magna pars omenti vel inteſtinorum adhæreſcit, ſeparatio hæc nullo alio modo fieri poteſt, quam ſi, abdomen magna plaga incidendo, partes undique ubi accretæ fuerant, nova & peculiari methodo, quam pauci calcarunt, caute ſeparentur [e]. Repoſitis ſic omento & inteſtinis, ſive integris, ſive abſciſſis & unitis (§. 20.), ſive etiam ſeparatis, latera tunc aperti ſacci, ablatis undique per ſeptica excreſcentiis, ad annulum agglutinantur, ſaccus occluditur. Vel quibus *Senffii* & *Vogelii* modus placet [f], ſaccus injecto vinculo conſtringitur, & ſub ligatura abſcinditur, qua quidem ſingulari encheireſi hi viri herniæ curationem radicalem perfici aſſeverant, dum latera conſtricti ſacci ſeſe uniant, conſolidentur, indurentur, & novo deſcenſui obicem ponant, cicatriſatis interea etiam muſculis atque integumentis. Pari cum his paſſu ambulant, eæ herniæ, in quibus ſaccus deficit (§. 13. n. 5.), uti in rupto, vel vulnere diſciſſo peritonæo id contingit (§. 15.): ubi quidem

[z] *Mem. de l'Acad. des Scienc.* 1701. *p.* 373.

[a] *Mem. de l'Acad. des Scienc. A.* 1723. *p* 43. *Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom.* I. *p.* 341. *Eſſais d'Edinb. Tom. V. p.* 547. *Montabourg* Quæſt. Med. Pariſ. 1742. utrum in herniis inteſtinalibus, etiam cognita inteſtini prolapſi læſione, operatio celebranda? §. V.

[b] *Mem. de l'Acad. des Scienc.* A. 1723. p. 43. ubi dimidio pollice inteſtini abſciſſo, inteſtini ora tamen univit. *Mery Mem. de l'Acad. des Scienc.* 1701. *p.* 373. & *Ramdohrius Commerc. Litterar.* 1731. *Spec.* 26. in deſperata hac cauſa auxilium quoque tentarunt.

[c] E. N. C. *Dec.* I. *A.* 9. & 10. p. 360. *Gunz* l. c. p. 56.

[d] Vid *Heiſt. Diſſ. allegata.*

[e] *Deckers Obſerv. Med.* p. 453.

[f] *Vogel* l. c. p. 184.

dem eodem modo, ac ſi ſaccus apertus fuerit, procedendum, & parietes rupti peritonæi ad annulum itidem agglutinandi ſunt. Rara illa hernia ventralis, inter ipſas recti fibras ſeſe manifeſtans (§. 12.), eodem fere modo curatur, facta ſuper tumorem inciſione per longitudinem uſque ad vaginam rectorum, quæ finditur, atque fibræ muſculares tunc dividuntur, cavendo, ne inſcriptiones tendinoſæ (§. 4. n. 4.) diſſecentur; ſicque denudata hernia, quæ raro habet ſaccum, reponitur [g].

## § XXII.

Quam de operatione herniæ incarceratæ (§. 20.) & adhærentis (§. 21.) tradidimus methodum, nullo exemplo dignius illuſtrari poteſt, ac operatione quadam à ſæpe laudato DN. *le Maire* peracta, quæ ob facti ſingularitatem, & operationis præſtantiam locum hic meretur. Abhinc duodecim circiter annis fæmina quædam in quarto graviditatis menſe conſtituta jam per quatuor antea annos duos tumores in regione epigaſtrica ſiniſtra geſtabat, quorum unus longitudinem criſtæ oſſis ilium occupabat, quem vehementius ſaltando contraxerat, teſte acuto doloris ſenſu tunc percepto, quaſi ex rupta ventris parte, huic ſuccedebat tumor alius magnitudinem nucis dimidiæ æquans, qui nunquam diſparuit, & ſenſim abſque ſenſu adauctus fuit, ita ut omnibus licet ad reductionem adhibitis remediis tamen non ceſſerit. Octo menſibus præterlapſis, novus tumor ſeſe manifeſtavit ſuper os pubis ad latus pyramidalis muſculi, ſaltando itidem provocatus, atque hic admodum diſtinctus appendicem, caudæ in modum, formabat, quæ ad labia pudendorum uſque devolvebatur, & tertius hic tumor ob volumen ſuum ægræ maximum incommodum faciebat. Quicumque ægram hanc viſitarunt, de morbo ejuſque nomine pronunciando dubii hærebant, donec uno momento, poſt vomitiones fortes, tumor prior multum adauctus, inteſtinum in rupto peritonæo incarceratum atque ſymptomata ſingultus, vomitus, conſtipationes alvinæ, de hernia incarcerata nullam amplius dubitandi rationem reliquerint. Poſt triginta ſex ab incarceratione horas in conſilium vocatus DN. *le Maire* ſtupuit videndo tres tumores ſibi admodum vicinos, & ruptionem peritonæi pro cauſa exitus accuſans, abſque operatione nullam ſalutem eſſe futuram pronunciavit, quæ tamen per viginti quatuor adhuc horas differebatur, balneis interim & V. Snibus ab eo auxilii loco propoſitis, quæ dum adminiſtrarentur, præſentes interim chirurgi diverſis temporibus repoſitionem, irrito tamen ſemper cum conatu, tentarunt. Dum vero inflammatio augeretur, operationem amplius differre iniquum cenſuit noſter, & cum tumor ſupra pubem ad pyramidalem carnem omnium maximus exiſteret, cujuſnam ſectionem primus ingrederetur anceps hæſit, conſilii tamen capiendi promtus illum aggreſſus eſt, qui primus ſeſe declaravit. Ut operationem inchoaret, integumenta quantum poſſibile fuit, ad primam inciſionem facien-

[g] *Le Dran Operat.* p. 146.

faciendam, elevavit, dorſum ſcalpelli dein abdomini obvertendo, plagam lateralem ad latus ſecundi tumoris inflixit, ut eo melius ſecarentur tegumenta, denudato epiploo eodemque ſeparato inteſtinum immutatum & cum epiploo coalitum invenit, ut unguium ope hæc adhæſio ſeparanda ipſi fuerit, atque omentum ipſum cum aponeuroſibus muſculorum abdominalium ita arcte adhæſit, ut vix hiatum concesserit, per quem ſcalpello elaſtico pro dilatatione facienda introducendo locus fuerit, inciſio inſuper ob gravidum ægræ ſtatum magna nimis fieri non potuit. Inteſtina poſtea fomentatione aromatica fota, & ab epiploo ſeparata, feliciter reducta fuere, quod ut facilius præſtaretur ægram ad latus dextrum ob uteri ſitum inclinari juſſit. Quod cum perfecerit ad luſtrandum ſecundum tumorem pedem promovit, & plaga tranſverſa paululum prolongata, an inibi inteſtinum etiam incarceratum eſſet, inquiſivit; ſed nudato tumore nil niſi epiploon invenit, quod facile ſequebatur, & quo magis illud attraxit, tumor ſemper imminuebatur, pars epiploi prolapſa uncias ad minimum tres æquabat, tertia quoque hernia, quæ uſque ad pudenda protendebatur, itidem imminuebatur. Labor hic longus & ægræ dolorificus de ſcena claudenda cogitare fecit noſtrum, non omnem igitur epiploi ſeparationem abſolvit, cumque in tumore ſupra pubem nulla inteſtina ſubeſſent, epiplocelen quæ remanebat intactam reliquit, ægramque deligavit, reliqua ab artis magiſtro perficienda poſteris deligationibus reſervans. Variis ſic ſectionibus ægra tam feliciter curata eſt, ut fætum legitimo termino ſalvum in lucem emiſerit. Difficili huic operationi non modo honorificam ſuam præſentiam, verum imprimis prudentiſſimum ſuum conſilium accommodavit *vir Magnificus* DN. D. & P. *Joh. Jacobus Sachſius*, cujus ob grandia in praxi medica monumenta immortale lucet nomen, alius inſuper medicus famigeratiſſimus, & quatuor chirurgi adſtitere.

## §. XXIII.

Cum priſcis jam temporibus de hernia ventrali conſtiterit (§. 10.), de antiquiſſima eam operandi methodo, *Celſi* præcipue, mentio injicienda eſt, qui cum de ea quæ rupto peritonæo fit, loquatur, varias curationes proponit. „ Quidam enim ſecundum ipſum [*h*] per acum duobus linis ad imam „ baſin immiſſis ſic utrinque devinciunt, quemadmodum & in umbilico & „ in uva poſitum eſt, ut quidquid ſuper vinculum eſt emoriatur: Quidam „ medium tumorem excidunt ad ſimilitudinem myrtacei folii, & tum oras „ ſutura jungunt &c. " Verum enim vero hæ methodi rem adeo non exhauriunt, ut potius metuendum ſit, ne per tranſmiſſionem acus inteſtina conſtringantur, lædantur, pari modo ea methodus quæ per ligaturam tumoris fit, incerta eſt, quia conſolidatione nunquam bene peracta, facile con-

[*h*] *Lib.* VII. *Cap.* XVII. lin. 22. p. 454. *edit. Almeloveen.* quæ curatius denuo *Lugd. Batav.* 1746. prodiit.

continui ſolutio, atque nova ſic hernia oriri poteſt [*i*]. Præter has per ferrum curandi methodos, veteribus etiam per ignem & per cauſtica curabantur herniæ, quod noſtris temporibus exolevit, paucis, qui eos hodie adhuc imitantur, exceptis [*k*].

## §. XXIV.

His ita ad implendam primam *indicationem* peractis (§. 17.), ad *alteram* pedem promovere debet chirurgus, ut nempe de repoſitis partibus in ſitu ſuo continendis ſollicitus ſit. Quæ quidem indicatio ſi per taxin aliter, quam ſi poſt præviam herniotomiam repoſitio facta fuit, perficitur. Atque ſi ſaccus integer repoſitus fuerit (§. 20.), cum peritonæum ſemel laxatum raro elaterem ſuum naturalem iterum acquirat (§. 15.), ut cinguli vel faſciæ inſtar, uti antea abdomen arcte contineat; quod cingula naturalia à tono dejecta (§. 2.) præſtare amplius non valent, illud per artificialia ſupplendum eſt. Statim quidem poſt factam taxin deligatio fit ſplenio in embrocatione intincto & pannis aliis gradatis, vel etiam in caſtris charta bibula, quibus faſcia quatuor ad minimum digitos lata cum ſcapulari injicitur, atque quies, ſitus tranquillus, & victus tenuis ægro per aliquot ſeptimanas imperandus, ut tonum partes reſumere queant. Poſt aliquot dein dies vinctura conveniens ægro immittenda, quæ conſiſtit in bracherio, pila nempe è ligno tiliæ linteis duplicata, cui cingulum latum, tale quale veredarii, *les couriers*, utuntur, adnectitur, quod abdomen ambit. In junioribus locus embrocationibus bene inungitur, tumque emplaſtrum quoddam ad hernias [*l*] atque tunc faſcia cum pila imponitur, cujus emplaſtri uſu lamellæ ſacci inter ſe coaleſcere poſſunt, ſi ſimul interne decoctiones vulnerariæ, aut adſtringentia propinantur [*m*]. Quibus omnibus in infantibus & junioribus ob ſuccos magis laudabiles & faciliorem elateris reſtitutionem, curatio radicalis abſque metu novi prolapſus, vel continuo bracherium geſtandi, peragitur. In ea ſpecie ventralis herniæ, quæ alias ventriculi vocatur, per inunctionem tumoris cum adipe taxino in pueris eam curatam fuiſſe memorant [*n*], ſed vinctura inſuper injicienda atque victu tenui, parco, potu aromatico, roborante utendum, atque magni procul dubio uſus erit bracherium; quod pro

[*i*] *Heiſter inſt. Chir.* p. 800 *Dion.* l. c. p. 120.

[*k*] *Edinb. Eſſais Vol. V.* p. 371. Cel. *Van Swieten Comm. in Aph. Boerh. Tom.* I. p. 624.

[*l*] Quale illud, quod cum arcano ſuo ∿ nempe ⊖ rectific. communicavit *Prior de Cabrieres*, compoſitionem hujus tradit *Dionis* p. 317. *de Launay des deſcentes* p. 64.

[*m*] Talia ſunt conſolid. ſarracenic. & perfoliatæ uſus in juſculo cum axung. gallinæ melle & butyro majali E. N. C. *D. I. A.* 3. p. 527. ſucco Abſynthii, *D.* III. *A.* 2. p. 61. per alia medicamenta *D. I. A.* 3. p. 527. 551. Superſtitionem redolet, herniam tranſilitione ter repetita per tiliam, vel quercum, vel ſalicem fiſſam, curatam fuiſſe *Act. Haffn. Vol.* II. p. 164. *Juncker Conſp. Chirurg.* p. 206.

[*n*] *Gunz* l. c. p. 74.

pro continenda hac hernia à DN. *de la Peyronnie* [ o ] promittitur. Sic uti in ventralibus à rupto peritonæo contingit, quod nimia moles ſit partium prolapſarum (§. 13. n. 3.), ut reponi integre nequeant, vel ſi partes elapſæ adhæreant (§. 13. n. 4.), quo ipſo itidem iis reponendis obex ponitur; per cingulum quoddam, vel vincturam aliquam contentivam dictam ſuſpenduntur, in ſitu ſuo continentur, ſicque alleviantur [ *p* ]. Atque ſi multiplex eſt hernia, cingulum latum cum corio duplicatum, *une large ceinture de cuir matelaſſée*, ad eam retinendam, ſecundum DN. *le Maire* ſuadetur. Si immobilis eſt hernia, pila concava adhibenda, in qua partes commode tanquam in ſinu locatæ, à preſſione defenduntur, quod ſæpe cum ſucceſſu à me factum, & à *le Dran* etiam in epiplocele ventrali comprobatum fuit [ *q* ].

Imo herniæ quædam ventrales immobiles abſque cingulo innoxie quandoque per vitam geſtantur, quod DN. *le Riche* in viro quodam militari obſervavit, qui cum magnum ſpatium pedibus junctis ſaliendo emetiri vellet, lapſus eſt, & eo ipſo momento dolorem acutum cum tumore ad latus dextrum abdominis duos tranſverſos digitos ſupra annulum obliqui ſenſit, hic tumor intra viginti quatuor horas magnitudinem ovi anatis adæquabat, accedens DN. *le Riche* ipſi lectum & varia appropriata remedia imperavit, cum vero non emolliretur tumor, ut reponi poſſet, ipſi tumorem hunc ita per dies vitæ geſtaturum, prædixit. Per decem deinde annos abſens, poſtmodum iterum curæ ipſius propter alium morbum ſeſe credidit, ubi tumorem nec auctum, nec imminutum deprehendit DN. *le Riche*, licet ſuaſu aliorum interea terras minerales reſolutivas applicaverit, frictiones etiam ☿iales ex aliorum conſilio, qui eum pro hernia non habuerunt, adhibuerit.

## §. XXV.

In illa herniæ ventralis ſpecie, ubi plane nullus adeſt ſaccus (§. 21.), vel ubi in operatione apertus fuit (§. 20.), utroque vero modo vulnus abdomini inflictum fuit, repoſitæ partes in ſitu continentur per ligaturam ſacci (§. 21.) atque gaſtroraphiam poſtea, uti in magnis abdominis plagis fit, adminiſtratam, tunc verò plumaceolus Balſ. Arcæi imbutus & glomus DN. *Petit*, vel glomus molliuſculus, *une pelotte mollette*, juxta DN. *le Riche*, turundæ loco vulneri imponitur, totum abdomen embrocatione ex ∘°∘ roſat. c. vitell. & alb. ovi inungitur, & demum ſplenium vini intinctum applicatur, cui dein deligatio cum mantili & ſuo ſcapulari finem facit. Vulnus hoc quotidie inſpiciatur, & antequam glomus extrahatur, pus cum ſindone è vulnere educendum, quod tamdiu fit, donec ſaccus cicatrice clau-

[ o ] *Mem. de l'Acad. de Chirurg.* p. 701.
[ *p* ] *Dionis* l. c. p. 112. 121.
[ *q* ] *Le Dran* T. II. p. 65.

claudatur, imperata ſemper quiete in lecto, & continuato interim regimine moderato, victu tenui, levi, inducta demum cicatrice ſubligaculum debitum applicandum, quale *Heiſteri*, faſcia nempe inſtar cinguli cum ſcuto facta & *Tab.* 24. *fig.* 6. *in Chir. inſt.* adumbrata, eſſe poteſt.

## §. XXVI.

Quæ cum ita per artem peracta fuerint, præcipua Chirurgi cura in modo, ægrum ab hoc morbo in poſterum præſervandi, verſari debet, quod tam in Taxi, quam Herniotomia opus eſt; cumque partes membranaceæ læſæ, vel nunquam plenarie, vel tarde tamen coeant (§. 15.), optimam *prophylaxin* poſteriori in caſu in bracherii per quoddam tempus in junioribus (§. 24.), ad dies vitæ in adultis geſtatione conſiſtere, uſurpatis externis & internis conſolidantibus, cenſemus. In priori caſu prolapſus vinctura itidem optime præcavetur. At cum ſecundum quoſdam hoc palliativum ſolum ſit remedium, propterea hinc operationem omnibus, qui herniam geſtant, ſubeundam ſuadeant, ſive libera illa ſit (§. 21.), ſive incarcerata, attamen quamdiu ſymptomata non urgent (§. 18.), aut ſi eadem mediante ſubligaculo præcaveri poſſunt, tutam hanc curationem, palliativam licet, ancipiti, radicali quamvis, anteponendam eſſe, cum pluribus mecum ſentientibus concludo.

DIS-

LXIX.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

*DE*

# HERNIA VENTRICULI.

*Quam tuebatur*

PETRUS KIRSCHBAUM,

*NENTERSHUSANUS.*

Argentorati 25 Septembris ànno 1749.

## §. I.

INteſtinorum aut omenti e ſitu naturali prolapſum, tumorem in ſibi vicinis corporis regionibus efficientem, primam morbi iſtius, quem κήλην Græci, Latini *herniam* vocant, ideam mortalibus impreſſiſſe a vero alienum eſſe non videtur. Ad cujus analogiam modo alios tumores iiſdem in locis ſubnatos, inteſtina tamen non continentes, ſub herniarum genere complexi ſunt; modo etiam ex notione viſceris, e cavo ſuo naturali in aliud cavum ſive naturale, ſive præternaturale, delapſi, reliquorum viſcerum, aut aliarum corporis humani partium ſimilem ſeceſſum herniæ nomine deſignare non dubitarunt. Sic hepar extra abdomen fœtus in peculiari tumore contentum *Reiſelius* [*a*] *hepatocelen*; cerebrum per defectum oſſificationis partis cranii protuberans *Cl. Trewius* [*b*] *herniam cerebri*; veſicæ urinariæ in ſcrotum delapſum *B. Salzmannus* [*c*] *herniam veſicæ*; oculi tunicæ uveæ per foramen corneæ prominentiam *Schlichtingius* [*d*] *oculi herniam*; uterum in hypogaſtrii aut inguinis tumore nidulantem *Saulſejus* [*e*] & *Doeringius* [*f*] herniam uteri ſalutarunt, & M. B. *Valentini herniæ diaphragmatis* [*g*] mentionem injicit. Quid obſtat ergo, quo minus ventriculi ex abdomine in aliud cavum irruptionem *herniam ventriculi*, non deſtituti clariſſimorum virorum auctoritate, appellare poſſimus.

## §. II.

Ex anatomia conſtat, magnum diaphragmatis muſculum in circumferentia ſua carneum, in medio ſui ſatis lata & trifolium repræſentante aponeuroſi tendineum, vertebris, coſtis, ſterno ita adhærere, ut quaſi velum tranſverſim ſuſpenſum thoracis cavum a cavo abdominali ſeparet, & motu ſuo ſub inſpiratione ventriculum comprimat, ſub exſpiratione vero pectus arctet. Tribus naturaliter gaudet foraminibus, uno in parte tendinea dextra magni muſculi, rotundo, pro tranſitu venæ cavæ, altero in parte muſculoſa parvi diaphragmatis, ovali, ſiniſtrorſum ſito, pro œſopha-

[*a*] *E. N. C. Dec. II. a* 7. *Obſ.* 6. *p.* 11. & Volfstriegel *ibid. Dec. II. a* 2. *Obſ.* 88. *p.* 162.

[*b*] *Commerc. Litter. a.* 1738. *hebd.* 52. *no.* 3. *p.* 412.

[*c*] *Diſſert. de Veſicæ urinariæ hernia Arg. a.* 1732.

[*d*] *E. N C. Vol. VIII. Obſ.* 25. *p* 67.

[*e*] *In* Blegny *Zodiac. Med. Gall. a.* 3. *Menſ. Apr. Obſ.* 2. *p.* 52.

[*f*] *Epiſt. de hernia uterina in Op.* Hildani *p.* 893. *ſqq.*

[*g*] *E. N C. Dec III. a.* 2. *Obſ.* 124. *p.* 186. ſed minus adæquata mihi videtur hæc denominatio, cum obſervationem epiploi, per foramen antiquum, in diaphragmate canis exiſtens, in thoracem irrumpentis deſcribat.

phagi, & tertio bifurcato quaſi, ſub ejuſdem parvi muſculi cruribus, pro aortæ deſcenſu. Hiſce addi poterit quartum in portione laterali ſuperiore muſculi inferioris diaphragmatis conſpicuum, nervo intercoſtali ad abdomen progredienti viam aperiens. Sub diaphragmate magno immediate in hypochondrio dextro hepar, in ſiniſtro lien, & inter hæc ventriculus locantur: & ultimum quod attinet, ita ſitus eſt, ut ejus extremitas magna cum cardia in hypochondrio ſiniſtro immediate ſub diaphragmate, extremitas parva cum pyloro dextrorſum, magis inferius ac cardia, magis inclinata & fere e regione corporum ultimarum vertebrarum dorſi reperiatur, hypochondrium tamen dextrum non attingat. Magna ejus curvatura, cui maxima omenti portio adhæret, magis anteriorem quam inferiorem, parva curvatura magis poſteriorem quam ſuperiorem corporis regionem ſpectat. Illum eſſe ſaccum membranaceum, ſumme ſenſibilem, motu periſtaltico dotatum & aſſumta in chymum mutantem, vix opus eſt, ut moneamus. Lien denique in homine fere totum vaſculoſum, membranis cinctum, depurationi ſanguinis hepatici dicatum, ventriculo ope vaſorum brevium & diaphragmati ope ligamenti particularis, quod tranſverſale eſt reſpectu totius corporis humani, & longitudinale reſpectu voluminis lienis, & pancreati ope arteriæ & venæ ſplenicæ adnectitur. Totum in hypochondrio ſiniſtro ſitu fere perpendiculari inter magnam extremitatem ventriculi & vicinas coſtas ſpurias ſub diaphragmate & ſupra renem ſiniſtrum locatur.

## §. III.

Hiſce de partium ſitu indicatis, ut pleniorem de hernia ventriculi nobis ideam formare poſſimus, liceat quas hinc inde apud auctores de hoc morbo corradere potui obſervationes, hic in compendio recenſere.

*Hiſt. I.* Vir quidam ab aſſumto antimoniali emetico incidit in herniam ventriculi, qua ultra 17 annos laboravit. Quotieſcunque enim inflexit corpus, ventriculus non ſine moleſtia velut in ſaccum excidit [*b*].

*Hiſt. II.* Fæmina ab uſu pulveris ptarmici helleborati fortius operantis in tumorem in ſiniſtra & ſuperiore parte regionis hypogaſtricæ incidit, quem multas ob rationes, præcipue ob incommodum alimentorum deſcenſum, pro prolapſu ventriculi reputat *Blegny* [*i*].

*Hiſt. III.* Centurio, hydrope pectoris defunctus, in ſiniſtro thoracis cavo monſtravit ventriculum totum, partem coli, partemque ſuperiorem lienis per peculiaria foramina in diaphragmate conſpicua irrumpentia, quorum cum annuli eſſent cartilaginei, fortiterque ad dicta corpora adhærentes, hinc-

[*b*] Hildanus *Epiſt ad* Dœring. *in Opp. p.* 915. & totidem verbis Camerarius *Mem. Med. Cent. X part.* 14. *p.* 15.

[*i*] *Zod. Med. Gall. a.* 1. *Febr. Obſ.* 2. *p.* 44.

hincque ſcalpello diſcindendi, a prima conformatione vitium hoc proveniſſe judicat *Chauvetus* [*k*].

*Hiſt. IV.* Juvenis brevi poſt aſſumtum emeticum antimoniale mortuus, & diſſectus ventriculum in dextra thoracis parte locatum oſtendit, & cum eo in loco pulmones deerant, ſitum ab ortu contractum fuiſſe declarat *Riverius* [*l*] notatque ægrum toto vitæ decurſu ſpirandi difficultate non valde fuiſſe oppreſſum, omneſque corporis functiones commode ſemper exercuiſſe.

*Hiſt. V.* In ſtudioſi, obſtructiones alvi, debilitatem ventriculi, graves ſingultus infinitoſque vomitus perpeſſi, cadavere, ventriculus cum omento colique parte in ſiniſtro pectoris cavo per foramen amplum nerveoque circulo circumſcriptum, in diaphragmate toto carnoſo conſpicuum, tranſiens repertus eſt [*m*].

*Hiſt. VI.* Fæmina, per plures annos diris colicæ torminibus vomituque afflicta, morbo tandem iliaco e vivis tollitur, in cujus cadavere in parte muſculoſa diaphragmatis ſiniſtrorſum inſigne rotundum foramen, diametro gaudens binarum unciarum, in ſuo margine inſtar pylori plicis & valvulis orbicularibus inſtructum, aderat. Hoc ipſum foramen diaphragma penetrabat, formabatque una cum mediaſtino & diaphragmate membranoſum ſaccum, in ſiniſtro autem latere quaſi duplicaturam diaphragmatis. In tali cavitate maxima ventriculi pars cum annexa parte omenti impacta tenebatur [*n*].

*Hiſt. VII.* Puer, qui per duos à nativitate annos ſatis commode valuerat, difficulter tandem ſpirare incipit, malo indies ingraveſcente, attolli plus juſto thoracem obſervat, de ventris dolore conqueritur, tuſſi ſæpius redeunte, & a paſtu præcordia repleri ſentit. Poſt mortem pueri quinquennis ventriculus, lien & hepar in pectoris cavitate fuerant reperta, ita ut mediaſtino deficiente toti pulmones cum corde & hepate dextrum, ventriculus & lien ſiniſtrum latus occupaverint [*o*].

*Hiſt. VIII.* Latomus per medium diaphragma, quà parte tendineum eſt, transfixus, triduo poſt interiit. In cadavere diſſecto ventriculus flatu diſten-

[*k*] *Hiſt. de l'Acad. Roy. des Scienc. Ao.* 1729. *p. m.* 14.

[*l*] *Obſ. Med. Cent. IV. Obſ.* 67. *p. m.* 37, Blancardus *Anat. Pract. Cent. I. Obſ.* 70. *p.* 152.

[*m*] Th. Bartholinus *Hiſt. Anat. Cent. VI. hiſt.* 54. *p.* 288. & prolixius Clauderus *in E. N. C. Dec. II. a.* 5. *Obſ.* 193. *p.* 386. qui juvenem nunquam fuiſſe aſthmaticum, ſed libere ſemper reſpiraſſe, & 40. libras muci corrupti, pici liquatæ ſimilis, evomuiſſe addit.

[*n*] *Jagwiz* apud *Goblium in Act. Med. Berol. Dec. II. Vol. IV. obſ.* 1. *p.* 64.

[*o*] Becker *in app. tract. de ſubmerſorum morte ſine pota aqua Gieſſ.* 1704. 8. citantibus *Actis Erud. Lipſ. A.* 1706. *menſ. Apr. p.* 171. Editionem hanc non poſſideo, & in altera, quæ Jenæ 1720. 4to prodiit, non reperitur hæc obſervatio.

diſtentus & in ipſum thoracem raptus animadvertebatur, etſi vulnus pollicem vix eſſet latum [p].

*Hiſt. IX.* Melancholicus proprium pectus gladio transfixit, ex quo vulnere bimeſtri ſpatio convaluit. Septimo poſtmodum menſe vomitibus continuis, lipothymiis ſudoribuſque frigidis correptus interiit. Corpore aperto vulnus pulmonem ſiniſtrum nunc penitus conſumtum & partem aponeuroticam diaphragmatis penetraſſe repertum eſt. Ventriculus totus in illud thoracis latus aſcenderat, & cor arefactum cum capſula de ſede ſua in dextrum latus, ubi & vivus ille cordis pulſum obſervare jubebat, depulerat [q].

*Hiſt. X.* Chirurgus militi, vino ſulphurato admodum inebriato, vomitorium ex tartaro emetico propinavit, qui vix elapſis quatuor horis in mediis vomitibus animam exſpiravit: in ejus cadavere aperto ventriculi orificium ſiniſtrum verſus diaphragma, & hoc ipſum verſus cavitatem pectoris violento modo compulſum, conſpectum fuit [r].

*Hiſt. XI.* Vir hepatis ſcirrho laborans navigatione inconſueta & ebrietate illum in gangrænam & ſphacelum mutaverat, unde ſub crebrioribus vomitibus materiæ nigricantis fætidæ, vomendi conatibus & enormiore ſingultu vitam cum morte commutavit. In ejus thorace ventriculus, omentum, duodenum, jejunum & pars ilei ſitum ſuum, ſed confuſum, habebant. Diaphragma integrum quidem erat, ſed illud foramen, per quod œſophagus ad ventriculi orificium ſuperius ordinarie deſcendit, maxime dilatatum & atonum, portionem quamdam inteſtini ilei continebat [s].

*Hiſt. XII.* Vir quidam poſt largiorem braſſicæ capitatæ, muria conditæ, & cicerum ingeſtionem anguſtiis præcordiorum, vehementiſſimis vomitibus, dolore colico & urente, ac pertinaci alvi obſtructione correptus, paucarum horarum ſpatio trucidatur. Cujus ventriculi extremitas magna cum omento integro per rupturam partis tendineæ diaphragmatis largam penetrans in ſiniſtro pectoris cavo reperta eſt [t].

## §. IV.

Et ut de noſtra parva ſupellectili quoque aliquid addamus, en caſum ſequentem. Nupero menſe junio hic Argentorati miles excubias agens, ſub veſperam hora ſeptima hominem, ob malefacta fugientem, globulo plum-

[p] Paræus *Oper. Lib. IX. c. 30. p. m. 313.* Blancardus *Anat. Pract. Cent. I. obſ. 2. p. 3.*

[q] *Sennertus* apud *Hildanum Obſ. Chir. Cent. II. obſ. 33. p. 108.* Blancardus *l. c. Cent. II. obſ. 9. p. 206.*

[r] *Exercit. Subſec. Francof.* apud *Gohlium l. c. p. 64.*

[s] *Schoberus* in *Eph. N. C. Cent. 3. & 4. ap. p. 147.*

[t] Gottl. Buddæus *Breſl. Sammlung von Natur* - Medicin *und Kunſt - Geſchichten* Tent. XXIV. menſ. Maj. Claſſ. IV. art. 10. p. 561.

plumbeo ſclopeto exploſo petit, ſed infauſto ſucceſſu puellæ, novendecim annorum ætatis, forſan occurrentis pectus ſiniſtrum tranfigit. Hæc ab ictu in terram lipothymica cadens, cum animum reciperet, crebrum experta eſt ſingultum, conatum vomendi, ſub diris pectoris abdominiſque doloribus, nullo tamen ſubſequente, ob virium forſan debilitatem ſanguiniſque jacturam, vomitu. Sic debito modo deligata, ægre ſpiritum trahens, poſtero mane hora octava expiravit. Legaliter inveſtigatum eſt cadaver. Globulus ſub ſiniſtra mamma inter coſtam quintam & ſextam ingrediens, latum, inæquale & lacerum vulnus effecit, & in dorſo paulo inferius rurſus egreſſus eſt. Aperto thorace proſiliit ſaccus membranaceus flatu diſtentus, qui mox pro ventriculi extremitate magna ex annexo omento cognoſcebatur, ad hujus latus ſplenis dimidia portio in ſuperiore extremitate cruentata, lacerata & concuſſa cernebatur. Cor ab irruentibus in pectus hiſce corporibus verſus dextrum latus pulſum, pulmo ſiniſter parvus collapſus, illæſus tamen, & tota cavitas ſanguine repleta erat. Diaphragma in parte tendinoſa rupturam trium quatuorve pollicum latitudine oſtendebat, & ſexta, ſeptima, octava ac nona coſta diffracta cernebantur. Hinc ob magnam partis aponeuroticæ diaphragmatis læſionem, lien tranſverſim vulneratum, coſtas plures fractas, vulnus hoc pro abſolute lethali ii, quibus hoc opus commiſſum erat, declarare non dubitarunt.

## §. V.

Herniam ventriculi in brutis quoque reperiri obſervationes teſtantur. Sic *Littrius* [u] in cane à ſe diſſecto loco foraminis ovalis in diaphragmate magnam invenit fiſſuram, cujus margines cicatrice obducti erant, & duodeno tranſeunti locum aperiebant, dum interim totus ventriculus in thorace collocaretur, nec per eam fiſſuram in abdomen retrudi potuerit, dilatata vero illa, ſponte retrogrediebatur, non impediente illud œſophago, ſatis ad repoſitionem longo. Et *Peyerus* [x] ovis meminit, cujus diaphragma a nimia herbarum ingurgitatione tranſverſim ruptum ejus ſecundo ventriculo, quem κηκρύφαλον Græci vocant; aditum in pectus medioſque pulmones conceſſit. Addi poterit caſus *Valentini* ſupra §. I. nota *g.* citatus.

## §. VI.

Non vero ſemper per foramina hæc diaphragmatis, ſive a natura, ſive morbo, ſive vulnere facta ventriculus tranſit, ſed manet interdum ſuo in loco ventriculus, aſcendentibus in pectus aliis viſceribus proxime adjacentibus, præcipue *colo* (cujus tractum tranſverſum in dextro hypochondrio

 in-

[u] *Hiſt. de l'Acad. Roy. des Sciences Ao.* 1706. *p. m.* 33.
[x] *E. N. C. Dec. II. a.* 4. *obſ.* 99. *p.* 195.

incipere, ſub veſicula fellea progredi, & in parte anteriore magnæ curvaturæ ventriculi, interdum quoque paulo inferius progredi, ac in ſiniſtrō hypochondrio ſub liene finiri novimus) *omento* (cujus & ipſa portio tractui huic tranſverſo coli adhæret) & *pancreate* (glandula nempe iſta, linguam caninam figura ſua æmulante, tranſverſaliter ſub ventriculo ſita, duodeno lienique connexa). Quem morbum, ſi ob analogiam cauſæ, modi fiendi, ſymptomatum atque eventus ad hernias ventriculi late ſic dictas referre velis, me non habebis refragantem. Ad illuſtrationem ejuſdem ſufficiant tria ſequentia exempla:

I. Vir quidam [y] magna vini liquoriſque fermentantis copia ingurgitata, noctu colica vehementi corripitur; medicaſtrum conſulens accipit vomitorium fortius, quo aſſumto dolor ingens totius abdominis, ventris inſtar lapidis durities, nulla tamen ſub inflatione ejuſdem, difficultas reſpirandi ſumma, conatus vomendi crebriores, pulſus parvus, convulſiones diræ & mors ſequebantur. Sub cadaveris examine inventa eſt dilatatio diaphragmatis eo in loco, ubi nervus intercoſtalis ex pectore in abdomen tranſit, per hujus fiſſuræ dilatationem portio coli maximaque omenti & pancreatis pars in thoracem ſiniſtrum pulſa fuit, & vena pancreatica rupta ſanguine reliquum ejuſdem cavum replevit.

II. Centurionis pectus globulus ſclopetarius penetrat, læſa interne carnoſa diaphragmatis parte. Curabatur a chirurgis vulnus externum, ſed ventriculi debilitatem cum dolore retinebat, menſibus octo elapſis ſub immenſis doloribus colicis mortuus eſt. Abdomine aperto, maxima coli flatibus diſtenti pars per vulneris diaphragmatici foramen in thoracis cavum penetraverat, vulneris tamen amplitudo vix minimi digiti capax erat [z].

III. Cuidam cultellus longus inter quartam & quintam coſtam adigitur, curatur octiduo, a tuſſi, reſpiratione impedita aliiſque ſymptomatibus liberrimus, ita ut munia domeſtica probe obiret; die nona cum chirurgo & ſibi ſanus videretur, ſubito animo linquitur, & poſt apnœam anhelationemque maximam vigeſima quarta hora moritur. Secto cadavere diaphragma inventum fuit omnino perſectum, & inteſtina tenuia in thoracis cavum irrepſerunt [a].

## §. VII.

Diverſas herniarum ventriculi ſpecies ex recenſitis hiſtoriis collectas, ſequenti ſchemati includimus. Hernia ventriculi eſt vel

Pr. Vera, tumque dividitur ratione

I. Loci in

1. Exter-

[y] *De St. André* apud *Goblium l. c. p.* 11.
[z] *Paræus* l. c. & ex eo *Blancardus* l. c. Cent. I. Obſ. 1.
[a] Henr. Ab Heer. *obſ. oppido rar. obſ.* 25. *p.* 282.

1. Externam &
2. Internam, quæ vel
(1) Connata
(2) Adquiſita, ita ut malum proveniat vel a cauſa
(1) Externa violenta
(2) Interna, & tum oritur malum ver per diaphragmatis
(a) Intra pectoris cavum intruſionem
(b) In aliquo foramine naturali dilatationem
(c) Rupturam.

II. Partium prolapſarum in herniam
1. Simplicem, illamque vel
(1) Completam
(2) Incompletam.
2. Complicatam.

III. Subjecti in herniam ventriculi hominum & brutorum.

Sec. Analoga.

Hæc ut eo melius intelligantur, *herniam ventriculi veram* voco, ubi ventriculus loco ſuo elabitur (§. III. IV. V.), *analogam* ubi ventriculo in ſitu manente colon, aut pancreas, aut omentum in pectus ſecedunt (§. VI). *Herniam ventriculi externam* dico, quando ventriculus, in tumorem elevatis & diſtentis peritonæo, muſculis & integumentis extra abdomen & quaſi extra corpus egreditur (§. III. 1. 2.) & *internam*, quando ex abdomine in thoracis cavum ſecedit (§. III. 3. ad 12. & §. IV.) *ſub hernia ventriculi connata* intelligo malum, à prima conformatione mala veniens (§. III. 3. 4. 5. 6. 7.) & ſub *acquiſita* illæ herniæ veniunt, quæ demum ſucceſſu temporis naſcuntur, idque vel *à cauſis externis violentis* e. g. ictu (§. III. 8. 9.) aut ſclopeti exploſione (§. IV.) vel a *cauſis internis* præcipue vehementioribus vomendi conatibus ſive ab emetico (§. III. 10.) ſive à cibis flatulentis & fermentantibus (§. III. 12.), ſive a gangræna partium vicinarum (§. III. 11.) enatis. Cum ab omnibus hiſce cauſis ventriculus in thoracem pellatur, continget illud vel ſub *diaphragmatis ruptura* (§. III. 12.) vel ſub majore *foraminum* ejuſdem naturalium *dilatatione* (§. III. 11.) vel denique ſub ſola *diaphragmatis* intra cavum pectoris *intruſione*. Diu, fateor, dubius hæſi, num hic morbus (§. III. 10.) in herniarum ventriculi claſſe locum habere poſſit, cum in eo ventriculus adhuc ſub diaphragmate maneat, & ita in abdomine eſſe videatur. Perſuaſit tandem *Gohlii* auctoritas, & præcipue argumentum, quod cum generalis herniæ ventriculi idea in ejuſdem ex cavo naturali in aliud translocatione conſiſtat, ſufficiat, eum, itidem retracto & loco ſuo ex parte moto ſepto tranſverſo, iſto in ſpatio eſſe locatum, quod alias thorax dicitur, licet ſeptum illud adhuc revera ventriculum à thoracis contentis ſeparet. *Hernia ventriculi ſimplex* erit, ubi ſolus ventriculus (§. III. 1. 2. 4. 6. 8. 9. 10. 12.) & *complicata*, ubi & aliæ partes ſimul cum ventriculo egrediuntur, ſic lien (§.IV.),

colon (§. III. 5.), lien & colon (§. III. 3.), lien & hepar (§. III. 7.), duodenum jejunum & pars ilei (§. III. 11.) una cum ventriculo in thorace reperta ſunt. Quando totus ventriculus pectoris cava ſubiit (§. III. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 11.), *hernia ventriculi completa*; quando pars tantum ejuſdem (§. III. 6. 10. 12. §. IV.) intravit, *incompleta* nominanda erit. Herniæ ventriculi exiſtentiam in hominibus §.III. & IV. & in brutis §. V. demonſtrant. Quodſi denique herniam ventriculi internam connatam in herniam *lateris dextri* quando ventriculus in dextro pectoris cavo (ut §. III. 4.) & *lateris ſiniſtri*, quando in ſiniſtro (ut in reliquis omnibus exemplis contigit) reperitur, ſubdividere velis, per me quidem licebit.

## §. VIII.

Cum vero tot differentes dentur herniarum ventriculi ſpecies, præcipuas ex iiſdem quoad earum cauſas, diagnoſin, prognoſin & curam accuratius, brevibus quamvis verbis, examinare lubet. Cauſam *herniarum ventriculi externarum* in ruptura vicinæ peritonæi partis & muſculorum cutiſque ab antrorſum premente ventriculo expanſione & in tumorem elevatione eſſe quærendam, ratio ipſa dictitat, cum hiſce in locis nullus ejus membrana proceſſus, qui dilatari poſſit, adſit. Anſam huic rupturæ ſubminiſtrant quæcumque, diſtento imprimis ventriculo, muſculis abdominalibus & diaphragmati validiſſimos ſpaſmos inducunt, ut ſunt fortiora emetica (§. III. 1.) & ptarmica (§. III. 2.). Quodſi enim in inferiore ventriculi regione muſculi abdominales, in ſuperiore vero diaphragma violentiſſime & diutius convelluntur, is in torculari quaſi conſtitutus preſſioni tandem renititur, & ſub continuatis ambientium ſpaſmis aut ſemetipſum perdit, aut illas; ea nempe harum partium perit, quæ vel minus reſiſtit, vel cui maxima vis infertur. Sic à violentiore vomitu œſophagum ruptum eſſe legimus [*b*] diaphragma ſub iiſdem divulſum ex antecedentibus conſtat, & peritonæum vim paſſum eſſe modo recenſitæ hiſtoriæ oſtendunt. Ultimum ſi contingit, ſigna diagnoſtica mali deſumi poterunt (1) à vi prægreſſa ſenſuque diſruptionis dolorifico eo tempore oborto; (2) ex tumore in regione epigaſtrica ſubnato, ejuſdem cum cute coloris, ſine fluctuatione, molli, non reſiſtente, poſt paſtum aucto, jejuno ſtomacho imminuto; (3) ex incommodo alimentorum deſcenſu, quæ ad infernam uſque tumoris partem pergere animadvertimus; (4) ex digeſtione & expulſione earumdem lenta, obſervavit enim *Blegny* l. c. ea totos ſex aut octo dies in tumore commoraſſe: & denique (5) ex levamine quod æger dorſo incumbens ſub digeſtionis expulſioniſque alimentorum præcipue tempore ſentit. Prognoſis, ſi citatos caſus reſpicimus, triſtior, cum nullus recenſitorum ægrorum convaluerit, licet, incommoda inde percipienda ſi excipias, diu innoxie tolerari poſſit: Vir enim *Hildani* ſeptendecim & *Blegny* fæmina octo annos malum illud tulerunt, & nondum inde ipſo-

[*b*] *Boerhaave hiſtoria prima atrocis nec deſcripti prius morbi* in *opuſculis* p. 98.

ipſorum vitæ imminebat periculum. Quodſi vero rationem conſulimus, meliora de his quam de cunctis reliquis ventriculi herniis ſperare poſſumus: morbus enim recens incurabilium numero accenſeri non meretur, & radicalem omnino videtur admittere curam; in inveterato autem vix niſi palliativa locum habebit. In principio ergo affectus per ſuâ ſigna cogniti (præcipue ſi poſt enormes vomitus aut ſternutationes ſenſumque diſruptionis partis peritonæi dolorificum tumor eo in loco oriatur) cohibito per nota remedia vomitu aut ſternutatione & ſopitis partium ſpaſmis, æger in lectum capite demiſſo clunibuſque elevatis reponendus, & per ſufficiens tempus eo in ſitu relinquendus eſt. Tumor, ſi quidem fieri poteſt, digitis ex arte retropremendus, & ſuper impoſitis linteis complicatis vini ſpiritu calefacto imprægnatis debita faſcia firmandus erit. Cibus ab initio nullus, ſucceſſu temporis parcus & eupeptus concedendus, alvuſque clyſteribus emollientibus continuo reſeranda. Quodſi dolor ceſſans, tumor ſine reditu diſparens, reliquaque ſymptomata ablata conſolidationem peritonæi indicarunt, tum faſcia, tum diæta, ne malum recrudeſcat, per aliquod adhuc tempus continuari poterunt. In inveterato malo, cum partium ruptarum unio non amplius locum habet, nec ob magnum, quod ab apertione tumoris imminet, periculum operatio herniæ hujus chirurgica temere ſuaderi poſſit, ante omnia repoſitio ejus ſub debito ægri ſitu, & rite obſervatis cautelis tentanda erit, ſi antea clyſteribus flatulentia diſcuſſa, & fomentationibus embrocationibuſque partes probe emollitæ ſunt: quæ ſi locum invenit, tum convenientis faſciæ ſive peculiaris bracherii applicatione pars elapſa & repoſita in ſitu ſuo retinenda eſt. Si vero hæc repoſitio ſive ob ventriculi cum lateribus tumoris coalitum, ſive ob nimiam foraminis, per quod egreſſus eſt, anguſtiam reponi nequeat, ſucurri poterit mappæ ſubtenſæ beneficio, partem elapſam ſuſtentantis, qua ſuſpenſorii in modum parumper retrahitur, ne, ſi libere tumor dependeat, aut ejus augeatur moles, aut a nimia partium diſtractione novus dolor ſurgat.

## §. IX.

Sed quid in *hernia ventriculi interna connata* agendum erit? Cauſam ejus proximam in prima eaque mala conformatione eſſe quærendam, patet; ſed unde hæc eveniat, in tanta circa rationem conformationis fætus caligine, dicere non poſſumus. Sic & ſigna ejus, antequam gravioribus ſeſe manifeſtet ſymptomatibus fere nulla, & obortis iis admodum æquivoca ſunt. Quis hæc niſi loquente experientia vel ſomniando cogitaſſet? Pone plura & maxima reſpirationis obſtacula, pectoris cava corporibus huc non pertinentibus majoribus ventriculo, colo, hepate, liene repleta, cor loco ſuo motum, pulmones compreſſos, collapſos, libertatem motus diaphragmatis impeditam: an non inde graviſſimi affectus aſthmatici, reſpiratio difficillima, &, ob partium tenſarum & diaphragmate circumcluſarum preſſionem, dolorifica? An non ob ventriculi translocationem, non agentibus in illum primariis

riis triturationis adminiculis, apepſia, dyſpepſia, chymus, chyluſque crudi, atrophia & larga malorum hinc fluentium meſſis ſequi deberet? Sed *Riverii* juvenis per 24 annos bene valuit (§. III. 4.), *Bartholini* ſtudioſus (§. III. 5.) nullum in reſpiratione incommodum unquam ſentit, & *Beckeri* puerulus per biennium commode vixit (§. III. 7.), nec de *Jagwitzii* fœmina, anno 44 ætatis mortua, legimus, illam ante iſtos dolores colicos de morbo huc ſpectante conqueſtam eſſe. Quoniam forſan, cum hæc mala a prima conformatione adſint, functiones corporis ad illa ſenſim ſenſimque ſeſe accommodare aſſueſcunt, hinc ea quæ naturaliter ſubſequi deberent ſymptomata non ſequuntur, præcipue ſi, ut in caſu *Riverii*, pulmo ejus lateris, in quo ventriculus jacet, penitus deficiat. Et quot forſan homines eadem conformatione præditos occubuiſſe putes, qui parvum aut nullum exinde in vita ſenſerunt incommodum? Sed non cunctis adeo felices eſſe licet, cum enim anguis in herba lateat, ſi hæc mala partium internarum conformatio aliis cauſis ſive externis (e. g. emetico §. III. 4.) ſive internis (e. g. hydrope pectoris ut §. III. 3. malo hypochondriaco, ut §. III. 5. aut colica nephritica, ut §. III. 6.) excitetur exaſpereturque, non poſſunt non dira exinde excitari ſymptomata, ventriculi debilitas & languor, alvi obſtructiones pertinaces, tormina, graves ſingultus, vomituritiones, vomitus enormes, ipſeque Ileus. Sed & tum quoque diagnoſis mali noſtri ut & horum ſymptomatum cauſæ difficilior eſt, à quot enim accidentibus iſta oriri non poterunt? Ita ut rite penſitatis cunctis ſuſpicioni quidem & probabilitati, non vero plenariæ veritati locus relinquatur, ni tam evidentia ſint ſymptomata ut in *Beckeri* caſu (§. III. 7.). Et quid ſi vel mali nomen notum ſit? an aliud inde ſolatium, niſi triſtem de morbo incurabili, ſi non lethali, prognoſin, habebis? Sanationi certe radicali nullus locus relinquitur, cum mala partium conformatio nulla arte immutari queat. Hinc ergo non alia niſi palliativa applicanda erit cura, quæ dicta ſymptomata rite, ſi non tollit, ſaltem mitiget. Cum vero hæc in generalioribus conſiſtat, & ubivis in practicorum ſcholis occurrat, eamdem brevitatis ſtudio omittere placet.

## §. X.

*Herniæ ventriculi internæ à cauſa externa violenta adquiſitæ* ratio per ſe patet, & in vulneratione diaphragmatis conſiſtit, quæ cum non ſine maximo dolore concomitantibus convulſionibus, ſi non univerſalibus, ſaltem particularibus contingat, non poteſt non muſculorum abdominalium in ventriculum preſſio, ſpaſtica diaphragmatis actione adjuta, eumdem per ſpatium in diaphragmate factum in thoracis cavum propellere. Idque fit vel ſucceſſive, ita ut parva ſaltem ventriculi portio cavum illud ſubeat, quam cum proxima ſequatur, anguſtum quoque vulnus ventriculus tranſire poterit, ut in hiſtoria 8. §. III. factum fuiſſe legimus; vel fit ſubito, gravioribus nempe ſub convulſionibus, & in vulnere præſertim lacero, ubi ventriculi ſubito in-

intrantis vis diaphragmatis vulnus adhuc magis dilacerat ampliatque, ut noſtro in caſu §. IV. contigiſſe ſumme probabile eſt. Hoc ſatis curioſum, quod, cum vulnera partis tendinoſæ diaphragmatis ab antiquis jamjam pro lethalibus habita ſint [*c*] & adhucdum habeantur, cumque aliquoties viderim canes, quorum diaphragmatis tendo gladio transfoſſus eſt, e momento expiraſſe [*d*], tales homines tamdiu vivere potuerint, ut Latomus *Paræi* (§. III. 8.) triduum, *Herii* homo per octiduum (§. VI. 3.) Melancholicus *Sennerti* (§. III. 9.) per ſeptem, *Paræi* centurio (§. VI. 2.) per octo menſes, & noſtra ægra per duodecim horas. Sed recte obſervat *Bohnius* [*e*] viſcera abdominis in thoracem rapta lethalitatem aliquando ſufflaminare, obturando foramen illud, ita ut ad exemplum melancholici illius & centurionis interdum cum vulnere concreſcant quaſi, & ita vulneris conſolidationem analogam efficiant. Interim & hic parvam de radicali cura ſpem, recrudeſcente cum tempore malo, relictam eſſe, experientia demonſtrat. Diagnoſis, præter ea, quæ ordinarie pro cognoſcenda diaphragmatis læſione à dolore ejus partis, reſpirandi difficultate, ſingultu, delirio, convulſionibus &c. deſumuntur ſigna, a vomitu continuo, ſi vires ſatis conſtent, aut debilitatis iiſdem, a non interrupto vomendi ſaltem conatu peti poterit. Et cum indicationes curatoriæ in partium intruſarum repoſitione, & in ſitu naturali retentione ac vulneris diaphragmatis conſolidatione conſiſtant, hæ vero obtineri non poſſint, æger deligato vulnere externo, & adhibitis, quæ ars ad mitiganda ſymptomata præcipit, remediis, naturæ, ſuiſque fatis relinquendus erit. Etenim non ſine ſummo vitæ periculo, ut non dicam ſine evidenti homicidio ita aperiri poterit abdomen, ut ventriculus, colon, lien &c. verſus illud retrahi & reponi poſſint; & ſi vel maxime illud efficias, qua ratione ſub continuo periſtaltico & muſculorum reſpirationi inſervientium motu in ſitu ſuo contineri poſſint, non video. Sic & diaphragmatis in parte tendinea læſi conſolidatio difficilis erit, cum & partes tendineæ ægrius coëant, & quies, neceſſarium ad reunionem ſolutarum partium adminiculum, deſit, & labiorum vulneris contractio, & immediata medicamentorum ad læſam partem applicatio, magni utique in his momenti, noſtro in caſu locum non habeant.

## §. XI.

*Herniæ ventriculi internæ* a cauſſa *interna* provenientis ſpecies prima, quæ *diaphragmatis in pectus intruſione* contingit, omnium velociſſima eſt & pernicioſiſſima. Oritur enim à violentiſſimo, eoque æquali œſophagi & ventriculi ſpaſmo, motu eorum periſtaltico verſus ſuperiora converſo, qui, ſi ſpaſmis muſculorum abdominalium vehementibus pertinacibuſque continuis adju-

[*c*] *Hippocrates lib. VI. aphor. XVIII. & Galenus ad h. l. p. m.* 608.

[*d*] *Chriſt. Vaterus* tamen in cane vulnus ſpeculi tendinei diaphragmatis non lethale vidit. *E. N. C. Dec. II. a.* 8. *obſ.* 199. *p.* 499.

[*e*] *De renunciatione vulnerum ſect. II. cap. IV. p. m.* 137.

adjuvatur, ſi inſimul inteſtina flatu diſtenta ventriculum verſus pectus premunt, eveniet, ut diaphragmatis tonus tot tantiſque viribus contra illud agentibus debilitatus remittat, & muſculus ſub vehementiore tandem quodam vomendi conatu a contractione œſophagi & aſcendente magna extremitate ventriculi ſubito, quaſi fune ſurſum traheretur, in pectoris cavum adigatur. Et licet hoc actu non totus plenarie thorax, ſed ſiniſtra potius ejuſdem cavitas anguſtetur, cum tamen totum diaphragma ſimul patiatur, & ſpaſmum quaſi ſeu rigorem potius univerſalem concipiat, verſus abdomen denuo deſcendere nequit, hincque præcluſo ſtatim ſpiritu, quum aër nova inſpiratione pulmones expandere nequeat, circulus ſanguinis intercipitur, & catarrhus ſuffocativus ægrum jugulat. Quidquid fortiorem movet vomitum, malo huic cauſa erit procatarctica. Signa ejus diagnoſtica in vivis non alia, niſi ea, quæ cum catarrho ſuffocativo ſub vomitibus contingente habet communia. Prognoſis deſperata eſt: & cum malum ſit ſubitaneum citoque interimens, nullam curam admittit: præcaveri tamen poterit, ſi ſub vomitu paululum fortiore ea ſtatim ex arte adhibeantur remedia, quæ hunc mitigare aut ſiſtere norunt.

## § XII.

Altera hujus herniæ ſpecies, quæ a *foraminis cujuſdam naturalis diaphragmatis dilatatione* dependet, ex eadem ac antecedens (§. XI.) cauſa oritur, hac tamen cum differentia, ut ſub inſigniter labefactato ventriculi tono maxima motus periſtaltici inverſi vis in œſophago poſita ſit: ſic enim ſub vehementioribus frequentioribuſque diaphragmatis ſuccuſſionibus, & ab œſophago ſurſum tractionibus, relaxatur illud quod œſophagum tranſmittit, foramen, & ille ipſe ſtomachus partes ſibi nexas, ventriculum, duodenum, jejunum per illud foramen in pectoris cavum deducit, cum per motum periſtalticum inverſum proprio jam niſu verſus ſuperiora ferantur. Hæc ad hiſtoriam XI. §. III. ſatis clara eſſe videntur, præcipue ſi conſideres, ſub gangrænatione hepatis vicinum ventriculum, antea jamjam navigatione, mala diæta continuaque ebrietate debilitatum, multa incommoda perpeſſum fuiſſe, ut ergo major vis in œſophago, quam in ventriculo reſpectu ſpaſmorum ſuperfuerit. Sed quid de caſu D. *de St. André* (§. VI. 1.) dicendum? Foramen diaphragmatis, per quod nervus intercoſtalis tranſit, minimum eſt, a colo in ſitu naturali conſtituto vix attingitur, nec ipſum hoc inteſtinum a vomitibus, ſi quidem iſti malo anſam dederunt, adeo violenter commovetur, ut foramina dilatare poſſet. Num foramen a prima corformatione jamjam juſto erat capacius? Num dolores colici eo præcipue in loco ſævitiem ſuam in inteſtinum quam maxime exercuerunt, qui vicinus eſt illi, ubi nervi tranſitus contingit, & ſic pars quædam ejus dictum foramen intrans iſtius latera terebrando quaſi dilatavit? Num vomitus demum colon in foramen intruſit, aut vero ejus intruſionem tantum adauxit? Quid pan-

pancreatis glandulam in thoracem adegit, an colon, quod cum ea nullam, quantum novi peculiarem connexionem habet, an ventriculi vomitu commoti preſſio? Nil affirmare, nil negare, nil definire audeo. Habet & medicina ſua miracula, quæ licet ſecundum leges naturæ contingant, tam abſconditam tamen cauſam agnoſcunt, ut veris miraculis proxima eſſe videantur. Signum pathognomonicon hujus mali in abdominis tenſione, inſigni duritie, & adeo nulla inflatione, ut potius contractum videatur, cum vomitibus una ſerie interruptim ſe conſequentibus optime ponunt *St. André* & *Gohlius*, quæ ſymptomata, ſi a partis aut partium internarum gangrænatione & ſphacelatione proveniunt, vitæ ſpem omnem eludunt. Si vero ab alia cauſa vomitus in ſubjecto ceteroquin ſano hunc morbum ex ſuis ſignis cognitum producat; licet & tum in anguſto res conſtitutæ ſint, & prognoſin valde dubiam reddant, non tamen omnis ſpes adeo rejicienda erit, ut non in extremo malo extrema quoque remedia tentare velimus. Præmiſſa ergo, aut repetita, ſi opus eſt, venæſectione larga, ad inflammationem vel præcavendam, vel mitigandam, abdomen emollientibus foventibuſque cataplaſmatibus erit muniendum, interne clyſteres emollientes, multumque oleoſi primum, dein & paulo acriores, ad inferiora ſtimulantes injiciendi, & quoniam hæc hernia non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive intrantes partes admittit, ab initio, quando hernia adhuc eſt incompleta, id eſt, quando pars tantum ventriculi aut minor inteſtini portio ſubintravit, quid in mercurio vivo præſidii ſit, tentarem. Mihi certe haud improbabile eſſe videtur, hydrargyri gravitatem naturalem, ſubjuncta ejus fluiditate, ventriculi aut inteſtini portionem thoraci impactam validius verſus abdomen retroprimere poſſe, quam ullum aliud remedium, quod fruſtra forſan ſub tantis vomitibus, quoniam mox rurſus rejicitur, propinabis. Hinc ergo illum, cum periculum ſit in mora, non ad unam alteramve unciam, ſed ad ſemilibram, libram, & ultra, ſi opus eſt, pro doſi [*f*] propinarem cum ₒ°ₒ amygdalorum dulcium, ad ſopiendos ſpaſmos & facilitandum mercurii deſcenſum, ſub ſitu corporis erecto, qui ad repoſitionem ventriculi requiritur. Motum vero corporis non, ut alibi in ileo ſub mercurii exhibitione fieri ſolet, metu violentiorum vomituum ſuaderem, ponderis enim doſeos mercurialis augmentum motus defectum ſupplebit. Et ſi poſt ejus operationem ſymptomata ceſſant, alvuſque reſerata ſit, opiata, quies & accuratiſſima diæta reliquum curationis punctum abſolvent. Quodſi vero totus ventriculus jamjam in thoracem venit, (quo in caſu vomitus languidiores fieri ſolent, cum non amplius tanta vi comprimatur ventriculus) non novi, an hæc cura adhuc locum habeat. Etenim tum ſeſe expandit, flatibuſque diſtenditur ventriculus, ita ut per anguſtum foramen non eadem facilitate reprimi, & in abdomen adigi queat [*g*]. Hoc in caſu pro conclamato ſtatus ægri cenſendus, ſuiſque fatis committendus erit.



[*f*] Puerum novi, qui tertio ætatis anno malacia affectus, ultra duas libras mercurii vivi ſine ulla ſubſequente noxa una vice deglutivit, & tertio demum die reddidit.

[*g*] Qualem quoque mercurius vivus, in corpore humano relictus, noxam inferre poſſit, conf. egregia obſervatio *Maddeni Tranſ. Angl. no.* 442. *verſ. Gall. a.* 1736. *p.* 159.

## §. XIII.

Tertia denique harum herniarum ſpecies, quæ ex *rupto diaphragmate* oritur, cum herniæ internæ a cauſa externa provenienti æquiparari in omnibus poſſit, eadem de hac, quæ de illa (§. X.) diximus valebunt. Sic & quæ de reliquis herniarum ventriculi ſpeciebus adhuc monenda eſſent, vel in antecedentibus jamjam ſparſim tradita, vel ex iis nullo negotio colligi poterunt. Hinc ad portum properans vela contraho. Teque Benigniſſime Pater cæleſtis ſupplex invoco rogoque, ut quemadmodum hactenus, ita & nunc, & inpoſterum gratia tua mihi aſſiſtas, ſic non poteſt non cunctorum meorum laborum felix eſſe

F I N I S.

LXX.

# DISSERTATIO
## MEDICO-CHIRURGICA,

*DE*

## HERNIA INCARCERATA
SUPPURATA SÆPE NON LETHALI.

*Quam Præſide*

D.D. LAURENTIO HEISTERO.

*Tuebatur.*

JOAN. ADOLPH. GLADBACH,

*MOENO-FRANCOFURTENSIS.*

Helmſtadii 21 Martii anno 1738.

§. I.

QUamquam ſatis perſpicuus titulus diſſertationis mihi videatur, & quilibet intelligere poſſit, quid vocabulo *herniæ* velim, attamen ne a conſueto recedam ordine, definitionem ſive deſcriptionem aliquam præmittam: *Eſt autem proprie hernia tumor circa abdomen, quem partes quædam ſolidæ & molles, imprimis vero inteſtina & omentum e cavitate ejus & ſitu naturali prolapſæ, efficiunt, poſt dilatationem & forſan quoque rupturam quandoque peritonæi proveniens.* Atque ſpecies, quæ ita ſe habent, *herniæ veræ* appellantur; quæ vero ratione partium contentarum rurſus in hernias *inteſtinales*, quæ Græcis *Enterocele*, & *Omentales*, quæ *Epiplocele* dicuntur, diſpeſcuntur. Inveniuntur & adhuc alia herniarum genera, quæ nomine *ſpuriarum* hodie occurrunt, uti ſunt *hydrocele*, *ſarcocele*, *pneumatocele* &c. ſed de his ob prolixitatem nimiam hic evitandam hac in pertractatione non agam. Illæ autem *Herniæ veræ* dividi rurſus poſſunt in hernias *melioris & pejoris moris*, & ſpeciatim in hernias *liberas*, ubi prolapſæ partes in abdomen libere ac facile plerumque refundi poſſunt, atque ægro non adeo multum doloris aut incommodi excitant, quæ adeo melioris moris ſunt; & *captivas* ſive *incarceratas*, quæ pejoris longe moris ſunt, & de quibus potiſſimum hic agere conſtitui. *Hernia* autem dicitur *incarcerata*, *quando in tumore pars prolapſa quaſi in carcere detinetur, & ſine magno labore, imo ſæpe ſine ſectione reponi nequit, variaque gravia, quin & funeſta ut plurimum creat ſymptomata*, de quibus mox uberius, ſpeciatim vero *gangrænam*, & *ſuppurationem*, de qua hic ſpecialiſſime acturus ſum. *Definitio ſive deſcriptio.*

§. II.

Species herniæ proprie ſic dictæ ſunt vel *umbilicales*, quæ in vel circa umbilicum contingunt, vel *ventrales*, quæ in ventre in & circa muſculos abdominis reperiuntur; vel *crurales*, quæ in anteriori & exteriori parte femoris oriuntur, vel *inguinales*, quæ in inguinibus ſe ſe manifeſtant; & hæ iterum dividuntur in *perfectas* ſive *completas* vel *imperfectas* ſive *incompletas*. Hæ quæ ſcilicet in inguinibus ſubſiſtunt *bubonocelæ* audiunt; illæ vero, ubi ad ſcrotum uſque inteſtina vel omentum vel utrumque ſimul prolabuntur, *oſcheocelæ* nominantur. Ratione contentorum etiam variis rurſus, ut jam dictum eſt, inſigniuntur nominibus: nam ubi *inteſtinum* ſolum herniam conſtituit, vocatur *Enterocele*: ubi *omentum* ſive *epiploon*, nominatur *Epiplocele*: ubi vero ambæ hæ partes, inteſtinum ſcilicet & omentum, ſimul tumorem conſtituunt, nomine *Entero-Epiploceles* venit. *Differentia.*

§. III.

§. III.

*Partes affecta.* Partes autem hernias conſtituentes in univerſum ſunt *inteſtina*, ſpeciatim vero & potiſſimum in *umbilico* inteſtinum *jejunum*, nam umbilico proximum eſt; & interdum quoque inteſtinum *colon*: ſed *ileum* in herniis & ventralibus & inguinalibus & ſcrotalibus utplurimum prolapſum deprehenditur, & quandoque etiam *cæcum* cum *proceſſu ſuo vermiformi*: *Coli pars* aliquando, nimirum cellula quædam ejus, imo interdum totus ejuſdem arcus in ſiniſtro inguine non raro excidit, in dextro autem latere fortius adhæret oſſi ileo, quam ut facile prolabi poſſit [*a*]: interea tamen negare nolo etiam quandoque partem ejus & in dextro latere expelli poſſe; quia membranæ, quibus adhæret, ſæpe valde relaxantur, ſicut ex obſervatione infra referenda patebit. *Omentum* quidem haud raro adeo breve in hominibus bene valentibus reperitur, ut umbilicum vix ſuperet, (unde etiam extant Epiplocelæ circa umbilicum) interea tamen etiam ſæpe uſque ad pelvim deſcendit, adeoque haud raro reperiuntur exempla, illud in ſcrotum vel ſolum vel una cum inteſtinis prolapſum fuiſſe. Notabile exemplum obſervavit & deſcripſit jam diu *Excell. Præſes* in Ephem. Nat. Curioſ. Centur. V. obſerv. 85. pag. 164. ubi in viro ſexagenario in ejus utroque inguine Epiplocelas adfuiſſe mediante cultro anatomico demonſtravit, & omentum in altero latere in ipſum uſque ſcrotum prolapſum eſt inventum. *Partes per quas inteſtina prolabuntur* ſunt (1) *muſculi abdominis* & quidem *recti*, ſpeciatim vero illorum quaſi medium, quod *umbilicus* appellatur, qui muſculis clauſus non eſt, ſed ſolum peritonæo & tendinea quadam lineæ albæ ſubſtantia. (2) muſculi *oblique deſcendentes*, *oblique aſcendentes* & *tranſverſales* in herniis ventralibus. (3) ita dicti *annuli* prædictorum muſculorum abdominis, ubi vaſa ſpermatica in viris, ligamenta vero rotunda in mulieribus tranſeunt, & denique (4) ille locus ſub arcu tendineo, ſub quo vaſa cruralia, muſculus pſoas & iliacus e ventre egrediuntur.

§. IV.

*Diagnoſis* Quoniam igitur diverſæ herniarum ſunt ſpecies, ideoque illarum diagnoſis diverſa cognoſci debet methodo: Quod ad *Epiplocelen* ſive herniam ab omento ſolo factam attinet, rarius quidem illa occurrit, hinc a quibuſdam in dubium vocatur [*b*]; ſed illam re vera contingere poſſe, non ſolummodo ex obſervationibus *Excell. Præſidis* probavi, verum & præter antiquiores, recentiſſimi chirurgi *Dionis*, & *Garengeot* in operationibus ſuis chirurgicis & *Dranius* [*c*] teſtantur, tam gravia quandoque ab hac ſola parte prolapſa, orta

[*a*] Vid. *Mauchartus* in diſſ de hernia incarcerata ſolerti delineatione illuſtrata &c Præſide *Camerario* Tubingæ a 1722. impreſſa.

[*b*] Vid. *Veſal* anat. l. V. cap. 4.

[*c*] in obſervationibus chirurgicis Tom. II. obſ. 63. pag. 59.

orta eſſe ſymptomata, quam ab ipſa hernia inteſtinorum incarcerata: Adeoque *Excell. Præſes* in Chirurgia ſua, capite 120. ita de ea differit: „ *Epiplo-* „ *celen adeſſe intelligitur, ſi tumor inæqualis, mollis atque lubricus, & retento* „ *ſpiritu aut conatu excernendi alvum, non magnopere increſcens, circa peri-* „ *tonæi proceſſus, vel & quandoque a peritonæi proceſſibus ad ſcrotum uſque pro-* „ *tenſus animadvertitur. Depreſſo digito nil murmuris auditur, neque talis* „ *durities aut inflatio ut plurimum perſentiſcitur, qualis ab enterocele oritur*". Interea tamen & *Epiplocele incarcerari* poteſt, atque tunc ob connexionem omenti cum fundo ventriculi vehementius & ſæpius ventriculus vellicatur, hinc ſingultus, inflammatione autem accedente, vomitus materiæ ſpumoſæ, bilioſæ ſupervenit, alvo interim plerumque aperta: qualia exempla reperiuntur apud *Dranium* [*d*] & *Garengeot* [*e*]. *Enterocele* vero ſive hernia inteſtinalis cognoſcitur, quando cutis indecore in abdominis quadam regione inſtar tumoris intumeſcit, tumor iſte digitis preſſus (niſi partes prolapſæ extus vicinis partibus conferbuerint & adhæreant) plerumque in ventrem cedit, atque dum hoc fit, ſæpe ſonum aliquem ſive murmur aliquod, quale ſæpius etiam ſponte in nobis percipitur, edit, præſertim ſi æger ſupinus decumbit: remotis vero digitis, cumprimis ægro ſurgente aut tuſſiente, denuo idem in conſpectum prodit, inteſtinis rurſus prolabentibus & identidem murmur quoddam concitantibus. Per tuſſim, ſpiritum retentum, vel niſum etiam, qualis in exoneranda alvo aliiſve conatibus adhibetur, mirifice ſæpe hic tumor cum duritie increſcit; frigus illum aliquo modo contrahit, calor vero magis eum expandit: Simulatque igitur tumorem ejuſmodi duriuſculum cum prædictis phænomenis aliquandiu in ventrem repellere poſſumus, tunc clare apparet *Enterocelen* adeſſe, & hæc eſt ſpecifica differentia ab herniis reliquis. *Enterocele* vero ab inſigni violentia & ſubito ſæpe orta, tumorque uno impetu inſurgens, facile fit *incarcerata*, ob annuli aut loci, per quem inteſtina evolvuntur, anguſtiam, quod genus plerumque omnium peſſimum. Nam mox peſſima ſequuntur ſymptomata, nimirum dolores quaſi colici ac cruciatus in abdomine vehementiſſimi, anxietates, febres, inflammatio ſacci hernioſi, cutis, inteſtini, nauſeæ, ructus, vomituritiones, vomitus primo ciborum aliorumque contentorum ventriculi, chyli, bilis, deinde etiam quandoque fæcum alvinarum, vel ſaltem materiæ fæculentæ his parum abſimilis, quod vulgo tunc *iliaca paſſio* ſive *miſerere* vocatur: accedit tandem gangræna & ſphacelus, niſi in tempore convenientia auxilia adhibeantur, ac tandem ruptura ſpontanea tam integumentorum, quam ſacci hernioſi, imo & ipſius inteſtini prolapſi, & ſæpe mors. *Inteſtina* autem ſi una cum *omento* foras prodeunt, & tumorem conſtituunt, vocatur *Entero-Epiplocele*, ſed non niſi a ſignis Enteroceles differt, quam quod inteſtinis in abdomen repoſitis, maneat adhuc tumor quidam mollis & aliquo modo inæqualis.



[*d*] Obſ. LXIII.
[*e*] Oper. chir. Tom. I. pag. 373.

§. V.

*Cauſſæ herniarum.* *Cauſſa* harum herniarum, de quibus hic agere conſtituimus, eſt vel *interna* vel *externa*. *Interna* eſt ubi peritonæum, muſculi abdominis & præſertim eorum annuli & aponeuroſes, vel naturaliter valde laxa ac debilia ſunt, ita ut cedant contentis abdominis, tam a diaphragmate, quam a muſculis abdominis ſæpe preſſis; atque hinc fit, ut infantes quandoque cum herniis naſcantur, vel jam primis a die natali diebus eis infeſtentur, qualia exempla non ſolum varii autores notarunt, ſed & *Excell. Præſes* vidit; vel ſucceſſu temporis varias ob cauſſas fibræ peritonæi & aponeuroſes muſculorum abdominis ita debilitari & relaxari poſſunt, ut leviſſima data cauſa inteſtina prorumpant. Quam ob cauſſam homines circa paludes habitantes, aut victu valde pingui, ut butyro, caſeo, oleo &c. multum utentes, magis quam alii herniis ſive ramicibus obnoxii a quibuſdam notati ſunt [*f*]. *Externæ* cauſſæ pro herniarum diverſitate variæ eſſe poſſunt: ſic enim *omphalocele*, *bubonocele*, *oſcheocele* & *hernia cruralis* vel a ſubito eodemque gravi lapſu, vel ſaltu, vel motu, vel ictu vehementiori, vel fortiori in tuſſiendo, ſternutando, vociferando atque attollendis aut movendis ponderibus niſu, vel ab equitatione vehementiori, vel a difficiliori mulierum partu, teneſmo, vel infantum vehementi ejulatu naſcuntur. *Ventrales* vero herniæ utplurimum læſionem violentam, ictum, lapſum, & ſæpiſſime vulnera abdominis male curata, & diductum a quacumque cauſſa peritonæum pro cauſſa agnoſcunt: nam quando ejuſmodi læſione muſculi abdominis vel diſſecti, vel contuſi, aut lacerati atque hac ratione debilitati fuerunt, poſtea preſſioni diaphragmatis & muſculorum adhuc integrorum reſiſtere non poſſunt, ſed cedere ſenſim coguntur. Notabile eſt exemplum, quod *Celeb. Præſes* ſuperiori anno obſervavit & mihi retulit *de hernia ventrali*, & quidem in gravida orta. Hæc ſcilicet ſexto vel ſeptimo menſe gravida ſubito in genu ſe proſternere & e terra aliquid elevare voluit; verum in hoc motu ſive actu violentiſſimos cruciatus in ſiniſtro abdominis latere percepit, ſecuti inde mox ſunt partus dolores & fetum mortuum peperit. Paulo poſt tumorem amplum in ſiniſtra & media abdominis parte ſenſit, quem cum *Excell. Præſes* examinavit, eumque intus repellere potuit, agnovit herniam ventralem adeſſe, quare cingulum ſive vinculum idoneum ordinavit, quod tumorem hunc reprimeret & contineret.

§. VI.

*Prognoſis* *Enterocele* in infantibus, pueris & adultis quandiu inteſtina libera ſunt & facile refundi queunt, periculo deſtituta eſt: quando vero ob quamcunque cauſſam locus prolapſus conſtringitur, vel inteſtina fæcibus aut flatibus nimis replentur, aut poſt magnam violentiam ſubito per anguſtum foramen pro-

[*f*] *Garengeot* oper. chir. Tom. I. pag. 243.

protruduntur aut prolabuntur, neque refundi in abdomen poſſunt, tunc æger magnis cinctus eſt periculis; ſequuntur enim hanc inteſtinorum incluſionem omnia *morbi iliaci* peſſima ſymptomata, & niſi cito medela affertur, æger miſerandum in modum diem obire cogitur ſupremum; vel inteſtina incluſa & conſtricta poſt inflammationem gangræna & ſphacelo una cum partibus ea cingentibus corripiuntur, unde non niſi ſummo vitæ periculo eripi & ſervari poſſunt. *Epiplocele* ſæpius non magni eſt momenti, quando autem, ut quandoque fit, quoque in carcere quaſi detinetur omentum & inflammatur, tunc eadem ſæpe ut jam dictum eſt, mala ſequuntur, & niſi brevi pereant, utplurimum fit ſuppuratio omenti & abſceſſus. Ubi *Entero-Epiplocele* ſive inteſtina cum omento prolapſa, ibi periculum non adeo urgens eſt, quam ubi ſola inteſtina prolapſa ſunt: nam omentum, tanquam corpus molle, inteſtina involvit, ſicque conſtrictionem annuli non tanta vi experitur, quantam ſolum inteſtinum alias ſufferre cogitur.

## §. VII.

*Curatio ubi inteſtina facile refundi poſſunt.*

Pergendum mihi nunc erit ad *curationem* herniarum inteſtinalium; quæ vero pro diverſitate morbi ac temporis morbi varia admodum eſt: atque nunc facilior, nunc difficilior, lenior aut vehementior, prout morbi natura & mala complicata hoc exigunt. Sed quoniam alii jam ſatis de herniis conſuetis curandis egerunt, mihi vero animus ſit præcipue de hernia incarceratâ & ſpeciatim de ea, ubi ſuppuratio ſupervenit, agere, hinc de cæteris non niſi breviter agere conſtitui, relegando potiſſimum lectores ad *Excell. Præſidis* chirurgiam. In hernia igitur leviori & libera ſive boni moris, ubi inteſtina facile in ventrem refundi poſſunt, præ omnibus hæc refundenda ſunt. Igitur a *repoſitione* ſive *taxi* ordiar, quæ ſcilicet optime fit ægris reſupinis jacentibus, caputque depreſſum, clunes vero elevatos habentibus, ubi medicus vel chirurgus tunc leniter atque oblique digitis ſuis comprimendo conquaſſandoque tumorem hernioſum partes prolapſas in priſtinum reponat locum; quod in herniis liberis plerumque ſatis facile contingit. Repoſitione facta nil fere niſi vinculo quodam, faſcia aut cingulo idoneo opus eſt, quo ægris adhuc *junioribus* foramen, per quod inteſtina prolapſa fuerunt, ita conſtringi atque anguſtari poteſt, ut, quamvis non omnino, uti experientia docuit, glutinetur, tamen ab herniis curari & liberari plerumque ita ſolent, ut malum nunquam redeat, & quaſi foramen omnino glutinatum ſit. *Si vero æger ætatis jam profectioris*, tunc a faſciis nulla fere plenaria curatio expectanda, ſed tantum palliativa. Interea tamen per ſcalpellum, idque ſicuti vulgo moris erat vel *cum teſticuli exſectione*, quæ vero curatio nefanda, atque omnino rejicienda eſt, quemadmodum *Excell. Præſes* tam in chirurgia ſua, capite de enterocele, quam in peculiari Diſſertatione de Kelotomiæ abuſu tollendo, jam diu oſtendit; vel *cum conſervatione teſticuli*, ſolius ſcilicet ſacci hernioſi, poſt factam te-

gumentorum prudentem inciſionem in inguine, & poſt repreſſa inteſtina, apta ligatura: ſicuti hoc *Excell. Præſes* jam olim in chirurgia ſua deſcripſit, & nuperrime poſt hunc chirurgus Lubeccenſis in peculiari de herniis libello germanico [ *a* ].

## §. VIII.

*Ubi hoc difficu'ter aut non fieri poteſt.*

Ubi vero huic primo tentamini repoſitionis ope manuum non obtemperat hernia, chirurgus ab ulteriori & præſertim fortiori aut vehementiori impetu abſtineat; quoniam ob nimiam extus factam compreſſionem partibus prolapſis jam jam quaſi in carcere detentis, facile inde accedere aut ſupervenire poteſt inflammatio, gangræna & ſphacelus: ſed enematibus potius emollientibus & leniter ſtimulantibus una cum cataplaſmatibus ex mica panis albi in lacte paululum decocta, cum vel ſine butyro & croco paratis, calide ſæpe appoſitis emollitionem & poſtea iterum repoſitionem blande intendat. Si adeſt inflammatio, vel æger ſanguine abundare deprehendatur, venæ ſectio eaque larga in brachio inſtituta magni eſt momenti, quæ etiam pro rerum circumſtantium varietate repeti poteſt. *Interna etiam medicamenta* non ormittenda, ſed carminativa & antiſpaſmodica hoc in caſu valde proſunt: nam partim intus ſtimulando ſive irritando inteſtina, hæc ſe contrahunt, atque ſic partes prolapſas ſæpe retrahunt, partim demulcendo ſive emolliendo ergaſtulum ab annulo factum aperiunt. Ubi vero horum aliquandiu uſu refundi in abdomen nequeant inteſtina, vel etiam, ſi placet, mox in principio longe optimum erit, ſi *herbæ nicotianæ optimæ notæ fumus* peculiari fiſtula [ *b* ] tamdiu in anum impellatur, donec magnus conatus ad alvum ſolvendam ſuperveniat, vel revera alvus ſolvatur, & inteſtina relabantur. *Excell. Præſes* hocce remedio varias ejuſmodi curavit hernias interceptas, ubi ægri jam erant in ſummo vitæ diſcrimine, & quæ alias non niſi ſcalpello curari potuiſſent. Sed ubi his omnibus adhibitis, nulla reductionis ſpes apparet, aut remedia hæc ab ægris fuerunt neglecta, ſymptomata vero ingraveſcunt, tunc nulla, ut gangrænam & mortem evitemus, ſupereſt medela, quam *ſcalpellum.* Modum vero ſcalpellum in hoc malo rite dirigendi pulcherrime deſcripſit *Excell. Præſes* in chirurgia ſua, ut & *Garengeot* in operationibus ſuis chirurgicis Tom. I. p. 300,

§. IX.

[ *a* ] *Zacharias Vogel*, de herniis & quomodo herniotomia ſine caſtratione ſit inſtituenda; verum quod *Excell. Præſes* & alii jam antea hac de re ſcripſerint, haud meminit.

[ *b* ] Vid. *Excell. Præſidis* Chirürg. Tab. XXIV. in editione germanica, ſed Tab. XXXIV. in mox proditura latina.

## §. IX.

*In mulieribus quare incarceratæ ſæpius obſerventur ſuppuratæ.*

Sæpius interim contingit, quod præſertim fœminæ herniis afflictæ interceptis ob pudorem intempeſtivum medicis aut chirurgis prudentibus malum oſtendere recuſent, indeque mora hac non ſolum augmentum mali & ſymptomatum experiantur, ſed & gangrænæ & ſphaceli, adeoque & mortis periculum ſibi accerſant. Medicus vero ſive chirurgus ad iſtiuſmodi generis ægras tandem accerſitus in deploratis fere hiſce malis tamen omnem curationis ſpem illis auferre non debet; nam extant multa exempla, tales, quæ etiam gangrænam & ſphacelum ex herniis jam paſſæ ſunt, tamen adhuc curatas fuiſſe ægras. Multi quidem imo plurimi chirurgorum hujuſmodi hernias pro abſolute exitialibus declararunt, & *Hippocratem* conſentientem habuerunt, qui dicit [c]: *Vulnera inteſtinorum præſertim tenuium lethalia eſſe*, ſicque ægras ſine omni fere ſpe & medela interire permiſerunt: quando vero recte rem perpendimus, non ſolum errant, verum etiam chirurgi, qui talibus ægris auxilium denegant, conſcientia tranquilla frui nequeunt. *Melius itaque eſt* ſecundum principum medicorum *Hippocratis* ſcilicet & *Celſi* præceptum, *in deſperatis morbis*, qualis hic eſt, *anceps experiri remedium*, *quam nullum*, id quod etiam felicem habuiſſe eventum exemplis quibuſdam affirmabo.

## §. X.

*Exemplum herniæ incarceratæ ſuppuratæ.*

Mulier quædam hic Helmſtadii figuli uxor, quinquaginta circiter annos nata, aliquot ab annis *hernia inguinali lateris dextri* cum ventris intumeſcentia afflicta fuit; de qua parum ſollicita multos ſemper ac graves peregit labores, & licet inteſtina ſæpius magna quantitate prolapſa fuere, id non curavit, ſed poſtquam blanda reponendi ratio non amplius ſucceſſit, propria inventa methodo, capite nimirum inverſo, pedibus vero ſurſum erectis, in priſtinum & naturalem illa remiſit locum, nempe in abdomen, remanente ſemper tumore aliquo parvo & molli. Anno vero ſuperiori 1727, tempore verno, inteſtina tantopere aliquando prorumpebant, ut illorum in ventrem repoſitio ægræ impoſſibilis fuerit, quamvis vario modo, variiſque corporis poſituris id tentaverit. Hunc prolapſum ſequebantur tormina, dolores ventris acerbiſſimi, nauſea, vomitus, obſtructio alvi pertinax, ſingultus, inflammatio tumoris; quo in deſperato ſtatu chirurgum advenire curant affines, qui clyſmatibus dolores ventris lenire, & cataplaſmatibus emollientibus tumorem inflammatum in inguine ſolvere & emollire ſtuduit: ſed hæc omnia fruſtranea fuerant, tumor indies creſcebat, inflammatio augebatur, reliqua ſymptomata continuabant, & hernia tandem tactu mollior invehiebatur. Chirurgus ex his ſymptoma-

 tibus

[c] Sect. VI. aphor. 18. 24.

tibus judicans nulla inteſtina, ſed pus in hocce tumore comprehendi, atque ſimplicem abſceſſum eſſe, cauſticum ei altero applicare voluit die: proximo vero mane cum reverteretur, tumorem ſua ſponte apertum invenit, atque ex hac apertura multa excrementa una cum lumbricis exitum ſibi quæſiverant, venter vero gracilior quam antea factus erat. Vulnus una cum amplo ſpatio in inguine & abdominis inferiori regione inveniebatur ſphacelo corruptum, cum ingenti fætore, ita ut magna vicinarum partium corrupta portio ſenſim ablata fuerit. Cum vero hoc in ſtatu chirurgus conſilium atque auxilium a *Celeberrimo Præſide* peteret, hic ſuaſit, ut ulcus hoc ampliſſimum & fætidiſſimum linamentis carptis contortis bono unguento digeſtivo ex terebinthina, vitellis ovorum & myrrha imbutis impleret, & bis in die denuo deligaret, ulcuſque in deligatione ſemper a ſordibus & fæcibus alvinis probe purgaret, quo factum eſt, ut ſenſim partes ſphacelo corruptæ a ſanis ſeceſſerint, & ulcus tandem probe purgatum ſe oſtenderet. Quo tempore ægra ſemper in lecto decubuit, & parca diæta uſa eſt. Poſtea chirurgus vulnus eſſentia quadam vulneraria ex herba hyperici, agrimoniæ, aliiſque ejuſmodi herbis parata, loco unguenti digeſtivi uſus eſt, qua ulcus ſenſim magis magiſque coivit. Interea tamen quamvis fæces alvi quotidie per ulcus adeoque & per vulnus inteſtini, quod interceptum erat in hac hernia, una cum variis magnis lumbricis prodirent, ſimul etiam reſpondebat alvus, ubi & cum his fæcibus vermes ſuum reliquerunt domicilium: nam durante hac curatione ſeptendecim numerarunt lumbricos, qui tam per ulcus quam etiam per alvum prodierunt, maxima tamen pars per ulcus in inguine. Tandem vero ope prædictæ eſſentiæ vulnerariæ ulceris apertura ſtudio chirurgi plane conſolidata eſt, unicum tantum, ſi excipis, quod ſupereſt foraminulum omnem ſpernens glutinationem, ex quo aliquando guttulæ paucæ liquidi flavi, turpethi mineralis colorem æmulantes ſine incommodo exſtillant, ægra ceteroquin ſana & munera ſua, ut antea, rurſus perficit.

## §. XI.

*De lumbricis in herniis obſervatis conjectura.*

Hoc in caſu notatu digna occurrit obſervatio, nimirum quod e vulnere & alvo *lumbrici* ſæpe rejecti fuerint, id quod & in aliis ejuſmodi caſibus obſervavimus, mea de illis ſententia eſt, quod lumbrici, præſertim ubi multi ſunt, *cauſſam herniæ incarceratæ conſtituere poſſint*, dum inteſtinum prolapſum partim mole ſua obſtruunt, ut ſubſequentes fæces & flatus pergere nequeant; partim morſibus & punctionibus ſuis inflammationi inteſtini prolapſi, ubi captivi quaſi hærent, partiumque vicinarum occaſionem præbere queant. Deinde mihi etiam veriſimile eſt, quod inteſtinorum ſuppurationem ſive rupturam promovere valeant: nam inteſtino incarcerato vix ullum amplius victum recentem accipere poſſunt, quam illum, qui jam cum eis incluſus eſt, hinc optimo fæcum conſumto alium

ſibi

ſibi conquirere conantur, ſed cum nullum invenire aut alio modo accipere queunt, inteſtinum morſicant & perforant: id quod ſæpe contingere, tum ex hac aliiſque noſtris obſervationibus infra adhuc recenſendis, tum ex hiſtoriis medicis abunde conſtat, unde unicum tantum nunc afferam exemplum, quod extat apud *Allenium* [*d*]. „ Fæmina ſcilicet 45. annos „ nata, robuſta, & laboribus aſſueta, dolori colico quandoque obnoxia „ (*id quod hernia inteſtinali laborantibus valde conſuetum eſt*) alias ſana, tu„ morem habuit in inguine ſiniſtro quem *herniam* credebat, durabat enim „ integrum annum ante diſruptionem. Interea circa dictam periodum, fæ„ mina ileo correpta eſt, a cujus morbi cruciatibus, ac immani vomitione „ ruptus eſt in inguine tumor & effluxit tenuis humor flaveſcens. Chirur„ gus accerſitus ſtylo immiſſo largam cavitatem detexit; foramen ſenſim „ ſpongia præparata dilatatum eſt, & magna copia prædicti humoris in „ dies evacuatur. Die decimo in foramine apparuit *lumbricus vivus*, quem „ chirurgus detraxit: poſt duas vel tres ſeptimanas eductus eſt alius *lum*„ *bricus* priori non diſſimilis: tribus circiter menſibus ſanatum eſt ulcus, „ & mulier ex illo tempore bene ſe habuit". In hocce caſu duo tantum lumbrici producti ſunt; in noſtro ſeptendecim obſervati, & in principio ſingulis fere primis diebus, cum deligatio renovaretur, aliquis novus inter fæces in inguine repertus eſt. Plura de lumbricis, qui inteſtina & ventrem perforarunt, exempla videri poſſunt, apud *Schenkium* [*e*], *Mortonum* [*f*], alioſque plures, quos nimiæ evitandæ prolixitatis gratia lubens hic prætermitto.

## §. XII.

*Quomodo rupto inteſtino fæces per alvum exire potuerint.*

Hoc in caſu noſtro §. X. deſcripto alia adhuc contingit obſervatio, atque difficultas explicanda, nempe quod *herniæ iſti jam ſuppuratæ, ruptoque inteſtino, quod interceptum fuit, alvus reſponderit*, quod canali inteſtinorum integre dilacerato ſive diſſecto fieri profecto nequit. Ad hoc vero dubium illuſtrandum ſciendum, haud raro non integram inteſtinorum partem ſphacelo corrumpi, ſed tantum in una inteſtini pariete ulcus fieri; hinc fæces per motum periſtalticum adhuc ſuperſtitem, tam ad hoc ulcus ſive vulnus inteſtini, quam ad canalis continuum propelluntur, ſicque nonnullæ etiam, imo quandoque maxima pars per anum excernuntur, hoſque ægros etiam non in tam magno periculo, quam eos, ubi integra pars inteſtini corrupta eſt, verſari puto. Notari etiam meretur, fæces per alvum emiſſas ſpiſſiores & duriores in hac ægra fuiſſe, quam quæ e vulnere effluxerunt, ratio hujus forte erit, quod in inferiori tractu inteſtinorum,

[*d*] In Synopſis univerſæ medicinæ practicæ addendis pag. m. 55.
[*e*] Obſervat. pag. 408. 409.
[*f*] Hiſt. natural. Northampt. pag. 467.

rum, quem tranſire coguntur, liquidior pars a vaſis lacteis & lymphaticis abſorbeatur, hinc reliqua pars magis ſpiſſeſcit.

## §. XIII.

*Alia hujus phænomeni ratio.*

Alia præterea hujus phænomeni ratio dari poteſt. Nimirum obſervatum eſt, inteſtina quandoque habere certas appendices ſive proceſſus, quales varii notarunt [g]: quando itaque ejuſmodi appendices prolabuntur, quemadmodum quandoque prolabi poſſunt, ſimiles hernias conſtituunt; quæ vero, quando in carcere quaſi detinetur, eadem gravia ac periculoſa ſymptomata gignere ſolent, ac ſi totus inteſtini cujuſdam tractus incluſus eſſet. Ut vero hæc res clarius pateat, figura hoc illuſtrare a ſcopo noſtro haud alienum erit. Nimirum Figura I. denotat fruſtum inteſtini ilei, cum peculiari ejuſmodi appendice ſive diverticulo ex *Ruyſchii* muſæo anatomico ſive catalogo rariorum pag. 63. mutuata.

A. A Inteſtini ilei portio eſt.

B. Diverticulum præter naturam, ſive ſaltem inuſitatum, e latere hujus inteſtini meſenterio oppoſito C. productum, qualia haud raro in herniis prolabuntur; vel in herniarum generatione ex latere inteſtini expulſo forte generantur; quod ſenſim a preſſione inteſtinorum & flatuum diduci & prolongari poteſt.

C. Locus ubi diverticulum hujus inteſtini B. ex latere emergit; id quod ad phænomenon herniæ incarceratæ & ſpeciatim ſuppuratæ, ubi ægri per anum quoque fæces excernunt, imo poſt curationem omnes rurſus fæces, ut in noſtra aliiſque ejuſmodi ægris factum eſt, explicandum egregie facit. Nam licet hic proceſſus B. ſphacelo corruptus ſit, inteſtinum rurſus ſe claudere circa locum C. poteſt, ita ut excrementa deinde viam naturalem rurſus ſequantur.

## §. XIV.

*Curatio herniæ incarceratæ, quomodo inſtituenda.*

Quando itaque medicus aut chirurgus ad iſtiuſmodi ægros accerſeretur, quibus hujuſmodi hernia in ſuppurationem verſa eſſet, ante omnia probe, quantum fieri poteſt, purgato prius ulcere linteolis, vel ſpongia a ſordibus, reſpiciat, quæ & quanta ſit a ſphacelo corrupta, tam inteſtini, quam cutis portio, quæ quantum tuto fieri poterit, ſervando ſanum & integrum, reſecanda; reliquum autem partium externarum ad ſanum uſque, donec ægri dolores ſentiant ſcarificandum, vel etiam, ſi lubet, donec ſponte ſeparentur & cadant, id quod magis mihi placet, relinqui poſſunt, ita

[g] Vid. *Ruyſch.* Muſæi anatom. p. 63. fig. 3. itemque in Theſaur. Anat. VII. p. 43 itemque *Littrius* in Act. Acad. Reg. Pariſ. An. 1700. qui etiam hernias inde ortas & curatas notavit.

ita metuendum non eſt, ne inteſtinum forte adhuc ſanum ſcalpello aut forfice lædatur; & unguento quodam digeſtivo, ſicut ſupra §. X. jam dictum eſt, illinendum, ſuperimpoſitis e linteo carpto confectis glomerulis, atque emplaſtro: his ſuperponatur aut ſpiritus vini calidus, aut etiam cataplaſma emolliens vel ex mica panis albi cum lacte decocta, vel ex herbis etiam emollientibus & vulnerariis. Præterea proderit in plethoricis venæ ſectio; quæ vero in debilibus & ſenibus, qualis noſtra erat, omittenda. Interne vero mixturæ ſive potiunculæ roborantes, itemque pulveres temperantes & diaphoretici ex lap. cancr. antimon. diaph. conch. præpar. tartaro vitriol. arcano dupl. nitro depur. Subinde externæ partes circumjacentes ſpiritu vini camphorato fricandæ. Quam maxime autem medicus ſive chirurgus caveat, ne inteſtinum læſum ſive corruptum in abdomen refundat: quia non ſolum reliqua inteſtina inde ſphacelo corrumpi poſſent, ſed & fæces & materia purulenta in abdominis pelvim diffuſæ mortem inducerent. Hanc ob rationem quoque vitandæ erunt adeo dilectæ a quibuſdam turundæ, itemque fortior faſciarum in deligatione conſtrictio; ſed opera potius danda, ut ulcus quam leniſſime deligetur, quo fæces libere in linamenta carpta, & ſplenia impoſita effluere queant. Mundato ulcere, balſamo vulnerario & emplaſtro glutinatio abſolvi poteſt, ſi ſcilicet ſanationem ulceris ratio ſuſcipit. Si contrarium obtinet, æger vel moritur, vel foramen, quod ani vicem præſtat, præſertim ubi integer tractus inteſtini ablatus eſt, remanet. Diæta ſit tenuis, vitando omnia, quæ difficilioris ſunt concoctionis, & potus ſit aqueus citratus.

## §. XV.

*Alius periculoſior caſus.*

Diætam ineptam & pravam his in affectibus multum ad mortem conferre, ſequens probabit exemplum. Tenuiſſimæ ſortis fæmina quædam per aliquot annos hernia inguinali afflicta fuit, attamen ſine notabili incommodo: cum vero ſuperiori anno grave quoddam attollere voluerit pondus, inteſtina cum impetu magis prorumpunt, ita ut reponere illa non potuerit. Multis cruciatibus domum reverſa, tandem chirurgum ad ſe accerſit, qui clyſmatibus & cataplaſmatibus emollientibus prolapſa inteſtina emollire & in abdomen refundere voluit; ſed malum nullo modo ceſſit, imo ne quidem mitigatum eſt, dolores potius atque anxietates augebantur, & vomitus tam excrementorum, quam vermium ſubſequebatur; id quod tam diu duravit, donec tumor valde inflammatus, poſt multos exantlatos cruciatus die 14. ſponte rumperetur, & excrementa una cum vermibus e vulnere exirent. Inguinis dextri integra regio ſphacelo corrupta erat, ut in priori ægra, & patiens, cui ob paupertatem & victus idoneus & medicamenta deerant, tandem poſt aliquot dies in ſumma debilitate diem ſuum obiit ſupremum. Anatomico illa a *Celeb. Præſide* præſentibus multis medicinæ & chirurgiæ ſtudioſis ſubjiciebatur cultro, & canalis

 inte-

inteſtini ilei, haud procul a cæco corruptus reperiebatur, uti videndum in Figuris II. & III. Nam in Figura II. quæ eſt pars inteſtini craſſi & ilei cum pertinentibus.

A. B. Pars illa ilei eſt, quæ finem ejus conſtituit, ubi conſpicitur, quomodo inteſtina craſſa adeat, & in ea a latere inſeratur; ad lit. A. vero, quæ in ulcere inguinis hærebat, ſphacelo corrupta, & ab altera ilei parte Fig. III. B. C. ſeparata prorſus erat.

C. C. Inteſtinum cæcum dictum.

D. D. D. D. Pars inteſtini coli collapſi hic & anguſti, quia fæces & flatus ex tenuibus inteſtinis ad hoc non amplius ingredi poterant, quoniam cum eo hoc in cadavere non amplius cohærebat, dum pars ſphacelo deſtructa erat.

E. E. Proceſſus vermiformis cæci.

F. F. F. Unum ex ligamentis coli in proceſſum vermiformem deſinens.

In Figura III. denotatur litera

A. Pars ilei cum jejuno & ventriculo communicans.

B. Pars ea ſive extremum cum ulcere inguinis nexa.

C. Apertura ſive os, ubi facta herniæ ſuppuratione excrementa & lumbrici ex ulcere & abdomine profluebant.

Puncta a. a. a. a. a. a. notant fruſtum ilei, quod in inguen prolapſum, incarceratum, ac denique ſuppuratione & putrefactione prorſus in hoc corpore deſtructum erat, adeoque fæces ex fig. III. A. B. in partem ilei extremam A. B. fig. II. neque ad craſſa inteſtina, neque ad anum pervenire poterant. Atque ſic fere ut plurimum res ſe habere ſolet, ubi integrum fruſtum ſive tractus inteſtini prolapſi perit, & anus in inguine relinquitur. Anus vero naturalis & inteſtina craſſa in ejuſmodi hominibus nullum amplius uſum habere ſolent, ſi ſuperſtites manent, ſiquidem etiam mulier hæc poſt ſuppurationem nulla amplius excrementa per anum reddidit.

## §. XVI.

*Alia herniæ incarceratæ ſuppuratæ fauſta exempla.*

Alia fæmina cœlebs in oppidulo *Walbeck*, non procul Helmſtadio ſito habitans, per aliquot annos hernia inguinis ſiniſtri ſine ullo notabili incommodo afflicta fuit: nam ſemper cingulo ſive vinculo uſa fuit, cujus ope ulteriorem inteſtini prolapſum impedivit. Cum autem poſtea matrimonium contraxiſſet, cingulum iſtud rejecit: ſed quid fit? Cum gravida redderetur, & ad medium fere graviditatis tempus perveniſſet (quod circa finem æſtatis anni 1737. contigit) inteſtina magis magiſque prorumpebant, tandem ab ipſa refundi non poterant, & ſymptomata ilei concitabant; verbo, hernia evenit incarcerata, quæ deinde inflammata, atque in cancrum ſive ſphacelum atque ſuppurationem verſa, duobus in locis ſponte rupta eſt, & e vulnere ſive ulcere tam excrementa, quam lumbrici, egrediebantur, & ægra ſummam virium proſtrationem paſſa eſt, alvo tamen in-

terim

terim aperta. His in extremis pene temporibus chirurgum ex hac urbe, qui præcedentem §. X. deſcriptam curaverat, ad ſe venire curat; qui eamdem ſanandi rationem, quam ibidem & XIV. deſcripſimus, adhibuit, unde ulcus primo ita coivit, ut non niſi exiguum foraminulum remaneret, ex quo, ſi ægra tuſſi vexabatur, parva quantitas liquoris cujuſdam flaveſcentis effluxit; tandem vero, antequam pareret, omnino glutinatum eſt, fæcibus omnibus per anum prodientibus. Interea tamen hæc res mulierem hanc in ſummum conjiciebat metum, arbitrans, ſe circa partus tempus aut morituram eſſe, aut ſaltem hernia iterum afflictum iri. Sed hæc omnia fruſtra metuebat: peperit enim poſt quinque menſes infantem ſanum, & mater & infans adhuc incolumes vivunt. In alio vicino oppidulo, *Oebsfeld* dicto, etiam fæmina ultimo menſe anni 1737. hernia incarcerata, una cum ſymptomatibus ilei conſuetis afflicta fuit; ſed cum ſponte tandem poſt multos perpeſſos cruciatus apertus ſit tumor, excrementa & tres lumbrici ex ulcere exierunt, alvus tamen etiam reſpondebat. Hoc in rerum ſtatu chirurgus illius loci *Excell. Præſidem* ob curationem hujus mali conſuluit; qui prælaudatam curandi rationem cum bono victus regimine, decocto vulnerario & eſſentia traumatica *Wedelii* commendavit: quo factum eſt, ut non ſolum adhuc vivat, ſed etiam glutinatio ulceris ſenſim ſuccedat. Alius adhuc ex recentiſſimis ſupereſt caſus fæminæ cujuſdam pagum incolentis vicinum *Harbeck* dictum, quæ fabri lignarii ibidem uxor eſt. Huic, quum menſe Januario hujus anni 1738. hernia inguinis dextri intercepta ſubito correpta, & ex illa ſequente ileo cum vehementiſſimis cruciatibus abortum primo fætus trium circiter menſium perpeſſa fuerit, brevi poſt hernia in ſphacelum & ſuppurationem ſe vertit, magnaque excrementorum quantitas per ulcus ex inguine cancro ſive ſphacelo corrupto effluxit. Hoc in ſtatu conſilium & auxilium ab *Ampliſſ. Dn. Præſide* petit maritus; qui vero, ut tanto meliorem mali hujus cognitionem acquirerem, me ad hanc ægram videndam, & morbi ſtatum explorandum miſit, ac deinde illi ſupra laudatam methodum conſuluit, una cum diæta & internis medicamentis idoneis, quæ hactenus in uſum tracta ſunt, ægræque magno ſolatio fuerunt, vulnus vero jam mundificatum ſenſim glutinari incipit. Varia alia ejuſmodi exempla jam alias & vidit & curavit *Excell. Præſes*, ita ut dubium non ſit, quam plurimos ægros ab hiſce malis rurſus curari poſſe, ſi modo debita cura & a medico & ab ægro adhibeatur.

## §. XVII.

*Alia herniæ incarceratæ ſuppuratæ exempla.*

Hoc vero ut ulterius probem, nonnulla etiam exempla & obſervationes indicabo ab aliis autoribus notata, ut inde tanto melius conſtet, verum eſſe hernias ejuſmodi incarceratas, cancro corruptas atque ſuppuratas reſtitui rurſus poſſe. Primo exemplum proſtat in actis Philoſoph. Anglican.

N. 176. pag. 1204. itemque in *Lowthorpii* compendio horum actorum Vol. III. pag. 119. „ Ubi refertur, mulierem quamdam annos quaſi 40. „ natam, a vicino oppido domum redientem, ſubito corripi dolore vehe- „ menti inguinis dextri, cui ſucceſſit ſingultus violentus : poſt ſemihoram „ *tumor* ibi oritur ad quantitatem nucis moſchatæ, qui ſenſim fit *durus* „ & tandem *niger*. Mulier febre & aliis doloribus adeo vexatur (nullo „ in auxilium medico vocato) ut ſui impos neminem adſtantium cogno- „ verit, ita ut precibus publicis Deo, tanquam jam moritura, com- „ mendaretur. Tandem applicatione cataplaſmatis cujuſdam aperitur *bubo*, „ a quo aperto quicquid bibit, editve immutatum plerumque intra horæ „ quadrantem vel dimidium exit, ſine vel minimo ſeu in *ulcere* ſeu in „ inteſtinis dolore; ita ut cum die quodam lac coctum comediſſet, ex „ ulcere primo lac ipſum, poſtea coagulatum cum crepitu (tanquam ab „ ano) & ſpuma erupit. Tandem medicamentis idoneis per 14. dies ad- „ hibitis ſana evaſit. Ita in Actis Acad. Reg. Pariſienſis Anno 1700, *Littrius*, celebris quondam Anatomicus Pariſienſis, poſtquam eleganter de herniis incarceratis & præſertim eis, quæ ex appendicibus ſeu potius productionibus illis inteſtinorum præter naturam oriuntur, earumque diverſis, pro diverſa earum conſtitutione, curandi rationibus agit, tandem circa finem hujus Diſſertationis ait : *ſe tres viros, unamque mulierem vidiſſe*, qui *per inguina poſt perpeſſas hernias incarceratas* ſua *excreverint excrementa*, & quidem non ſine magna moleſtia. Quamvis vero ejuſmodi ſtatus hominum valde ſit moleſtus, plurimi tamen miſeram vitam trahere, quam mori, malunt.

## §. XVIII.

*Herniæ pro bubone inciſæ exempla fauſta.*

Plura exempla ex variis adhuc afferre poſſem autoribus, ſi opus eſſet, verum me meam ſententiam ex his jam ſatis abundeque ita probaſſe exiſtimo, ut pluribus forte non indigeam. Hoc vero ſolum hic adhuc in uſum medicum & chirurgicum addere volo, quod varia proſtent exempla, ubi ejuſmodi herniæ incarceratæ ab imperitis, aut ſaltem non ſatis prudentibus chirurgis, *pro bubonibus inciſæ*, atque ſic inteſtina contenta ſcalpello diſſecta fuerint; imo id etiam nonnunquam in conſueta herniæ incarceratæ ſectione, quam Galli *bubonoceles operationem* appellant, factum eſſe, in monumentis autorum litteris conſignatum deprehenditur. Verum nec hæc mala mox pro deſperatis eſſe habenda *Celeb. Præſes* ſtatuit; ſed vult, ut hæc diſſecta inteſtina non reponantur, quemadmodum nonnulli ſuadent & fecerunt [*b*], quia tunc excrementa in ventrem facile irruerent, & mortem concitarent; verum, ut vel relinquantur, præſertim ſi jam corrupta ſunt, & eadem ratione, ut ſupra §. X. & XIV. de herniis incarceratis ſponte ruptis propoſitum eſt; vel ſi adhuc ſana ſunt inteſtina prolapſa, ut extremum ſuperius inteſtini læſi,

[*b*] Vid. *Petr. de Marchettis* obſ. chirurg. LV.

læſi, cum inteſtinis ſuperioribus & ventriculo continuum, duabus vel tribus ſuturis, nodoſis dictis, cum cute, aliiſve ſi opus partibus vicinis jungatur, & reliqua pars ſana in ventrem refundatur, ita illa his partibus externis accreſcet, ut anus deinde maneat in inguine. Partis reponendæ extremum, quod cum craſſis inteſtinis continuum eſt, *Littrius* jubet filo conſtringi, antequam reponatur; verum hoc opus non eſſe exiſtimo: nam in eo cadavere, quod ſecuimus, & cujus ſectio ſupra §. XV. relata eſt, nil ex hoc fruſto inteſtini ilei fig. II. A. B. in abdomen effuſum eſſe deprehendimus. Sanari vero, imo & ſanata eſſe ejuſmodi mala, ubi loco bubonis herniæ incarceratæ inciſæ ſunt, præter alios patere poteſt ex obſervat. *Hieronimi Fabricii* ab *Aquapendente* in oper. chir. cap. de *Bubonocele*; qui refert, chirurgum quemdam, amicum ſuum, bubonocelen, quam ex mollitie bubonem ſuppuratum eſſe credidit, incidiſſe & inteſtinum cum multo vitæ periculo vulneraſſe. Ita & *Petrus* de *Marchettis* loco modo citato refert, in villico bubonocelen ab imperito chirurgo loco bubonis venerei eſſe inciſam, prodeuntibus alvi fæcibus: qui tamen brevi temporis ſpatio rurſus a *Marchetto* fuit curatus. Quamvis curatio ejus mihi, ob rationem modo indicatam, non omnino arrideat: *dum inteſtinum mox*, ut ait, *in locum proprium compulit digito ſuperimpoſito albumine ovi cum ſanguine draconis*, *atque ſplenio, quod arctius conſtrinxit*; quia ſic facile fæces in cavum abdominis cum mortis periculo incidere poſſent. Sic quoque *Stalpartius* vander *wiel* [*i*] exemplum memorat juvenis, in quo chirurgus loco bubonis herniam inguinalem incidit, inteſtinumque ſimul læſit; qui vero quoque tandem rurſus curatus fuit. Ex quibus, ut opinor, ſatis patet, non ſolum inteſtinorum vulnera non omnia promiſcue eſſe lethalia; ſed etiam ſpeciatim hernias incarceratas ſuppuratas ſæpe mortem non inferre.

## §. XIX.

*Turundarum uſus hic redarguitur*

Monere vero hic ratione curationis haud alienum eſſe exiſtimo, quod *Littrius* cum multis aliis chirurgis ejuſmodi ulceribus *turundas immittere* jubet; quas ego vero hic noxias eſſe exiſtimo. Nam per turundas, præſertim majores, efficitur, vel ſaltem conſervatur hic foramen, per quod fæces egrediuntur, exitumque hunc ita paratum deinde conſtanter conſervant, quemadmodum ex quatuor *Littrii* ægris videre eſt, qui omnes fæces per inguen excreverunt. Verum cum *Excell. Præſes* a turundis hic abſtinet, chirurgoſque ipſum in ejuſmodi malis conſulentes, ab iis abſtinere jubet, plerique ægri vel perfecte curantur, vel ſaltem non niſi perexiguum retinuerunt ulcuſculum, parvum ſpecillum vix admittens, per quod non niſi exigua pars laticis cujuſdam ſubinde exſtillat, fæcibus craſſioribus per anum rejectis; id quod longe minorem ægris creat moleſtiam, quam ſi vel omnes, vel ſaltem quamplurimas fæces per inguen perpetuo excernere cogerentur.



[*i*] in obſervat. med. chirurg. cent. I. obſ. 54.

§. XX.

*Herniæ incarceratæ ſuppuratæ exemplum in viro.*

Hactenus exempla herniarum incarceratarum ſuppuratarum, quæ in fæminis contigerunt, produxi, nunc videamus etiam unum alterumve in viris. Quamvis vero, *herniæ incarceratæ inguinales* ſive bubonocelæ ſuppuratæ, ut ex dictis patet, *ſæpius occurant ſcrotalibus*, *atque ſic frequentius ut nos obſervavimus*, *in mulieribus quam viris*, cum tamen, ſi ſolam rationem ſequamur, in his longe frequentius accidere deberent, primo, quia viri vehementioribus laboribus ſunt dediti mulieribus, & deinde, quia inteſtina longe plura in his, quam in illis procidunt, adeoque tanto facilius includi & conſtringi in ſcroto queunt. Interea tamen haud raro etiam in viris incidunt, atque primo quam maxime notabile hic referam exemplum, quod ante aliquot annos *Erxlebiæ* in vicino oppido contigit, quemadmodum hoc mihi a *Celeb.* D. *Præſide*, & chirurgo illo, qui ægrum hunc curavit, relatum eſt. Ruſticus ſcilicet juvenis ſeptendecim annos natus, poſt elevatum, magna vi, grave pondus ſenſit dolorem magnum una cum tumore in ſcroto, qui dolores ſenſim cum inflammatione creverunt. Chirurgus illius loci advocatur, qui pro ſcroti inflammatione rem conſiderat, omniſque generis cataplaſmata digerentia, ac tandem, cum reſolutionem ſe obtinere non poſſe conſpiceret, & tumor ſuppurationem ſpectaret, emollientia impoſuit: quibus tandem factum eſt, ut tumor ſcroti ruptus, & magna pars excrementorum per ulcus evacuata ſit. Hoc in ſtatu *Excell. Præſidem* conſuluit, qui malum mox pro hernia ſuppurata chirurgo declaravit, ſuaſitque, ut ulceri unguentum digeſtivum cum linteis carptis, deſuper vero, donec tumor cum duritie præterierit, & mundatio ulceris facta ſit, cataplaſma emolliens ac balſamicum adhiberet; quibus ulcus bene mundatum, & partes corruptæ tandem a ſanis ſeparatæ ſunt. Poſtea balſamo vulnerario loco præcedentium ulcus nutrivit, ita tandem, poſtquam fæces per duos menſes ex ſcroto prodierant, illud omnino glutinatum eſt, nulla amplius hernia, aliove malo in ſcroto ſuperſtite. Interea tamen ne malum facile a laboribus duris ruſticorum rediret, chirurgus huic juveni ſuaſit, ut arti ſarciendi ſe daret, id quod etiam fecit, atque ſalvus & incolumis adhuc hodie ſine hernia vivit. Hæc & pleræque herniæ ſuppuratæ, quæ ſine relicto ulcere in inguine curatæ ſunt, & ubi fæces rurſus per alvum deponuntur, ex *appendicibus* ſive *diverticulis* ejuſmodi inteſtinorum mihi ortæ videntur: nam alias ratio non pateret, quomodo integra inteſtini parte amiſſa fæces ad anum pervenire poſſent,

§. XXI.

*Signa herniæ incarceratæ a diverticulo factæ.*

Antequam vero nunc ulterius pergam, paucis in illud inquirere hic juvabit, quomodo hernia ejuſmodi a diverticulo nata incarcerari poſſit. Hoc autem fieri exiſtimo, quando materia in hac appendice, undecumque etiam

illa

illa producta ſit, collecta, nimis tenax atque viſcida eſt, ſed ope motus periſtaltici in ventrem reaſcendere nequit; quia fibræ ob nimiam inteſtini tunicarum extenſionem, quæ in producendo iſtiuſmodi diverticulo facta eſt, debiliores redditæ illam repellere nequeunt; muſculi vero abdominis, cum fundus ejus extra peripheriam eorum collocatus ſit, nullam in contentam hanc materiam tenaciorem evacuandi vim habent, imo potius regreſſui ejus reſiſtunt. Deinde in carcere detineri quoque diverticulum hujuſmodi poteſt, quando in vicinia tumor quidam naſcitur, qui non ſolum evacuationem materiæ in illo contentæ, ſed & ſanguinis in eo circulationem impedit, unde poſtea ilei ſymptomata oriuntur. Tales tumores eſſe poſſunt bubones vel vulgares, vel etiam ſic dicti venerei; quare medicus, ut jam dictum eſt, probe ſibi caveat, ne ejuſmodi hernias loco bubonis aperiat. Ut vero hæ herniæ rite dignoſcantur, & ab aliis incarceratis diſtinguantur, monendum eſt, in hiſce herniis incarceratis, a diverticulo factis, ut *Littrius* loco ſæpius jam citato docuit, inflammationem, dolorem, febrim, & alia ilei ſymptomata ægros tardius infeſtare, nec tanta vehementia, quanta in aliis herniis incarceratis ægros invadere, & alvum durante morbo plerumque eſſe apertam. Præterea notandum, ægros hos vel nullum vel rariſſimum experiri ſingultum, nullumque plerumque adeſſe vomitum, aut ſi adeſt, mitiorem, quam in aliis incarceratis herniis obſervari ſolet, atque ejectione materiæ fæculentæ per os deſtituti ſunt; venter denique non adeo tumens, ſed gracilior eſt, quam in eis incarceratis, ubi integri canalis inteſtinorum pars in ſacco herniæ conſtricta eſt: atque ex his ſignis has hernias a ſe invicem diſtingui poſſe exiſtimo.

## §. XXII.

Ut vero in viam, unde digreſſi ſumus, rurſus redeamus, de hernia incarcerata & ſuppurata in viris adhuc illi exemplo, quod ſupra §. XX. recenſuimus. ſequentia pauca adhuc addemus, & quidem ex *Diemerbroekio* [*k*], quæ ita ſe habent: „ Vir quidam ſexagenarius herniam in inguine ſiniſtro per multos annos habuerat. Tandem inteſtinum, quod in herniam inciderat, diſruptum fuit, atque ſtercora cum fætore intolerabili per herniam foras profluxerunt, nunquam per anum. Adhibito medicamento idoneo partes gangrænoſæ a ſanis ſeparabantur & decidebant. Tunc inteſtinum non tantum ruptum, ſed omnino tranſverſim abruptum eſſe, ejuſque partem ſuperiorem foras propendere, hincque ſtercora profluere animadvertimus. Hic inteſtini finis progreſſu temporis carnoſior evaſit, & quaſi carneum annulum acquiſivit, cum vicina carne firmiter coaluit, ita ut poſtea inteſtinum hoc loco ſemper fixum & apertum remanſerit, atque „ inde

*Aliud exemplum herniæ ſuppuratæ in viro.*

[*k*] Obſervat. LXVI.

„ inde ægro, cæteroquin ſano, præter voluntatem alvi fæces ſemper efflu-
„ xerint [*l*].

## §. XXIII.

*Alia herniæ incarceratæ ſuppuratæ obſervantur genera.*

Poſſunt & in ſuppurationem vergere aliæ herniarum incarceratarum ſpecies, nimirum *umbilicales*, *ventrales* & *crurales*, atque in his nulla alia opus eſt medela, quam illa, de qua hactenus prolixe diximus. Quod autem hernias umbilicales ſpeciatim attinet, illæ ſæpe ab *omento* originem ſuam trahunt, ideoque tunc & alia illis ſuppuratis tractandi ratio convenit. Nam hoc intus ſolo reperto in parte ejus ſana filum ope acus trajiciendum, & portio iſta omenti filo circumvoluto firmiter liganda; id vero, quod infra ligaturam deprehenditur, reſecandum, & ſanum una cum filo in abdomen refundendum, ita tamen, ut fili extremum extra vulnus maneat, donec ſponte inde ſeparetur; vulnus autem cutis, ut alias fit, mundandum & conſolidandum. Interim tamen contingit, inteſtina quoque herniam umbilicalem quandoque conſtituere, includi, & in ſuppurationem abire poſſe; quod ſi fiat, ſupra laudata methodus adhibenda, quam & in hiſce herniis bonum habuiſſe eventum teſtatur Cel. *Cheſeldenus*, partim in appendice ad anatomes ſuæ editionem quartam, partim in libro de alta operatione (*of the High operation*) in fine Tab. XVI: exemplum enim ibi refert, herniæ cujuſdam umbilicalis in muliere incarceratæ & ruptæ cum magna inteſtini parte corrupta, reſecta & rurſus ita curata, ut fæces per umbilicum ſemper prodierint. Sic & *Stalpartius van der Wiel* exemplum herniæ umbilicalis ſuppuratæ recenſet [*m*].

## §. XXIV.

*Curatio ubi diverticulum gangræna affictum eſt.*

Si vel in hernia incarcerata ſponte ſuppurata, vel ſacco herniæ ſcalpello, ſicut in conſueta hujus mali curatione fieri ſolet, inciſo, appendix aliqua inteſtini prolapſa, ex parte tantum gangræna corrupta deprehendatur, *Littrius* ſuadet loco ſupra citato [*n*], hanc appendicem in parte ſana filo eſſe conſtringendam, filum extra vulnus relinquendum, ipſum inteſtinum refundendum, caſum fili exſpectandum, & poſtea vulnus glutinandum; id quod prout major vel minor pars appendicis corrupta eſt, diverſa ratione faciendum eſſe prolixius ibidem deſcribit.

## §. XXV.

*Ubi inteſtini pars magna ſphacelo corrupta eſt.*

Quandoque ſi inteſtini magna pars prolapſa & ſphacelo corrupta deprehenditur, pars illa corrupta ſubinde ſtatim reſecari, & alterum inteſtini ſani extre-

[*l*] Qui de herniis incarceratis ſuppuratis plura ſcire cupit exempla, adeat A. N. C. Dec. I. anno 3. obſ. 132. Dec. II. ao. 3. obſ. 14. Dec. III. ao. 2. obſ. 51. Dec. III. ao. 4. obſ. 9. Acta Erud. Lipſ. anno 1689. Nov. p. 561.

[*m*] In obſerv. 58. Cent. I.

[*n*] Nimirum in Act. Acad. Pariſ. a 1700.

extremum alteri ſano immitti poteſt; ita quandoque, hæc duo extrema, id quod antea inauditum erat, rurſus concreſcunt. Hoc aliquando Sereniſſ. Brunſvic. & Luneb. Ducis chirurgus primarius *Ramdohrius* optimo cum ſucceſſu in fæmina quadam plebeia hernia incarcerata inguinali ſuppurata laboranti peregit: nam huic fæminæ, poſtquam ad eam vocaretur, fruſtum inteſtini duorum quaſi pedum longitudine una cum parte meſenterii ex ventre corruptum prorſus ad genua fere propendens reſecuit, alterum extremum alteri immiſit, at ope fili leniter conſtricti aliquo modo firmavit, atque ita in ventrem refudit; id quod præter ſpem tam bene ceſſit, ut altero jam die fæces rurſus per anum naturaliter excreverit, & brevi poſt omnino reſtituta fuerit. Poſt annum vero hæc mulier ex morbo quodam pectoris mortua eſt, ubi cadaver aperuit, & utraque extrema inter ſe invicem firmiter concreta invenit; quæ ex cadavere hoc reſecuit, & *Excell. Præſidi* dono miſit, qui ea etiam adhuc nunc in ſpiritu aſſervat.

## §. XXVI.

In diſſectis aut ita corruptis inteſtinis medicus maximopere attendat, quodnam extremum ventriculo ſit continuum: quando enim inferioris inteſtini fruſtum ſuperiori immitteretur, nulla glutinationis ac curationis ſpes erit; quoniam cibi aut fæces, a ventriculo venientes facile intra parietes inteſtini immiſſi hærerent, atque ſic alterum immiſſum extremum repellerent: adeoque ſuperius inferiori immittendum. Reſpiciendum igitur eſt, in quonam fruſto deprehendatur motus vermiformis ſive periſtalticus, & ex quonam materia quædam chyloſa per vices effluat, hoc certiſſime ſuperius ſive cum ventriculo communicans erit. Hæc cognitio etiam uſum habet, quando pars quædam inteſtini rupti pro novo ano formanda in vulnere eſſet vel aſſuenda vel ſaltem retinenda, ne ſuperius, ſed inferius refundatur. *Inteſtinis corruptis quid reſpiciendum.*


## §. XXVII.

Peculiare autem quid ſilentio hic prætermittere non poſſum, de remedio quodam vulnerario interno laudatiſſimo, quod ſemen eſt plantæ alicujus umbelliferæ, quo vulgus hiſce in regionibus tam in beſtiis, quam in hominibus, vulneribus, ulceribus, contuſionibus, fracturis, aut aliis læſionibus externis frequentiſſime utitur, & quo etiam pleræque ægrarum noſtrarum conſilio affinium & amicorum uſæ ſunt, qui id tanquam præſtantiſſimum remedium glutinans commendant. Raro quidem id in uſum hactenus a medicis adhibitum eſt: interea tamen in catalogis medicamentorum noſtrarum officinarum pharmaceuticarum vetuſtiſſimis reperitur ſub nomine *fœniculi aquatici*; quia fœniculi ſemini non multum abſimile eſt. Vulgus vernaculo ſermone, *Pferde-Saat*, hoc eſt ſemen equinum, ſive ſemen pro equis appellat, quia his, eorumque ulceribus illud quam maxime idoneum *Peculiare medicamentum vulnerarium indicatur.*

eſſe aſſeverant. Creſcit, ut a pharmacopæo percepi, in planta umbellifera, caule craſſiſſimo donata, in locis paludoſis & ſtagnis vicinis ſatis copioſe, unde a quibuſdam ruſticis ſingulis annis æſtate ipſi affertur: hinc, ut mihi videtur, eſt *ſemen Phellandrii Dodonæi.* Utuntur autem eo in hominibus, qui aliqua gravi læſione laborant, ita ut aliquoties in die drachmam circiter unam, vel ſolum & per ſe, vel cum pauco ſaccharo remixtum, ægro exhibeant, atque inde egregie & fere ad miraculum ejuſmodi noxas, quas vulgus in alias inſanabiles eſſe credit, ſanare dicitur. Meretur, ut res hæc ulterius per obſervationes confirmetur; hoc ſaltem certum eſt, in noſtris ægris, qui eo uſi ſunt, bonum effectum eſſe ſecutum. Utrum autem huic ſemini, quemadmodum vulgus facit, ſanatio ſit adſcribenda, an aliis cauſis, uberiore inquiſitione dignum eſt. *Excell. Præſes,* qui antea de hoc vulgi remedio tantum non inaudivit, quantum nunc occaſione tam multarum ejuſmodi herniarum, operam dabit, ut proxima æſtate in veram hujus ſeminis plantam & nomen latinum curatius inquirat. Interea tamen me hic probaſſe exiſtimo, *hernias incarceratas ſuppuratas ſæpiſſime non eſſe lethiferas; ſed ſæpe curari rurſus poſſe.*

DISSER-

Tab. XVIII.




*Disp. Chirurg. Tom. III. HEISTER DE HERNIA INCARCERATA SUPPURATA. pag. 250.*



LXXI.

# DISSERTATIO
## CHIRURGICA,
### *DE*
# HERNIA CRURALI.

*Quam tuebatur*

DANIEL KOCH

*CRUCENACO-PALATINUS.*

Heidelbergæ 5 Septembris anno 1726.

# CAPUT PRIMUM.

## §. I.

ANtequam ſtatum p. n. ſive pathologiam herniæ pertractandam ſuſcipiam, brevem quamdam organorum affectorum deſcriptionem prælibare operæ pretium eſſe arbitror; ſtatu enim naturali probe cognito, & p. n. dignoſci, ſymptomata facilius & felicius indagari, vera prognoſis indigitari, tandemque ſalutaris medela afferri poteſt. Ad partes affectas autem muſculi abdominis potiſſimum ſunt referendi; quorum quinque paria in anatomicorum ſcholis demonſtrantur: obliquum externum, internum, tranſverſale, rectum atque pyramidale. Ne vero ea, quæ ad cognitionem ſtatus p. n. & præſens inſtitutum ſupervacanea videntur, in medium afferam; horum muſculorum onomatologiæ, principio atque inſertioni tradendæ non inhærebo: uti & muſculos pyramidales valde exiguos, ſæpe ex toto, ſæpe etiam ex parte deficientes, ad ſcopum præſentem nihil facientes ſicco pede prætereo. Reliquos abdominis muſculos anterius & in utroque latere ventrem infimum, oſſibus deſtitutum, ab injuriis externis munientes, tria foramina partibus tum fœtus ergaſtulo ſuo incluſi nutritioni, tum generis humani propagationi, tum extremitatum inferiorum conſervationi dicatis, exitum concedentia, perforant. Quorum primum in media & antica abdominis parte inter utrumque muſculum rectum locatum, à media utriuſque muſculi recti, tendinibus muſculorum tranſverſalium, obliquorum extern-atque internorum efformatur, atque vaſis umbilicalibus tranſitum præbet. Quod vero foramen, uſu vaſorum umbilicalium ceſſante, obturatur; nihilominus tamen partibus inde egreſſuris umbilicus pariter ac inguen viam pandit, quia, uti hic, ita & illic, annulus à tendinibus muſculorum unitis formatur, per quem proceſſus peritonæi, à lamella hujus externa formatus, & funiculi umbilicalis uſque ad placentam individuus comes foras exit, qui annulus accedente cauſa aliqua violenta dilatatur ac ille in inguine, cui accedit, quod circa umbilicum omentum pariter ac inteſtina mox ſe offerant; hinc, muſculis rectis ad latera depreſſis, qua data porta, foras ruunt.

## §. II.

Muſculorum obliqui externi & interni, deſcendentis atque aſcendentis nomine alias ob fibrarum tractum inſignitorum, fibræ muſculoſæ illius oblique deſcendendo, hujus vero ſimili decurſu aſcendendo, atque tranſ-

 verſi

verſi tranſverſim excurrendo ſe invicem decuſſant. Conſiderandi ſunt hi æque ac muſculus rectus tanquam 4. aut 8. virtutes motrices, in 4. aut 8. abdominis angulis conſiſtentes, quorum vis circa umbilicum unitur & colligitur, ſub quo maxima inteſtinorum pars ſita eſt, ita, ut abdomen una cum contentis viſceribus undique & undique ab iiſdem comprimatur; ſicque mediante hoc perpetuo motu cum diaphragmate reciproco reſpirationem, digeſtionem, motum humorum in abdomine, præſertim ſanguinis & chyli, ſecretionem item in diverſis viſceribus, & varias excretiones mirum in modum promovent. Simul vero etiam firmiorem herniis, quas ventrales vocant, quaſque non raro magnus in difficili partu niſus, frequentius vis externa, ictus, lapſus &c. producere ſolet, obicem opponunt. Sunt autem hi muſculi, qui ſecundum foramen conſtituunt, prope inguinis regionem perforati, & proceſſibus peritonæi, in viris vaſa ſpermatica, in mulieribus ligamenta uteri rotunda vel teretia includentibus, tranſitum præbent, nec non in ſtatu p. n. aliquibus in abdomine contentis partibus egreſſuris viam ſternunt: unde fit, ut ſexus ſequior æque ac virilis, quamvis rarius, huic malo obnoxius ſit. Vocantur iſti muſculorum hiatus annuli: qui differunt 1. Situ, circa quem notandum, quod ordinarie ſibi invicem paralleli non ſint, ſed externus inferior eſt medio, & medius interiori: in ſtatu p. n. vero ab omento & inteſtinis prolapſis magis paralleli evadunt. 2. Decurſu obliquo, apertura in muſculis interioribus eſt magis lateralis, & propius ad os ilium vergit, cum e contrario hiatus externi ad os pubis magis accedat. 3. Subſtantia, annulus ille, qui ab obliquo externo formatur, omnium fortiſſimus & valde tendineus eſt; cui multum roboris addunt fibræ multiplicatæ extremum marginem & limbum conſtituentes, & ſuperius maxime conſpicuæ, adeoque tam aſcenſui, quam reductioni partium e ſitu lapſarum quam maxime reſiſtit. Annulus obliqui interni magis muſculoſus eſt, & tranſverſalis, qui, ſi adeſt, membranaceus eſſe aſſeritur, ſæpe tamen non invenitur. Præterea annotare liceat, tranſverſi tendinem utplurimum non foramine integro gaudere, neque, ut obliqui externi tendo ſolet, dimidiato foramine pertuſum; ſed toto ſuo inferiore limbo iiſdem proceſſibus peritonæi tranſverſim ſuperimpoſitum conſpici. Et ſi dicendum quod res eſt, nonniſi duo annuli ſunt, e quibus nempe exterior firmus, validus atque robuſtus prolapſum inteſtinorum vel omenti impedit, quod autopſia anatomica confirmat. Altero ſcilicet interno & muſculoſo ad præcavendum prolapſum non multum faciente. Arteria & vena ſpermatica in viris, in ſexu ſequiore ligamentum uteri teres, muſculi tranſverſi fibris iſtos proceſſus tranſverſim tantum perreptantibus, inter utramque peritonæi lamellam delata, muſculi obliqui interni fibras muſculares divulſas, annulum aliquo modo efficientes, tranſeunt; poſtea obliquo tractu per vere ſic dictum annulum obliqui externi, ob figuram annularem hoc titulo digniſſimum progrediuntur. Magnitudo hujus annuli tanta eſt, ut immiſſum digitum facile

cile admittat; quo minus autem contenta abdominis à levi accedente cauſa violenta elabantur, fibris robuſtis, tendineis, in limbo ejus proceſſum peritonæi firmiſſime amplectentibus eum donatum eſſe ſupra innui. Admiranda hac ſtructura Providentia Divina generi humano præ brutis benigniſſime proſpexit, ne quibuſdam abdominis partibus facilis & proclivis e dicto ventre egreſſus eſſet. Quodſi enim proceſſus peritonæi, uti in canibus, hiatu inſigni pateret neque occluderetur, in quibus ſtilus aut flatus liquorve per apertam circa inguina viam ad teſtes immittitur, uti *Gerb. Blaſ. Zoot. de can. c.* 2. id perhibet, periculum eſſet, ne omnes fere homines hernia laborarent. Cum, ambulantibus nobis, quos *Deus* erectos voluit magis quam reliqua animalia, uti eleganter Poëta cecinit:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri,
Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.

Deorſum ponderoſa inteſtina continuo ad locum minoris reſiſtentiæ atque foramen apertum gravitarent, atque impetu in annulos facto illos dilatarent, adeoque herniam, ſi cautum non eſſet, frequentiſſime producerent. Quod quadrupedibus horizontali linea incedentibus facile contingere non poteſt; quia omnis contentorum moles circa umbilicum accumulatur: hinc illa hernia umbilicali potius afficiuntur.

## §. III.

Tertium foramen vaſis cruralibus, tendinibus muſculorum pſoæ atque iliaci liberum ex infimo ventre exitum concedit, & ſpeciem quamdam annuli viſui offert. Hujus foraminis ſtructuram paulo fuſius & exactius pertractare mearum partium eſſe exiſtimo, ut herniæ cruralis, de qua altum apud pleroſque etiam peritiſſimos chirurgiæ ſcriptores ſilentium eſt, magis perſpicuam deſcriptionem exhibere poſſim. Quo vero à me hoc rite fiat, differentiam hujus à præcedentibus præmittere mihi incumbit. Diſtinguitur autem à præcedentibus. 1. Situ, annulus hic magis in exteriore inguinis regione atque ſuperiore femoris parte ſitus, ad commodiorem venæ & arteriæ cruralis decurſum, in levi ſinuoſitate oſſi ilei inſculpta, arcum quaſi efficit, dictaque vaſa cooperit, & ab injuriis externis defendit, cavitatem etiam ovalem efformat. 2. Numero, hic tantum unus, à ligamento Poupartii & tendine utriuſque muſculi obliqui formatus, illic tres, vel potius duo ſeſe offerunt: magis à ſe invicem diſtincti. 3. Subſtantia, annulus cruralis intus membrana peritonæi unice, ſuperius tendine utriuſque muſculi obliqui & ligamento Poupartii, è quo potiſſimum formatur, extus aponeuroſi faſciæ latæ, & integumentis communibus; illi vero, nempe inguinales fibris muſcularibus atque tendineis à muſculis obliquis pariter originem trahentibus,

&

& membrana peritonæi firmantur. Expanſioni fibrarum muſculi obliqui externi in regione inguinali introrſum pergentium, atque quibuſdam in locis fibris muſculi obliqui interni ita adhærentium, ut duo illi tendines ſine dilaceratione ab invicem ſeparari nequeant, quibus ſuperimponitur elegans fibrarum ſemicircularium faſciculus; cujus fibræ validæ, tendineæ, ex ſpina oſſis ilei anteriore & inferiore exortæ, oblique tranſverſim ad ſupremam & exteriorem oſſis pubis ſinuoſitatem, inſtar arcus extenduntur; ut vaſa cruralia, ceu ſub fornice tuta à compreſſione lateant, cui in variis corporis atque cruris motibus obnoxia ſunt. Dominus *Poüpart* hunc fibrarum tendinearum faſciculum, in veterum anatomicorum libris, & præſertim in illo *Veſalii*, quem *Fabricam Corporis Humani* inſcripſit, jam dudum memoratum, & accurate deſcriptum, pro peculiari ligamento, quod ſuſpenſorium ab uſu appellat, venditavit. vid. *Hiſt. Acad. Reg. Scient.* 1705. *p.* 64; cujus exiſtentiam anatomicorum principes perſpicaciſſimi *Joh. Bapt. Morgagnus adv. anat. III. p.* 2. atque *Cowperus*, quos clar. *Heiſterus* in *comp. anat.* etiam ſecutus, jam publice negarunt. Hæc ſpecies ligamenti à Gallis vocatur *l'Arcade*, quia fornicem vel arcum quemdam ſatis exacte præ ſe fert. Quamvis autem illud pro peculiari ligamento modo laudati anatomici non admittant, attamen illud pro peculiari ligamento haberi poteſt, quia fibræ tendineæ illic robuſtiores & multiplicatæ à reliquo tendine differunt: revera in lacertoſis præſertim ſubjectis a tendine muſculi obliqui deſcendentis diſtinctum conſpexi, & fibrarum ſemicircularium faſciculum tendinearum ſparſum, aponeuroticæ muſculi allegati extenſioni ſuperexpanſum pro annulo crurali formando & firmando ad iſtum ligamentoſum tendinem exporrigi plus una vice in florentiſſimo theatro anatomico Argentinenſi duce excell. & exper. D. D. *Joh. Salzmanno* commendatiſſimæ famæ anatomico, patrono & præceptore ad dies vitæ colendo obſervare mihi licuit. Non levem attentionem meretur, atque non ſine ratione Sapientia Divina hoc ligamentum trium digitorum tranſverſorum longitudine condidit, eum in finem, ut 1. Arteriis & venis cruralibus, tendinibus muſculorum pſoæ atque iliaci, nec non nervo crurali tutum tranſitum ſuppeditet, ne in flexione corporis aut cruris, vel tempore graviditatis hæ dictæ partes lædantur; quod facile contingeret, ſi totum illud ligamentum aponeuroticum æquali inoſculatione in iſto interſtitio à ſpina oſſis ilei uſque ad os pubis memoratis vaſis annecteretur: nec fornice vel arcu ſuo interſtitium quoddam relinqueret. 2. Ut robur annulo crurali atque muſculi obliqui externi conciliet, impediatque, ne levi de cauſa inteſtina & omentum prolabi, adeoque herniæ generari queant. 3. Ut totam viſcerum abdominalium molem ſuſtentent, & veluti ſuſpendant, ne vel nimium deorſum gravitent, vel etiam delabantur, quam ob cauſam in *Hiſt. Ac. Reg. Sc. l. c.* ab autore ſuo ligamentorum ſuſpenſoriorum nomen obtinuerunt; quem uſum ut præſtare valeant, ſitus, decurſus & connexio eorum non parum conferunt. 4. Denique oſſa innominata, quæ in junioribus in tres partes in acetabulo oſſis femoris

lineis

lineis adhuc diſtinctis diviſa oculis ſubjiciuntur, conjungendo & conjuncta ſervando egregium quoque effectum edunt.

§. IV.

Supereſt peritonæum abdomini obtenſum, ſubtenſum vero muſculis modo recenſitis, imprimis tranſverſalibus, quibus cum arcte ſatis connectitur, & non parum roboris & firmitatis imprimis ſupra umbilicum ab eorum tendine emendicat. Pars hæc infimi ventris membranacea, plus minuſve tenuis, ſatis tamen valida, firma & elaſtica, ex fibris tendineis ligamentoſis, nerveiſque contexta eſt, omnia in abdomine contenta viſcera, veluti ſaccus immediate ambiens & in ſinu ſuo fovens. Utut autem firma ſatis & robuſta ſit hæc membrana, à ſuperſtratis tamen muſculis multum roboris acquirit, ne facile laxetur aut diſrumpatur, id quod in vulneribus abdominis, illæſo peritonæo; item in annulis inguinalibus multum relaxatis obſervare licet. Notandum quoque, quod non ejuſdem tenuitatis ac craſſitiei ejus textura ubivis ſit. Cum in viris juxta anatomicorum aſſertum à Cartilagine Xiphoide ad umbilicum uſque, in fæminis ab umbilico verſus pubem craſſior evadat. Superficies hujus exterior, qua muſculis abdominis adhæret, aſpera eſt: interior quam maxime lævis & humore perfuſa obſervatur, qui humor à continua exhalatione partium ſeroſarum è viſceribus & pinguium ex omento deducendus. Duplex eſt peritonæum, ſed hujus duplicaturam veteres atque recentiorum quidam in dubium vocare aut plane negare non erubuerunt; quem nodum Gordium facillime unico ictu, non quidem gladii, ſed oculi ſolvit autopſia anatomica; dum illam poſtica in parte, in qua renes, veſica urinaria, ureteres, vaſa ſpermatica &c. ſita ſunt, omnium intuentium oculis ſiſtit. Omnibus imi ventris viſceribus extimam tunicam, craſſiorem nempe illis, quæ extenſionem notabilem ſubeunt, uti ventriculo, veſicæ urinariæ, utero; tenuiorem partibus, quæ non diſtenduntur, uti hepati, lieni &c. largiri vulgo fertur. Duplicatura peritonæi non obſcure demonſtrat, illud duabus gaudere lamellis, nunc arcte, nunc laxe cohærentibus, quibus interſperſa eſt ſubſtantia celluloſa, ſive veſiculoſa. Lamella interior verſus inguen craſſior exiſtens, ipſaque inteſtina, ne in ſcrotum delabantur, firmiter continens, annulum, vaſis præparantibus tranſitum præbentem exacte cingit. Hac vero vel nimium dilatata, vel etiam diſrupta, annulis prius dilatatis, bubonocelen aut oſcheocelen producit. Lamella ejus exterior ſuperna femoris ſede perforata vaſa cruralia ad extremitates inferiores tendentia tranſmittit, ubi non nudas perforationes, ſed proceſſus eſſe Cl. *Verheyen* contendit, qui tamen proceſſus non uti in inguine longi ſunt, & multum ad inferiora exporrecti, ſed poſt breviſſimum trajectum dictis vaſis firmiter accreſcunt. In regione inguinali eadem lamella exterior ſic dictos proceſſus peritonæi conſtituens vaſa falſo ſic dicta præparantia ad teſticulum uſque comitatur, & quia vaſa memorata, teſteſque inſtar vaginæ

involvit, tunica vaginalis, ſeu elytroides nuncupatur. Ubi ad epididymides ſeu paraſtatas pervenit, ipſis annectitur fibris copioſis, & clauſtrum aliquod ſibi format, quod teſticulum à reliquo vaſorum præparantium faſciculo atque abdomine ſeparat, unde flatus, facta prius infra paraſtatas inciſione, immiſſus in partem ſuperiorem tunicæ elytroidis non penetrat. Cæterum num gula, vena cava, arteria aorta, & reliqua, quorum Clar. *Verheyen* meminit, peritonæum perforent, an vero potius ea obducat ſolum, & poſtea inverſum rurſum deſcendat, aliaſque hujus commatis diſquiſitiones ſtudio prætermitto. Hoc tantum moneo, quod peritonæi lamella interior annulo crurali ſuperextendatur, & ſpatium à vaſis cruralibus ad inferiora tendentibus relictum intus cooperiat, hacque ratione herniam cruralem, quantum poteſt, impediat. Attamen pars inteſtini ilei vel coli, peritonæo ſive paululum dilacerato, quod rariſſime contingit, ſive ſupra modum dilatato, deſcendit, dictamque herniæ ſpeciem ſatis periculoſam ac ſæpe lethalem generat. De qua vid. Clar. *Verheyen. Anat. edit. Bruxell. cap. de perit.* Præter modo memoratum peritonæi proceſſum tres alii à lamella exteriore formantur. Duo in viris vaſa ſpermatica, in mulieribus ligamenta uteri teretia includentes extra abdomen demittunt; quos tamen proceſſus in ſexu ſequiore, non tam proceſſus, quam diverticula nova fæminina vocat & deſcribit dexterrimus anatomicus *Nuck Adenogr. C.X.* conf. Clar. *Joh. Maur. Hoffm. obſ. E. N. C. D. III. A. II. obſ.* 210. quæ à peritonæo originem habentia ex orificio anguſtiori in capſulas latiores expanduntur, & naturaliter uteri ligamenta rotunda non ſolum excipiunt, ſed & tranſmittunt, atque ad clitoridem uſque proſequuntur. De quibus proceſſibus hoc adjungere liceat, quod, ubi annulos perforant, plures emittant fibras & membranulas, quæ ſepimenta membranacea conſtituunt, interſtitium annulorum à partibus tranſeuntibus relictum occludentia. Tertius vaſa umbilicalia tranſmittit, quibus abſciſſis, poſtea ſucceſſive ſatis firmiter coaleſcit. Priuſquam autem id fiat, non raro in infantibus, aut etiam, ubi jam bene coaluit, in mulieribus partu difficili laborantibus extenditur, vel rumpitur, unde inteſtina & omentum prolabentia exomphalon formant; qui in brutis, quæ centrum gravitatis in umbilico habent, frequentior eſt, uti ſupra jam innui. Si qui ſunt, qui proceſſus peritonæi vel plane denegant, vel eorum originem ab annulorum membranis deducunt, illos autopſia anatomica contrarium docebit & plenarie convincet. Ne tua B. L. patientia abutar, plura de peritonæo, nihil quicquam vero de partibus genitalibus, utpote à ſcopo meo aliena, recenſere ſuperſedeo.

CAP.

## CAPUT II.

### §. I.

Partium ſtructura, quantum ad præcipua herniæ phænomena explicanda neceſſarium eſſe exiſtimavi, breviter perluſtrata: ad herniæ cruralis pathologiam devolvor. Antequam id faciam, onomatologiam herniæ, more recepto, paucis præmittendam eſſe, arbitror, non multum autem immorabor, ne crambe bis cocta & ſæpius recocta B. L. nauſeam moveam. Herniæ vocabulum, num à græco ἔρνος ramus juxta *Scalig. in Catal.*, unde Latinorum forſan ramex, vel ab hærere ſit derivandum, Grammaticis relinquo. Græco vocabulo κήλη plerumque hernia denominatur, addita voce partis, quæ prolapſa eſt, vel loci, per quem exiit. Latini etiam vocant ramicem ſeu rupturam, *Caſtellus* crepaturam; Galli *une deſcente*, deſcenſum: Germani *einen Bruch*, *einen Leibſchaden*. Sed miſſa onomatologia, ad rem ipſam propius accedo, definitionem, ſeu potius deſcriptionem herniæ tradens. Eſt autem hernia tumor, à partibus è ſede naturali & ordinaria prolapſis præcipue in abdomine, vel à dilatatione, potiſſimum annulorum tum & peritonæi vel ab hujus ruptura, quod rariſſime contingit formatus, & variis in locis contingens. Hernia cruralis illa eſt, quando partes in abdomine fluctuantes eo in loco, ubi vaſa cruralia extra abdomen in femur deſcendunt, prolabuntur. Quo magis eluceſcat, ad quam claſſem ſit referenda hæc nova ſpecies; brevem herniarum diviſionem prælibare non abs re fore, puto. Herniæ ab autoribus in proprias ab inteſtinis & omento formatas, & in improprias, ſeu ſpurias à ſanguine, ſemine, aquis &c. productas dividuntur. Species herniæ proprie ſic dictæ nomina à partibus prolapſis ſortitæ ſunt: quæ ſunt vel omentum vel inteſtina. Ex his jejunum, atque potiſſimum ileum omnium facillime, nec non Coli pars in inguine ſiniſtro quandoque elabitur. Hoc vero notandum, quod inteſtinum jejunum in aliis herniæ ſpeciebus rarius & nonniſi in exomphalo & ventrali erumpat. Ileum autem, quia annulis proximum eſt, atque liberrime in abdomine fluctuat, in crurali & inguinali ruptura utplurimum elabitur: reliquis magis ſuperius ſitis & pluribus vinculis annexis. Quodſi inteſtinum ſolum egreditur, vocatur enterocele; ſi omentum tantum, dicitur epiplomphalus, epiplocele; quando utrumque ſimul elabitur, ſpeciem mixtam conſtituit, & audit epiploenteromphalus, epiploenterocele. Inter hernias modo memoratas proprias non infimum obtinet locum cruralis, quæ juxta *Garengeot* non ſolum frequens, ſed frequentiſſima eſt, cui aſſerto contrariari videtur experientia, quæ pauca admodum ejus exempla nobis ſubminiſtrat, imo & in chirurgorum monumentis rara ejus veſtigia occurrunt. Ad has moderni quoque referunt aliam à veſica urinaria, quandoque ſed raro in ſcrotum prolapſa, produc-

tam, de qua vid. *Garengeot Tr. des operat. de chirurg. T. I. c. V.* nec non ſacci lacrymalis dilatationem, oculi ex orbita prolapſum, ventriculi, lienis, uteri, inteſtini recti procidentiam. An vero hæ ultimæ ad genuinam herniarum claſſem jure referri poſſint meam litem non facio. Sub herniis impropriis militant varicocele, ſicubi vaſa ſcroti ut & ſpermatica inſtar varicum diſtenta ſunt. Spermatocele, ſeu hernia in vaſe deferente à ſemine abundante congeſto orta. Sarcocele à carnoſa, ſpongioſa maſſa teſticulo adnata producta. Hydrocele, ſeu aquoſa. Pneumatocele, ſeu ventoſa. De quibus videatur Diſſ. Dn. *Hænel de morb. Scroti Arg.* 1723. habita.

§. II.

Hernia cruralis non à partibus prolapſis, ſed magis à loco, per quem inteſtinum elabitur, nomen accepit; hicque potiſſimum eſt hiatus ad figuram ovalem accedens ſub ligamento *Poupartii*, in interna atque ſuperiore femoris parte locatus: quem vaſa cruralia tranſeunt. Partes egreſſuræ æque facilem, ne dicam faciliorem, uti *Garengeot* vult, & ſatis commodum per hunc, quam per inguinalem atque umbilicalem, exitum inveniunt: tum propter inſignem hujus annuli amplitudinem, tum ob ſinuoſitatem oſſi ilei, in qua ad femur vaſa cruralia deferuntur, inſculptam: quæ elapſuro inteſtino viam quaſi ſternit. *Garengeot l. c.* annulo crurali minorem quam inguinali reſiſtentiam tribuit, id quod autopſiæ anatomicæ repugnare videtur. Præter modo recenſita nomina cæteris herniis propriis alia adhuc dum à loco, quem umbilicus, inguen, ſcrotum atque tota fere abdominis circumferentia, facta fibrarum muſculoſarum violenta divulſione, conſtituunt, impoſita ſunt; unde alia umbilicalis ſeu exomphalus, alia inguinalis ſeu bubonocele (quæ etiam imperfecta, vel incompleta appellatur) alia ſcrotalis, ſeu oſcheocele (quæ perfecta vel completa audit) & denique ventralis appellatur. Quæ ventralis illa eſt, ſiquando ejuſmodi tumor à latere umbilici aut infra aut ſupra eumdem contingit, & quidem ſemper cum peritonæi ruptione. Hæc in reliquis differt in eo, quod partes per annulum antea relaxatum non elabantur, adeoque certum locum non obſervent, ſed promiſcue nunc hic, nunc illic prope umbilicum exitum moliantur & inveniant.

§. III.

Quodſi in hernia crurali pariter ac reliquis propriis partium in abdomine fluctuantium ſenſim & ſucceſſive egreſſus fit, annuli multum dilatantur, & repoſitæ e veſtigio rurſus prolabuntur, & quoniam longum tempus requiritur, hernia inveterata ſalutatur. Quando autem brevi, atque uno veluti momento prolabuntur, ita, ut annulus in ſuperiore parte anguſtior, in inferiore vero ſacci fundus amplior ſit, recens dicitur. Si quando in rami-

ramice crurali, ut & reliquis crepaturis ſtrangulatio & ſubſequens inflammatio deprehenditur, appellatur hernia incarcerata. Quam ſtrangulationem ſeu incarcerationem in hernia crurali potiſſimum ſuperius arcus ille tendinoſus, ſeu ligamentum *Poupartii*, inferius muſculi oſſis femoris, potiſſimum faſcia lata ſeu muſculus membranoſus, & ſartorius producunt. In hac partes prolapſæ quaſi in carcere detinentur, comprimuntur & non raro annulo accreſcunt, atque ſine ſectione & operatione ſacci hernialis integri reponi vix poſſunt. Quale exemplum vid. in Diſſ. Excell. *Eliæ Camerarii R. D. Mauchart.* Cujus verba hic apponere liceat. Virum hernia crurali mortuum, qui operationem vivus admittere noluit, aperiendo, ſaccum hernialem ſub & a ligamento *Veſalii* ſtrangulatum deprehendi; diſſecto illo ligamento ſaccus ipſe ſuperius quaſi loro conſtrictus, ut digitum auricularem, extracto inteſtino, vix ingerere licuerit: inferius ſeu in fundo amplior, partem inteſtini ilei continens. De qua ſtrangulatione notari meretur, quod in hernia crurali frequentior ſit, quam in inguinali, utut enim annulus hic amplior quidem ſit, hoc extra dubium poſitum eſt, illum nempe cruralem firmiorem eſſe & partes prolapſas magis comprimere, tum & ſpatium, quo prolabuntur, multo minus atque anguſtius, quam in inguinali eſſe. Denique hernia cum peritonæi ruptura, quæ novam iterum ſpeciem conſtituit, vel ſine eadem, atque cum relaxatione contingit: quam relaxationem unice in omnibus herniis nonnulli ſtatuunt. De hac id tantum annoto, quod ruptio multo rarior ſit, & cauſam violentam magna cum vi agentem præſupponat. e. gr. ictum hominis vel equi calcitrantis abdomini inflictum; qualem caſum Lutetiæ Pariſiorum conſpexit Vir Excell. atque Exper. *D. D. Salzmannus Anat. atque Chirurg. P. P. O. longe Celeberrimus Dominus Patronus, Fautor atque Præceptor nunquam non deveneranduſ, hoſpes honoratiſſimus.* In quo plurima inteſtinorum pars uno veluti momento in ſcrotum prolapſa: alium fere ventrem præ ſe ferebat, abdomine ordinario omnino collapſo. Quam peritonæi rupturam utplurimum ejus dilatatio præcedit.

## §. IV.

Hernia cruralis ab inguinali ratione ſacci contenta involventis differt. In illa ſimplex ſaccus viſui offertur; in hac vero duplex; præter alias quaſdam partes, quibus hernia cruralis deſtituitur. Saccus contenta in crurali ruptura ambiens ab utraque lamella peritonæi & prolongatione ejus formatur. In ramice inguinali vero unus ſaccus naturalis, alter p. n. occurrit. In naturali ſeu externo vaſa ſpermatica in viris; in ſexu ſequiore ligamenta uteri rotunda latent, e lamella peritonæi exteriore originem trahens. Internus p. n. à lamella interiore ſenſim & ſucceſſive magis productus; & primum farciminis, poſtea ulterius deſcendens cucurbitæ minuſculæ figuram induit: ille ipſe inteſtinum & omentum elapſum immediate

inſtar ſacci includit; unde ſaccus internus appellatur, ideo, quoniam hunc adhuc alius, nempe externus cingit. Parte poſtica vaſis ſpermaticis immediate, parte autem antica ſacco externo adhæret. Saccus externus multo craſſior eſt interno, hanc vero craſſitiem membranæ cuidam robuſtæ & validæ in ſtatu naturali ſacco externo ſolum, in p. n. vero utrique ſuperextenſæ & externo firmiter adhærenti debet, quæ à fibris muſculi obliqui aſcendentis & deſcendentis, hunc ſaccum immediate ambientibus exoritur, & a quibuſdam membrana aponeurotica appellatur. In plures lamellas quoque à peritiſſimo anatomico ſeparari poteſt. Inter utramque nempe externam atque internam lamellam interſperſam eſſe ſubſtantiam celluloſam ſupra indigitavi. Hæ cellulæ cum membrana pinguedinoſa ſcroti præter naturam inflatæ procreare foliola, quæ à Gallis vocantur des feuillets: quorum ſeparatio operatori in herniotomia ante ſacci hernialis apertionem non parum negotii faceſſunt. Quam tandem muſculoſa ſcroti membrana, dartos dicta, atque integumenta communia excipiunt.

## §. V.

Cauſæ herniam cruralem efficientes, jam mihi recenſendæ veniunt. Quarum plurimæ cum aliis ramicibus communes videntur. Et ſunt vel externæ, vel internæ. Harum 1. Eſt nimia partium internarum, nempe inteſtinorum, vel etiam annulorum lævitas. 2. Res abdominis viſcera vel diſtendentes, vel etiam comprimentes, uti flatus concluſi, urina retenta, ingravidatio, quæ utplurimum circulationem ſanguinis in vaſis cruralibus, præcipue in vena, varicoſam diſpoſitionem ſæpius referente, ob uteri diſtenſionem & compreſſionem, impedit. Hinc 3. Serum ſtagnans, quod in hydrope aſcite obſervare licet, peritonæum, muſculos, tendines atque ligamentum *Poupartii*, fibrarum atoniam inducendo, relaxat, atque hac ratione herniæ cruralis cauſa exiſtit. Quæ fibrarum imprimis illarum, quæ annulos formant, relaxatio præcipuum inter cauſas locum obtinet; annulis quippe inteſtina in debito ſitu non continentibus, irritus eſt peritonæi conatus. 4. Nimia corporis obeſitas quoque multum diſponit ad herniam producendam. Ad cauſas externas referri merentur 1. Ingens aëris cohibitio, in qua diaphragma deorſum premitur, & muſculi abdominis ad interiora agunt; hinc viſcera infimi ventris fortiter comprimuntur, atque ſufficienti ſpatio deſtituta foras ex abdomine e iti quovis modo tentant. Qvod evidentiſſime in tuſſi ferina, ſermone fortiori & diu protracto, tubarum inflatione, oneris gravioris geſtatione, partu laborioſo, fæcum induratarum excretione, vomitu contingere videmus, quas ultimas actiones, ubi edimus, monendum eſt, digitis utrique annullo impoſitis, herniam præcaveri poſſe. 2. Diæta pinguior, ſeu potius abuſus pinguium, butyri, adipis, olei; unde hoc malum Helvetiæ incolis fere endemium eſt. De quo vid. Diſſ. D. *Freytag. de Hern. Helv. incol. frequentiſſ. Arg.* 1721.

1721. *hab.* Huc quoque ſpectant cibus & potus fermenteſcens, aut alia ratione flatibus occaſionem præbens. v. gr. legumina, olera: inter potus genera præ omnibus referri meretur cereviſia frigida, avido hauſtu ingeſta, vel non defæcata, aut ex avena abſque lupulo parata, unde ſæpius colica oritur, quæ, ſi diu durat & vehementior fuerit cum crebris vomitibus, in herniam cruralem tandem tranſit, id quod ſeq. exemplo comprobavit medicus & practicus Argentoratenſis, dum viveret, primarius & alias feliciſſimus, qui Anno 1718. poſtquam plurimos ægros inviſens per totam urbem diſcurrerat, & Sirio tunc temporis maxime ardente multum incaluerat, cereviſiam frigidiſſimam magno pariter ac avido hauſtu ingeſſit. Unde paulo poſt colica cum immani ventris dolore corripitur, quam vomitus continuus & tam enormis excepit, ut ab inſigni, quem fecit, conatu & niſu in latere dextro inteſtini ilei portio in annulum cruralem cum vi intruderetur: quo facto tumor ovi majuſculi magnitudine in ſede femoris ſuperna non oblique juxta inguinis decurſum, ſed recta magis deorſum exporrectus obſervabatur; duobuſque digitis tranſverſis à convexo abdominis habitu diſtans & diſtinctus. Idem hic tumor, quia nullum funiculum ſ. pyrobolum externa ſpecie referebat, qualis ordinarie in bubonocele videre eſt, tum ab aliis rerum anatomicarum æque ac chirurgicarum gnaris, tum ab ipſo ægroto non ab inteſtino in hunc locum prolapſo, ſed à glandula obſtructa & tumefacta formari credebatur; utut *à Domino Lemaire*, *Viro*, quem ob eximiam & profundam in chirurgicis ſcientiam maximi æſtimo, qui hac in re quoque conſulebatur, e ſymptomatibus, quæ jam tum aderant judicaretur, malum herniam incarceratam, & quidem cruralem eſſe, illudque abſque operatione curari non poſſe, aſſereretur. Quare id potiſſimum egit, ut ægro perſuaderet, quo operationem fieri conſentiret. Ille vero renuit, per aliquod tempus expectandum eſſe ratus. Interea per octiduum varia remedia, quæ in ejuſmodi caſu pro mitigandis ſymptomatibus in uſum vocari ſolent atque debent, adhibita fuerunt: cum vero ab eorum uſu nequicquam levaminis ſentiret æger, inſuper e ſuperveniente ſingultu & vomitu ſtercoreo facile conjiceret, ſe in maximo vitæ periculo verſari, annuit tandem imo & juſſit, ut operatio adminiſtraretur. Id quod undecimo morbi die, quo non obſcura ſphaceli indicia, nempe ſudor frigidus cum ſumma virium proſtratione conjunctus jam aderant, factum eſt. Inciſione inſtituta pars inteſtini ilei denudata livida & nigra intuentibus apparuit, atque ſuſpicionem de ſphacelo antea conceptam confirmavit. Quia vero via, quam inteſtinum elapſum fecerat, notabilis erat & longa, hoc etiam à ligamento Poupartii atque à tendine utriuſque muſculi obliqui valido multumque tenſo ſuperius, inferius vero à muſculis femoris admodum ſtrangulabatur, & in anguſtias coactum erat, dilatatio neceſſaria eſſe videbatur, qua facta & inteſtino intra abdomen repoſito, ſymptomata, vomitus ſcilicet & ſingultus ceſſarunt quidem, alvus etiam reſerata eſt, & juſcula cum aliquali appetitu aſſumta, nihilominus

nus æger ob præſentem in inteſtino ſphacelum intra biduum animam efflavit. Cadavere poſt mortem aperto ſphaceloſa dicti inteſtini conſtitutio oculis ſeſe apertius exhibuit, & quod conſideratione dignum maxime videtur, jejuni inteſtini portio interſtitio inter peritonæum & tranſverſum abdominis muſculum paulo ſupra annulum impacta & incarcerata erat, partibus tenſis eam valde comprimentibus, peritonæum etiam à muſculo nominato ſemotum conſpiciebatur cavitate in medio relicta, id quod tamen non impediit, quo minus contenta utpote liquidiora per dicti inteſtini canalem deorſum progredi potuerint. Ex allegata hiſtoria abunde patet, quam neceſſarium ſit, ut in ejuſmodi caſu operatio mature & in tempore ſuſcipiatur, & quantum vitæ periculum immineat, ſi illa ipſa in ultimam neceſſitatem rejicitur. 3. Vehementior corporis concuſſio, nempe caſus ab alto, ſaltatio, curſus, equitatio, venus immodica, & omnia violenta corporis exercitia: quæ utplurimum herniæ incarceratæ cauſa evadunt. 4. Ictus validior abdomini inflictus, vel à ligno vel à lapide, vel homine aut equo calcitrante, lapſus item in abdomen. Quibus motibus muſculi abdominis vel active vel etiam paſſive agentes, potiſſimum circa umbilicum viſcera undique comprimunt, & in arctum cogunt, ita, ut exitum quærant; quem neque ſuperne ob diaphragmatis motum contrarium, neque poſtica in parte abdominis, ob oſſium reſiſtentiam inveniunt: quare in inferna ejus regione maximum impetum faciunt; & ſi annuli inguinales vel crurales dilatati jam ſunt, vel relaxati, adeoque debite ii reſiſtere non poſſunt; peritonæo facile dilatato, ſæpe memoratæ partes foras erumpunt, quem mechaniſmum *Garengeot l. c.* multis explicat. Sic & ſubjectorum differentia conſideranda eſt, ſexui quippe ſequiori familiarior eſt hæc herniæ ſpecies, quia, quod bene notandum, annuli inguinales in hoc anguſtiores, quam in virili obſervantur, eo, quod ligamenta uteri minus quam vaſa ſpermatica volumen conſtituunt.

## §. VI.

Poſtquam in præcedentibus diverſas herniæ cruralis ſpecies, necnon cauſas illam efficientes enarravi, rei ratio poſtulat, ut de ſignis, illam comitantibus, nonnihil in medium proferam. In hernia crurali eo in loco, ubi vaſa cruralia ex abdomine egrediuntur, ſeſe offert tumor, non oblique juxta inguinis decurſum, ſed recta magis deorſum exporrectus, utplurimum nullum funiculum externa ſpecie, qualis ordinarie in bubonocele obſervatur, referens, conjunctus cum ſtupore oſſis femoris; præterea compreſſa vena refluxus ſanguinis ab extremitatibus inferioribus impeditus aliquatenus eſt: hinc vena cruralis externa utplurimum diſpoſitionem varicoſam induit. Et hæc ſunt ſigna generalia, dantur vero etiam alia, quæ ſingulas ſpecies à ſe invicem diſtinguunt. Quodſi enim inteſtinum elapſum eſt, tumor lævis, æqualis, tenſus & firmus obſervatur: preſ-

preſſuſque, veſtigia ſui non relinquit, ſæpe vero ſonus & borborygmi audiuntur; quos etiam dolores colici atque irritus ad ſedes conatus preſſo pede ſequuntur. Idem tumor prope baſin anguſtior eſt, & verſus verticem ampliatur. In prolapſu vero omenti, quod in hernia crurali rarius fit, tumor eſt mollis; *er iſt gleichſam wie Fett anzugreiffen*, & magis inæqualis, non adeo tenſus, ad verticem ſenſim extenuatur, preſſuſque foveas diutius ſervat; alvo etiam libera, & ventriculo vacuo, vomitus ſæpius ſupervenit, quem plurimi à longiore extenſione omenti, ventriculi fundum trahentis & vellicantis deducunt; quo motu perpetuo, ventriculo moleſto, ad vomitum irritatur. Hernia cruralis difficulter ſæpe dignoſcitur ob glandularum inguinalium viciniam, quæ utplurimum aliquatenus tumefactæ ſub ſpecie bubonum imponunt. Exactam diagnoſin, quænam pars proprie elapſa ſit, porro tum impediunt humores ſeroſi in ſacco majori vel minori in copia non raro collecti, necnon inflammatio ſive ſtrangulatio, quo in caſu parum refert noſſe, utrum ab inteſtino, an omento ſit; quia operatio ſemper requiritur. Incarceratam alias indicat, quod partes prolapſæ nulla vi & encheireſi intra abdomen reponi poſſint. Si omentum elapſum eſt, res tanti momenti non eſſe videtur, quam ſi inteſtinum, tum quia vaſa in hoc magis luxuriant, tum etiam, quia inteſtinum corruptum non æque ac omentum extirpare licet. Quodſi à pondere inteſtini, prolongatio meſenterii Gallis *allongement du meſentere* concurrit, aut inflammatio, vel gangræna jam præſto eſt; chirurgus operationem ſuſcipiens famæ ſuæ ægrique vitæ male conſulit. Partibus in hernia crurali à ſpaſmodica conſtrictione memorati ligamenti compreſſis & veluti jugulatis, ſeu ut clarius loquar, hernia ſimplici conditionem incarceratæ induente tumor major, durior, & magis tenſus eſt, calor tum loco affecto, tum in toto corpore atque pulſus exterius valde ſenſibilis frequens & durior obſervatur: ſtupor femoris atque conſtrictiones ſpaſmodicæ in extremitatibus inferioribus ingentes & anxietates ſuperveniunt. Quæ ſymptomata à ſtaſi ſanguinis, & hæc à circulatione ejus in vaſis cruralibus impedita ortum trahunt. Hancce è veſtigio color cutis lividus, tumor mollis & indolens, reſpiratio frequens & cum ſufflaminatione conjuncta, ſingultus, gangræna & ſphacelus preſſo pede ſequuntur. Denique ſi ægri immorigeri operationem ſuſtinere quovis modo recuſant, & mortem expectare malunt: non tantum vomitus ſimplex brevi poſt aſſumtos cibos ingruens, ſed & ſtercoraceus cum antecedentibus conjunctus, à compreſſione inteſtini fæcibus tranſitum denegantis certiſſimi mortis prodromi triſtiſſimam tragœdiam claudunt.

## CAPUT III.

### §. I.

Medico-chirurgus, ut operationem valde laborioſam, periculoſam, atque ægrum exquiſitiſſimis doloribus excruciantem amoliatur, omni ope eo allaboret, ut pars non ita diu elapſa repoſitione, blanda manuali preſſione inſtituta, reducatur, atque per commodum bracherium intra corpus detineatur. Hernias bracheriis abſque operatione radicaliter curatas experientia quotidiana docet: ſubjuncto remediorum annulum conſolidantium uſu & externo & interno. Quod quam maxime in ætate infantili, juvenili, & rarius in virili, & rariſſime in decrepita locum habet, item ſi hernia recens, neque incarcerata eſt, ſubligacula auxilio eſſe ſolent. Poſt annum vigeſimum quintum vel trigeſimum vero ſubligacula non tam curant morbum, quam id potius efficiunt, ne majora malum incrementa capiat. Optima bracheria ſunt illa, quæ oblonga ſunt, & annulos probe comprimunt; per longum tempus ſunt geſtanda. In hernia crurali non tam bracherium, quam potius faſcia vel uniens vel alia bene comprimens applicetur magis in parte femoris ſuperiore interna, neque tam firmiter conſtringenda, ne vaſa cruralia nimium comprimat, atque circulationi ſanguinis obicem ponendo varia mala inducat. Curam tranſplantatoriam, quam plerique rejiciunt, ego non omnino improbarem, quia experientia teſte plures infantes ſic curatos eſſe conſtat. Quodſi vero manuali preſſioni pars prolapſa non cedat, chirurgus illam ſemel iterumque ſuſcipere abſtineat, ne à vi adhibita inflammationibus anſam præbeat. Manuali repoſitioni utplurimum flatus, necnon fæces induratæ inteſtinum replentes impedimento ſunt. Hæ clyſteribus emollientibus vel leniter ſtimulantibus ſæpius reiteratis ſunt tollendæ; quos aliqui improbant eam ob cauſam, quia inteſtina magis diſtendunt, eoque locum anguſtiorem reddunt; illis vero remediis carminativis rite uſurpatis, quantum in artis poteſtate eſt, obviam eundum eſt. Diæta tenuis & quies maxime inculcandæ ſunt. *Garengeot l. c.* cataplaſmata reſolventia, atque emollientia parti affectæ calide applicita egregium edere effectum aſſerit. A quibuſdam quoque balnea ſeu inſeſſus & fotus e variis emollientibus parati commendantur. Quodſi inflammationis metus imminet V. S. inſtituatur. Purgantia, uti in omni corporis prolapſu, ita & in hernia cane pejus & angue ſunt fugienda. Regio inguinalis, imprimis ubi annulus cruralis ſitus cum oleis emollientibus, ſtrictas partes laxas reddentibus, inungatur. Medicamenta præſcripta utplurimum contenta in tumore integumentis proxime ſubſtrata emolliendo, atque ingreſſum in abdomen facilitando effectum exſerunt laudabilem.

§. II.

§. II.

Hiſce omnibus rite applicitis iterum repoſitio poſt aliquot horas tentetur; patiente corpore ſupino, capite declivi, & crure affecto erecto, jacente. Chirurgus alteram manuum firmiter arcui tendinoſo ſeu ligamento *Poupartii* imponat eum in finem, ut partis modo repoſitæ egreſſus impediat. Altera manu tumorem recta ſurſum, & parum antrorſum, vel juxta methodum D. *Petit*, quam *Garengeot* l. c. allegat, parum verſus os pubis premat, quia annulus, per quem vaſa cruralia exeunt, huic regioni pubis propior eſt. Huic vero manuum tentamini hernia non reſpondente, præſcripta medicamenta denuo in uſum trahantur. Quodſi vero hæc omnia irrita atque incaſſum adhibita ſunt, & nulla reductionis ſpes ſupereſſe videtur, funeſta tamen ſymptomata urgentia adſunt, ad operationem accedendum. Priuſquam autem illam aggrediatur operator, omnia parata habeat, ne illa nimis diu protrahatur, ægerque doloribus confectus & viribus fatiſcentibus pereat. Ad hanc operationem autem, quæ ab illa, quæ in inguine inſtituitur, nonniſi in quibuſdam diverſa eſt, requiruntur ſcalpellum rectum, aliudque mediocriter curvum, vel ſcalpellum incurvum & anguſtius intra canaliculum deliteſcens, Gallis *biſtouri caché* dictum, inſuper cultellus ſeparatorius obtuſus iiſdem Gallis *dechauſſoir* dictus, vel rectus vel incurvus: forfex recta, altero crure globulo munita, ſpecillum item ſulcatum, & ne partes lædantur, altero ſui extremo clauſum & obtuſum, acus chirurgica curva cum filo cera obducto; linteum carptum, plura alia linteorum fruſta, ſplenia triangularia, quorum unum altero minus, quæ Gallis *compreſſes graduées* audiunt. Vinum aromaticum, ſpiritus vini camphoratus, albumen ovorum cum alumine vel bolo mixtum. Denique catheter pro urina, ſi opus eſt, evacuanda, & ſiphon clyſmaticus pro educendis fæcibus ad manus ſit.

§. III.

Pilis ſi adſunt, abraſis; & memoratis impedimentis ſublatis: ſupinus collocetur æger, declivi capite, crure affecti lateris parum inflexo, natibus elevatis; ut cutis atque arcus tendinoſus paululum laxetur. Operator, alterius manus pollice atque indice mediam cutis portionem plicatam, & reliquam à miniſtro in latere oppoſito elevatam, incidat non longitudinali, ut in hernia inguinali, ſed tranſverſali ſectione ſecundum ligamenti *Poupartii* tranſverſum, & paululum obliqua ad ductum flexuræ femoris. Quod dum peragitur, caute procedendum, ne ramus cruralis exterior, mox ſub cute latens, lædatur. Quodſi cutis adeo tenſa eſt, ut digitis prehendi & plicari non poſſit, duobus digitis illa longitudinaliter ulterius tendatur, ut inciſio tranſverſalis ſuper tumore inſtitui poſſit, ubi iterum magna circumſpectione opus eſt. Remotis digitis facta inciſio pro rei & circumſtantiarum neceſſitate vel ſcalpello latente, vel ordinario ſpecillo ſulcato immiſſo eſt dilatanda, & pinguedo non ſcalpello, ſed cultello ſeparatorio; vel unguibus digitorum, quod à pluribus fieri ſolet,

eſt ſeparanda; ne ſectione vel violenta dilaceratione inteſtinum aut vaſa, præprimis præſente peritonæi ruptura, quod vero, ut jam ſæpius innui, rariſſime obſervamus, vulneretur. Quo facto, ſaccus, ſi adeſt, ſcalpelli cuſpide ſurſum elevetur, ei vel uno ex ſupra recenſitis ſcalpellis, vel forfice exiguum vulnus infligatur, ut ſpecillum ſulcatum immitti queat. Cujus ſulci ductu vel ſcalpello, vel forfice ſaccus partem prolapſam continens tota ſua longitudine diſſecetur. Quodſi vero inſtrumento, quod *biſtouri caché* ſupra appellavimus, utimur, neque ſpecillo, neque ſcalpello, neque forfice opus habemus, & majori cum ſecuritate operamur. Cavendo, ne inteſtinum, vel vaſa, ſtatim ſe offerentia, diſcindantur. Quodſi vero incaute vas inſigne læſum, illud eſt ligandum. Si quidam vaſorum ramuli cutanei diſſecti fuerunt, applicatione lintei carpti vel ſicci, vel ſpiritu vini imbuti, proſiliens ſanguis ſiſtatur. Sunt, qui pulverem ſtypticum in uſum quoque vocant, quo tamen carere poſſumus. Illo vero in caſu, in quo hernia, cum peritonæi ruptura complicata eſt; uti ſacci inciſione, ita & cautelis præſcriptis opus nullo modo eſſe, quivis facile judicabit. Inteſtinum quippe nude ſub integumentis occurrens, annulo id admittente, in abdomen reponitur. Anguſtia vero annuli inteſtini in abdomen intruſionem denegante, ad dilatationem pariter confugiendum; de qua re mox agam. Quodſi ſtrangulatio abeſt, aliqui partes in ſacco contentas, hoc non aperto, in ſitum naturalem reponunt, quam methodum novam quidem vocat *Garengeot l. c.* ſed brevi non paucos aſſeclas habituram eſſe auguratur.

## §. IV.

Partibus in ſacco jam nudis oculis ſe ſiſtentibus examinandum venit; utrum inteſtinum, vel omentum, quod in hernia crurali rarius egreditur, elapſum ſit? Quodſi omentum è ſede ſua prolapſum nigrum atque emortuum apparet, huic vel vinum aromaticum, vel ſpiritus vini camphor: aſpergatur, atque in ſana parte paulo ſupra illam, quæ gangræna atque ſphacelo affecta eſt, omentum prius filo acu trajecto atque circumvoluto ligetur, atque extirpetur; eadem prorſus ratione, qua in hernia inguinali idem peragitur. Ligamentum ſæpius memoratum ſpaſmodice conſtrictum, ut & inteſtinum vel omentum eidem firmiter impactum annuli anguſtiam producit, atque intruſioni violentæ anſam præbet; hinc nonniſi, facta prius ligamenti dilatatione, elapſa reponi queunt. Hic vero annulus immiſſione ſpecilli ſulcati, & ſcalpelli incurvi in ſulco hujus ducti; vel ſi huic aditus non datur, unguis ſolius applicatione dilatetur: vel quod melius eſt, annulus ope inſtrumenti ſupra deſcripti *biſtouri caché* dicti, eidemque immiſſi, altero ſui extremo ſurſum elevati, altero circa manubrium depreſſi, moxque extracti, obliqua inciſione verſus os ilei amplietur. Inteſtinum elapſum, antequam reducatur, linteo vino aromatico imbuto foveatur, ne labem contrahat. Quodſi gangræna correptum & corruptum eſt inteſtinum, præſtat manum de tabula removere, quia omne tentamen irritum prorſus eſt, experientia

teſte,

teſte, niſi forſan hoc unicum valde periculoſum atque anceps remedium ſupereſt, ut pars corrupta reſcindatur, & reſidua ſana integumentorum labiis aſſuatur, quo facto fæces jam non per anum, ſed ex aliqua abdominis parte exeunt. Sed nec hæc encheireſis voto vel chirurgi vel ægri in omnibus reſpondet. Pars inteſtini recta ſurſum & parum introrſum verſus regionem pubis prematur: ſi fæces induratæ obſtaculum præbent, digitis illæ removendæ, ſi flatus, portio inteſtini extrahenda, ut major eis locus concedatur, atque inteſtinum mollius evadat. Reducta hoc modo parte inteſtini miniſter linteum vel ſpiritu vini calido, vel vino aromatico imbutum annulo apponat, ne id, quod modo repoſitum fuerat, rurſus elabatur. Annulum, quo magis coarctetur, in ſuperiori limbo aliquot inciſionibus ſcarificandum hic eſſe, æque ac in inguine Galli volunt, an vero finem, quem ſibi hac in re proponunt, ſemper aſſequantur, inde dubitare licet, quod paucæ hæ inciſiones annulo, maxime ſi in hernia inveterata multum dilatatus fuerit, ſufficienter conſtringendo impares eſſe videantur, unde fit, ut æger ſæpe citius vel tardius idem malum incurrat. Inutiles ſacci reliquiæ vel duplici vel triplici filo probe cerato fortiter conſtringantur, atque à partibus contiguis ſeparentur: quæ conſtrictio impedit, quo minus ſæpius recenſitæ partes in poſterum relabantur, cui velificatur non parum ſacci ad annulum accretio. Sed cavendum ſedulo eſt, ne vel arteria vel vena cruralis, vel nervus, vel etiam tendines muſculorum una ligentur; unde gangræna atque motus ſpaſmodici oriri facile poſſunt. Inteſtino in abdomen repoſito turunda medicamento aliquo defenſivo prius, poſt digeſtivo imbuta, atque filo extra vulnus propendente prædita annulo non tam inſeratur, quam cum aliquali vi intrudatur; linteum carptum huic turundæ circumponatur; reliquum vulneris eodem linteo carpto impleatur; poſt ſplenia plura triangularia vino aromatico imbuta, quorum unum altero minus ſit, & minimum immediate loco affecto imponatur & applicetur. Totus apparatus firmetur faſcia, quæ ſpica audit, magis inferius, quam in hernia inguinali applicanda, & quidem circa finem inguinalis regionis, atque internam & ſuperiorem femoris partem, ita autem applicetur, ut ſpica directe annulo ſuperincumbat. Crus, cui faſcia applicatur, debet eſſe flexum, quo illa magis firmetur, ubi hoc extenditur, quæ e contrario relaxatur, ſicubi alia ratione applicatur. Ægri vires poſt operationem cordiali potione, atque juſculis e carne paratis refocillentur, ut & alimenta eupepta toto curationis tempore exhibere convenit. Quieti tradatur æger, capite humiliore exiſtente, ne inteſtina ſuper annulum multum gravitent. Miniſter tum mox poſt factam reductionem, tum etiam ſequentibus deligationibus annulo manum, ob metum novi prolapſus, applicet; ante ſecundum vel tertium diem, ſymptomatibus gravibus & funeſtis non accedentibus, deligatio non eſt removenda; in ſequentibus deligationibus turunda atque plumaceoli vel ſpiritu vini camphorato, vel unguentis digeſtivis imbuti, & ſplenia gradatim diſpoſita, atque faſcia ſpica

dicta applicentur! Sicque ultimis diebus, uti in vulnere ordinario conſolidatione toti curæ, ſi res bene cedit, imponatur

FINIS.

## COROLLARIA.

1. *Lienis uſus medicis nondum ſatis perſpectus eſt.*
2. *Graviditas ex ſola urina non cognoſcitur.*
3. *Signa ex ſanguine per venam ſectam emiſſo deſumta fallunt.*

LXXII.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE HERNIA VESICÆ URINARIÆ.

*Quam Præſide*

D. JOANNE SALZMANN,

*Tuebatur.*

JOAN. PETRUS DIVOUX,

*COLMARIA-ALSATUS.*

Argentorati 12 Auguſti anno 1732.

## Thes. I.

Cum nemini non conſtet, rectum normam eſſe obliqui; antequam ad herniæ veſicæ urinariæ, de qua impræſentiarum agere nobis animus eſt; pathologiam devolvamur, non male nos acturos eſſe ſperamus, Anatomicam partium affectarum prælibare deſcriptionem. Etenim ſuo jam tempore *medicorum princeps Hippocrates* [ *a* ] dixit: *Natura corporis principium ſermonis in arte medica ſit. Neminem etiam ignorare* arbitratur *Jo. Conrad. Barchuſen* [ *b* ] *neque medicinæ neque ſapientiæ ſtudioſos poſſe de corporis humani ſtatu tam ſano, quam morbido diſſerere ex amuſſim, niſi extrinſecam juxta & intrinſecam corporis ſtructuram habuerint quoque perſpectam.* Cum quo apprime conſentit *Carol. Drelincurtius* [ *c* ] de anatomia, vero totius medicinæ oculo & fidiſſimo clavo ita loquens: *Qui anatomes luce atque beneficio non fruitur, morbis tamen gravioribus curandis ſeſe accingit, tanquam nauclerus oculis & mente captus, citra clavum & navigatoriam acum, æſtuoſum atque procelloſum in æquor vela pandit naufragium tandem miſere facturus.* Egregie ſane dicta; quis enim ſtatum præternaturalem facile dignoſcet? Quis ſymptomata morbum, ut umbra corpus, ſequentia feliciter enucleabit, juſtam veramque prognoſin indigitabit, tandemque ſalutarem medelam ægrotantibus cito, tuto & jucunde afferet, ſtatu naturali non probe cognito atque perſpecto?

## Thes. II.

Organum principalius affectum atque hocce in morbo potiſſimum conſiderandum veſica urinaria eſt. Verumenimvero cum naturalis partium imum ventrem aliquibus in locis inveſtientium conformatio, non in notitiam ſolum affectuum iſtis accidentium nos deducat, ſed etiam quomodo & per quas vias dictæ partes prolabi queant, & re ipſa prolabantur, doceat; operæ pretium fore arbitramur, de iiſdem ſermonem etiam facere. Ad hanc claſſem pertinere muſculos abdominales, nemo, qui anatomiæ modo & chirurgiæ limina ſalutavit, inficias ibit. Quorum quinque paria in anatomicorum ſcholis plerumque demonſtrantur: oblique deſcendens [ *d* ], quod omni laude major *Herm. Boerhaave* [ *e* ] obliquum exterius, alii obliquum majus appellitant; oblique aſcendens [ *f* ] vel juxta modo laudatum *Boerhaave* [ *g* ] obliquum inferius, ſecundum alios obliquum minus, tranſverſum [ *h* ] rectum

[ *a* ] Libr. de loc. in hom. §. IV.
[ *b* ] Hiſt. med. Dialog. III.
[ *c* ] Prælud. anat.
[ *d* ] Veſal. libr. II. tab. I. Euſtach. tab. 28. Heiſt. comp. anat. §. 205.
[ *e* ] Inſtitut. med. §. 86.
[ *f* ] Spigel. lib. IV. tab. 10. Euſtach. tab. 32. Heiſt. l. c.
[ *g* ] l. c.
[ *h* ] Veſal. libr. II. tab. 5. Euſtach. tab. 33.

rectum [*i*] & pyramidale [*k*]; octo muſculi priores à fibrarum vel oblique, vel recta, vel tranſverſim excurrentium, ſeque invicem interſecantium tractu nomina ſua acceperunt; duo poſteriores appellati ſunt à figura, qua haud inepte pyramidem referunt, qui vero muſculi mox plane deficientes, mox alteruter in uno tantum latere ſeſe conſpiciendum præbens [*l*] æque ac recti, cum ad inſtitutum noſtrum nihil faciant, iiſdem non immorabimur. Reliquorum vero muſculorum, abdomen ab injuriis externis munientium atque firmantium, potiorem habendam eſſe rationem omnes uno ore confitentur. Ne autem, quæ ſupervacanea videntur, in medium proferamus, horum muſculorum origini atque inſertioni recenſendæ ſuperſedemus, potius perluſtraturi, quomodo herniis hæ partes faveant.

## Thes. III.

Conferunt autem modo enumerati muſculi ſuum ad hernias ſymbolum ea parte, qua perforati ſunt, id eſt, quatenus partibus egreſſuris tranſitum quandoque concedunt. Tribus vero id fieri locis autopſia anatomica comprobat, quæ muſculorum perforationes hiatus vel annuli nuncupantur. Quorum primus, reipſa annulus dicendus, eſt in medio abdominis in linea ab *Adr. Spigelio* alba dicta, inter utrumque muſculum rectum, efformaturque à tendinibus muſculorum oblique deſcendentium & aſcendentium, nec non tranſverſalium unitis, accedente nonnunquam tractu tendineo muſculi recti tranſverſo, quorum plures ſunt & inſcriptiones vocantur. Tranſitum præbet hic hiatus vaſis, nempe venæ uni & duabus arteriis in funiculum compactis, fœtui in utero hoſpitanti nutriendo dicatis, atque in ſcholis medicorum umbilicalibus nominatis. Poſtquam vero fœtus ex uteri ergaſtulo in liberiorem auram erupit, inque theatrum mundi editus eſt, occluditur & obturatur, uſu dictorum vaſorum ceſſante, fœtuque per alias jam vias nutrito, nihilo tamen ſecius, præprimis in juniore ætate, accedente cauſa vel externa vel interna violenta annulus hicce dilatatur, atque partibus exitum molientibus eumdem concedit, ſimulque herniæ umbilicali favet. Alterum hiatum muſculis abdominis inſculptum & figura ovalem quod concernit: notum eſt, eum in interiore inguinis regione magis ſitum obtinuiſſe, ubi herniæ parvæ quidem, ſed lethales [*m*] oriuntur, tranſitumque vaſis, extremitatum inferiorum nutritioni inſervientibus præbere, quæ in medicorum ſcholis cruralia audiunt. Unde efformetur hic annulus nondum extra-

con-

[*i*] Spigel. lib. IV. tab. 8. Euſtach. tab. 28. Heiſt. comp. anat. §. 205. multi anatomicorum rectum in plures muſculos ſubdividunt, unde 7. 8. l. 9. muſculorum paria enaſcuntur.

[*k*] Fallop. inſtit. anat. pag. 431. Bidloo tab. 32. fig. I.

[*l*] Heiſt. l. c. ut & icones horum muſculorum nitidiſſime delineatas vid. in Cowperi Myotomia.

[*m*] Verheyen. anat. tract. II. cap. 7. & tab. 10. ubi locus bacillo immiſſo notatur.

controverſiæ aleam poſitum eſt. *Dn. Poupartius* [*n*] hunc hiatum à ligamento robuſto, è ſpina anteriore oſſis ilei ad ſupremam oſſis pubis partem expanſo, formari ſtatuit; verum aliqui primi ordinis anatomici non modo huic ſententiæ non ſubſcribunt, ſed hujus ligamenti exiſtentiam diſertis verbis negant, quos inter eminent *Perſpicaciſſimus Jo. Bapt. Morgagnus* [*o*] & *Dexterrimus Cowperus* [*p*] aſſerentes illud potius eſſe imam oram ſeu limbum tendinis muſculi oblique deſcendentis, quod aſſertum exoſculatus quoque eſt *Celeberrimus Heiſterus* [*q*]. Alii vero pro peculiari ligamento illud haberi poſſe autumant, eo quod autopſia teſte, (I) multo craſſius & firmius eſt quam dicti muſculi aponeuroſis. (II) fibræ illius magis albicant; quam litem noſtram non facimus, hoc unice addentes, quod in fœminis validius illud exiſtat, & ab hoc ſive ligamentum ſit, ſive ima tendinis muſculi obliqui externi ora, annulus ovalis ſive hiatus cruralis generetur. Vocatur à Gallis *l'arcade*, quo tamen jure cum figura fornicata comparari queat, nos hic non diſpiciemus. Quidquid ſit, admiranda Summi omnium rerum Conditoris Sapientia mechanica hac ſtructura cautum eſt, ne partes in abdomine liberius fluctuantes, levi cauſa, eaque violenta prolaberentur & herniæ generarentur; totam quippe viſcerum imi ventris molem quaſi ſuſpendit & ſuſtentat hoc ligamentum, unde & ſuſpenſorium [*r*] vocatur, atque robore ſuo ligamenti munus re ipſa præſtat, cujus ſuo jam tempore, utut non ſub ligamenti nomine meminit *Andr. Veſalius* [*s*] illudque *Gabr. Fallopius* clarius deſcripſit [*t*]. Annulus hic à quacumque cauſa violenta dilatatus partibus inde egreſſuris viam pandit, & herniæ crurali anſam præbet atque occaſionem, nempe herniis iſtis parvis lethalibus, de quibus ſupra jam dictum.

## THES. IV.

Supereſt tertius adhuc conſiderandus annulus, quem proceſſus peritonæi in viris, vaſa humani generis propagationi dicata involventes, in mulieribus ligamenta uteri rotunda ſeu teretia, vaſculoſa recentioribus credita trajiciunt. In his capacitate minor & ſitu inferior eſt, quam in viris, in utroque ſexu inferius anguſtior, ſuperius amplior obſervatur. In ſtatu præternaturali omento, nec non inteſtinis inde egreſſuris tranſitum haud denegat, frequentius in viris, quam in fœminis ob rationem modo allegatam. Formatur hoc foramen (I) à muſculo oblique deſcendente ſeu externo, quod non tam annularis quam ſemiovalis figuræ, duos circiter digitos tranſverſos longum & dimidium fere latum eſt, à duabus ejus aponeuroſis appen-



[*n*] Hiſt. Acad. Reg. Scient. an. 1705. p. 64.
[*o*] Adverſ. anatomic. III. animadverſ. I.
[*p*] Myotomia nova p. 2. & tab. 14. & 15.
[*q*] Compend. anat. nota IV.
[*r*] Hiſt. Acad. Reg. Scient. ann. 1705. p. 64.
[*s*] Fabric. corp. hum. libr II. p. 31.
[*t*] Inſtit. anat. de muſc. abdom.

dicibus ſeu ligamentis, columnæ, Gallis *Piliers* dictis, conſtruitur, cujus margines firmiores & fimbriam velut conſtituentes fibris tendineis à faſcia lata venientibus debentur, ab iiſque non parum roboris acquirunt. Dictæ columnæ, quæ in ſupernam & infernam non male diſtinguuntur, ex uno latere in alterum progreſſæ crucis in modum ſe invicem decuſſant, oſſique pubis firmiter annectuntur [v]; in adulto illud folii myrtini magnitudinem [x] adæquare poteſt. (II) ab oblique aſcendente ſeu interno, cujus fibræ carneæ prope connexionem cum externo à ſe invicem ſecedentes iiſdem partibus commeatum largiuntur. Quandoque inter iſtas & manipulum fibrarum ad muſculum cremaſterem pertinentium vaſorum funiculus decurrit. *Nic. Blegny* [y] cum multis aliis tertium addit in muſculo tranſverſo, quem magni nominis anatomici non admittunt. Præ aliis *Illuſtr. Jo. Bapt. Morgagnus* [z] qui tranſverſi præſertim tendinem non foramine, neque, ut oblique externi tendo ſolet, dimidiato foramine pertuſum, ſed integro ſuo inferiore limbo iiſdem proceſſibus tranſverſim ſuperpoſitum ſe inveniſſe perhibet. Proinde vaſa ſpermatica eumdem non penetrant, ſed ſub ejus limbo verſus os ileum pergentia ad latus externum emergunt. Cognitio ſitus annulorum in reductione partium loco motarum magni utique eſt momenti, dum enim reductionem partis alicujus prolapſæ ſuſcipimus, maximo nobis cavendum eſt opere, ne eamdem è directo tentemus, ſi enim hoc modo quis procedere vellet, partem elapſam inter duos muſculos magis, quam in abdominis cavum impelleret. Differunt autem modo deſcripti hiatus (I) ratione ſitus, quo ſibi e regione non correſpondent in ſtatu naturali (nam in præternaturali, nempe in herniis magis paralleli obſervantur) ille enim ab obliquo interno formatus elatior, & à linea alba remotior eſt, quam qui ab obliquo externo formatur. Unde factum, ut oblique verſus anteriora vaſa ſpermatica decurrant. Cujus rei rationem reddit *Clariſſ. Verheyenius* [a] quia ſi talis foraminum ſitus non eſſet, *ubi perveniſſent ad os pubis dicta vaſa, deberent ſubito, & quaſi ad angulum acutum inflecti & tendere recta verſus anteriora, qua inflexione multum impediretur liber ſanguinis tranſitus in arteriis ſpermaticis admodum neceſſarius. Cum vero dicta vaſa ab origine paulatim tendant ad latus, indeque rurſus inter duplicaturam peritonæi ſenſim vergant anterius ad ſcrotum, nullum in toto tractu angulum notabilem, nullamque ſanguini tranſeunti difficultatem creant.* Id quod de vaſis ſpermaticis dictum modo eſt, de ligamentis rotundis ſeu teretibus, quæ in ſequiore ſexu occurrunt, etiam valet, utpote quæ nil niſi congeries vaſculorum eſſe à recentioribus

[v] Vid. ſolertiſſ. corp. hum indagatorem *Jac. Benign. Winslowm* in opere anatomico nuperrime edito, in quo accuratius quam plerique hactenus anatomici verſatus eſt, quodque *Expoſition anatomique de la Structure du corps humain* inſcripſit, tr. de muſc. §. 50. & ſeqq.

[x] Zodiac. med. Gall. ann. I. de art. herniar, cur. part. 1. S. 1. cap. 2.

[y] loc. cit.

[z] Adverſ. anat. II. animadv. X.

[a] Anat. corp. hum. tract. II. cap. 7.

ribus cenſentur, adeoque ligamenta vaſculoſa audiunt. An vero commercium præbeant ſanguini partium internarum cum externis noſtrum non eſt hic dijudicare. (II) ratione ſubſtantiæ, annulus, qui ab obliquo externo formatur omnium validiſſimus eſt, & valde tendineus, quam ob cauſam hic partium per hæc loca delapſui ac repoſitioni præcipuum obicem ponere ſolet, nec non dictas partes fortiter conſtringendo ſtrangulationem infert; cum e contrario alter obliqui interni minus firmus atque carneus obſervetur. (III) ratione magnitudinis, amplior quippe eſt annulus internus quam externus, qui, ut hoc è ſupra dictis repetamus, in ſubjecto muliebri anguſtior, ut & ſitu inferior deprehenditur.

THES. V.

Ad peritonæum jam accedimus, cujus conformatio naturalis eo accuratius inveſtiganda eſt, quo magis ab hujus dilatatione plerumque, rarius à ruptione hernias oriri inter medicorum filios conſtat. Eſt autem peritonæum integumentum abdominis ſacciforme è duplici ſubſtantia conflatum, nempe è membranacea proprie dicta, & textura celluloſa; iſta magis minuſve tenuis, valida tamen, & fibris tendineis firmata, intus lubrica, dilatabilis & elaſtica, interiorem abdominis cavitatem cingens, atque viſceribus ejus in ſitu continendis, eorumque plurimis in ſacco velut detinendis inſerviens. Subſtantia celluloſa eſt congeries innumerarum veſicularum exilium, quæ plus minuſve pinguedinis in ſinu ſuo alunt, & ab aëre inflato facile omnes turgent, lamellamque internam attollunt. Deſcriptionem ejus exactam primus fere nobis tradidit ſupra *laudatus Winslous* [*b*]. Membrana hæc, quia in duas diviſa eſt portiones, pleriſque anatomicorum anſam dedit pro ejus duplicatura, tanquam pro aris & focis pugnandi; verum annotante *Accuratiſſimo hoc corporis humani ſcrutatore* duæ lamellæ, exterior nempe & interior admitti nequeunt, ſed tantum interior, exteriore non lamellam priori ſimilem, verum nonniſi texturam celluloſam conſtituente. Iſtam nulla alia, uti multi volunt, ambit, ſed remota eadem, muſculi aliæque partes nudæ oculis ſeſe ſiſtunt. Hic de peritonæi duplicatura error epidemicus in veterum ſcholis natus atque enutritus, ad noſtra uſque tempora, veluti per traducem, propagatus fuit. Alii vero hanc duplicaturam de eo ſaltem loco, ubi vaſa umbilicalia decurrunt, maxime infra umbilicum, intellectam volunt, quo ſenſu illam admittere videtur *Jo. Dom. Santorini*, *in Veneto Lyceo anat. Profeſſor*, [*c*] *dum peritonæum*, inquit, *nullo negotio in duas lamellas diſcernitur*, *quas inter umbilicalia alias vaſcula ad hepar ſubibant. Verum geminarum fibrarum ordinem perſpicue annotare potuimus*, *quæ in exteriore quidem lamella etſi minus firmæ*, *conſpicuæ tamen ſecundum longitudinem protendebantur*, *in interiore autem & firmiores & candidiores externas decuſſantes tranſverſim ferebantur.* Equidem non negamus, duplex hoc in loco

 peri-

[*b*] Expoſit. anat. tract. de abdomin. §. 22. & ſeqq.
[*c*] Obſ. anat. cap IX. §. 5.

peritonæum deprehendi, quæ duplicatura non duplici lamellæ, ſed uni tantum, nempe internæ debetur, quæ replicata eamdem format, atque dicta vaſa ſuſtentat. Altera ſuperior eſt ab umbilico ad hepar tendens, altera inferior ab eodem ad regionem pubis exporrecta, illa latiore exiſtente, hac gemina binas arterias umbilicales fulciente, utraque harum ſimilis eſt proceſſui falciformi cerebri lobis interjecto, unde & falcis nomen ei impoſitum fuit. Hi proceſſus in oculos facile incurrunt, ſi peritonæum in utroque latere diſſecetur, ita ut illi ſalvi maneant atque illæſi, & umbilicus paululum elevetur. Renes, ureteres & vaſa ſpermatica in peritonæi duplicatura decurrere formula loquendi anatomicis hactenus familiaris fuit, ſed nec hæc admitti poteſt, quia altera ejus lamella, nempe exterior, imaginaria eſt, haſque partes texturæ celluloſæ immerſas eſſe, rectius dicitur, præprimis renes, circa quos copioſior eſt, adeoque tunica adipoſa ab omni ævo dicta fuit. Figura peritonæi ad ovalem accedit inferius magis, quam ſuperius, ubi diaphragmati ſupertenditur, & infimi ventris configurationi internæ accommodata eſt. Ejuſdem craſſities non una eademque obſervatur, in viris namque à cartilagine enſiformi ſeu xiphoide ad umbilicum uſque craſſius eſſe creditur, ubi & à tendine muſculi tranſverſi non parum roboris nanciſcitur, hanc forſan ob rationem, quoniam hoc genus hominum cibi potuſque ingurgitationi magis indulget, ventriculumque eſculentis & potulentis nimium ſæpe onerat; id quod heluonibus, qui die nocteque congræcantur, in more eſt; qui ventriculus cibis ſic onuſtus & expanſus non poteſt non peritonæum multum dilatare. Quod ſi illud valde hic loci tenue exiſteret, frequentis ruptionis periculum eſſet. In fæminis vero ab umbilico ad os pubis uſque craſſius ſtatuitur, quo graviditatis tempore uterus fætui domicilium præbens, nec non in hydropicis, in quibus abdomen enormem quandoque in modum tumet, præter quod rumpatur, ſeſe expandere & dilatare queat. Connexionem quod attinet; notum eſt, illud cohærere anterius & utrinque à latere cum abdominis muſculis, atque potiſſimum cum tranſverſalibus adeo arcte, ut vix abſque dilaceratione cultello inde ſeparari poſſit. Poſterius cum oſſe ſic dicto ſacro & ligamentis, quæ dorſi inferiores & aliquot lumborum vertebras copulant, juxta commune anatomicorum aſſertum [*d*] & ſuperius cum diaphragmate, inferius cum oſſibus innominatis committitur. Unde patet, iſtud undiquaque abdominis lateribus circumtendi, uti & viſcera in hoc ventre contenta vel omnino vel ex parte inveſtire atque involvere conſtat.

## Thes. VI.

Externa peritonæi portio ſub ligamento Poupartii ad ſupernam femoris partem prolongata vaſa cruralia comitatur, qui proceſſus non, uti in inguine, multum exporrecti ſunt, ſed aliquod viæ ſpatium emenſi dictis vaſis agglutinantur. Duos alios emittit proceſſus extra abdomen, quorum decur-

[*d*] Vid. Fallop. inſtit. anat. p. 408.

decurſus dignus eſt; qui obſervetur. Natales ſuos pariter à parte exteriore cellulosa habent; lamella quippe interna in regione inguinali non perforatur, ſed integra annulos obtegit, & paululum extrorſum protuberans intus exiguam cavitatem relinquit, ubi eum in finem craſſior eſt, ut inteſtinorum molem ſuffulcire eo melius poſſit. Hæ productiones texturæ celluloſæ, ubi cum vaſis ſpermaticis atque deferentibus in virili ſexu annulos trajiciunt, ſepimenta illa membranacea, quibus in homine partes hæ involutæ ſunt, efformare videntur. Poſtea vaginam veluti conſtituunt, quæ prope teſticulum dilatata duos loculos format, aut in duas laminas dividitur, quarum interna vaginæ fundus eſt, externa vero ſuper teſticulum expanſa tunicam ejus vaginalem, Græcis Elytroidem dictam efformat. Eædem productiones flatu immiſſo optime deteguntur, & multum turgentes totæ quantæ celluloſæ atque veſiculoſæ apparent. Sed & lamina peritonæi interna, quæ ſaccum proprie loquendo conſtituit, ſuas productiones, quæ internæ votari merentur, obtinuit, ſuntque duplicis generis, aliæ ſacculos minores viſceribus ſuperinductos exhibent, eorumque, quæ inveſtiunt, figuram induunt, aliæ vero introrſum reflexæ & duplicatæ, celluloſa textura interjecta, in quam plurima ligamenta abeunt, inteſtina, hepar, lienem, vaſa umbilicalia &c. firmantia. Quemadmodum autem Divina Providentia decurſu modo dictarum partium; ita quoque earumdem ſtructura & conformatione generi humano benigniſſime proſpexit, eo, quod non patuli ſint modo dicti proceſſus in homine (uti in canibus, in quibus teſte *Gerh. Braſio* [*e*] ſtilo & flatu immiſſo via aperta detegitur) ſed juxta ordinarias naturæ leges obturati; rarioribus namque annumerandum, quod in ſiniſtro latere viri apertum illum viderit *Steph. Blancardus* [*f*]. Quod ſi enim in homine, qui erecto corpore incedit, ita hiarent, herniæ metui atque periculo quovis momento expoſitus ille eſſet, quia viſcera abdominis, & inter ea, maxime iſta, quæ liberius fluctuant, uti omnia gravia, deorſum ruunt, atque eo, ubi minor eſt reſiſtentia feruntur; in brutis vero hoc metuendum non æque eſt, utpote quorum corpora horizontalem ſitum ſervant, adeoque centrum gravitatis non tam in inguine, quam potius in regione umbilicali habent, unde fit, ut inteſtina nullum vel exiguum in annulos inguinales impetum faciant. Hi duo proceſſus vaſa ſpermatica, ut & deferentia vocata in viris, in mulieribus ligamenta uteri rotunda involvunt. Hos in ſexu ſequiore *Andr. Veſalius* annotante *Gabr. Fallopio* [*g*] negat, & *Clar. Nuckius* [*h*] eoſdem diverticula nova vocat atque prolixe deſcribit. Confer quoque *Maurit. Hoffmannum* [*i*]. Unicum adhuc proceſſum exhibet peritonæum in regione umbilicali, qui ortum

[*e*] Zootom. Cap. II. de canib.
[*f*] Anat. reform. cap. 33.
[*g*] Obſervat. Anat. pag. 408.
[*h*] Adenog. Cap. X. fig. 39. & 40.
[*i*] E. N. C. Dec. III. An. II. obſ. 110.

tum habet à ſuperna falciformi peritonæi reduplicatione verſus annulum umbilicalem anguſtiore reddita atque in unam membranam coaleſcente. Hic, diſciſſis poſt partum vaſis & paulo poſt occluſis, cum iiſdem in ligamentum tranſit. Et hæ peritonæi productiones non male externæ appellantur ab internis probe diſtinguendæ. Vaſa omnis fere generis, quibus peritonæum gaudet, ſilentio præterimus; de glandulis, quas *Celeberr. Heiſterus* [*k*] in dubium vocat, *Solertiſſimus Cheſelden* [*l*] vero ſe obſervaſſe perhibet, & tam operoſe ſtabilitum it *Garengeot* [*m*] hoc unicum addentes, humorem, quo viſcera aperto abdomine nunquam non madere cernuntur, eaſdem non omnino confirmare, utpote qui à continua viſcerum exhalatione rectius derivari nobis videtur. Uti & in vario ipſi attributo uſu determinando prolixi non erimus, quoniam ad ſtatus præternaturalis, de quo impræſentiarum agimus, dilucidationem parum confert, ejus tantum mentionem facientes, quo viſcera abdominis, & præ aliis inteſtina in ſitu continere & coërcere creditur; vel illa veluti in ſacco quodam continendo, vel ligamentis atque prolongationibus, quas hinc inde format, fulciendo; unde dilatata, vel etiam, quod rarius fieri ſupra jam innuimus, rupta hac membrana, hernias e veſtigio generari multis perſuaſum eſt. Quod uti nullo modo inficiamur, ita ſimul in memoriam revocamus, peritonæum ſolum huic uſui præſtando impar eſſe, iſtumque magis à muſculis abdominis eorumque annulis dependere, hac potiſſimum ratione inducti, quod his dilatatis, aut quacumque de cauſa ruptis vel diſſectis, illæſum etiam peritonæum mox ab omento, vel inteſtinis foras propellatur atque protuberet. Textura celluloſa organum colatorium, vel ſaltem receptaculum eſt pinguedinis, quæ certos ob uſus facile cedit, mollem viſceribus ſitum conciliat, & impetus in illa æque ac totum abdomen factos notabiliter infringit.

## Thes. VII.

Tradita muſculorum abdominis, & peritonæi, quatenus herniis favent, qualicumque deſcriptione, propius ad partem in hernia cyſtica potiſſimum affectam, adeoque maxime conſiderandam, quæ veſica urinaria eſt, progredimur. Eſt autem illa viſcus cavum, pluribus e membranis ſibi invicem incumbentibus conflatum, urinæque recipiendæ, aſſervandæ & emittendæ dicatum. Situm illa obtinuit in cavitatis, quæ pelvis dicitur, parte antica & inferna, retro oſſis pubis ſymphyſin deliteſcit, & maxime ubi vacua eſt, occultatur, à quo etiam veluti ſuſpenditur. In recens natis, habita corporis proportione, major cernitur quam in adultis, utpote in quibus ad umbilicum ferme extenditur. Magnitudo ejus accuratius determinari nequit;

[*k*] Compend. Anat. Not. VI.
[*l*] Anat. Edit. prim. pag. 96.
[*m*] Splanchnolog. Cap. VI.

nequit; quia enim dilatationis maxime capax eſt, differt prouti urina magis minuſve repleta, aut ſæpius multumque diſtenta fuit, vel etiam calculum diu in ſinu ſuo aluit. In priore caſu ampliatur, in poſteriore multum anguſtatur. Amplior anterius & poſterius, quam circa latera eſt, repleta inferius capacior, quam ſuperius exiſtit, vacua vero ſuperiore loco magis rotunda, quam in inferiore deprehenditur [*n*] uti & figura ejus variatur, quæ flatu diſtenta veſica in viris ovalis ſeu potius imperfecte conica, ſed inverſa eſt, apice ſuperiora ſpectante, parte latiore, infernum & anticum aliquatenus locum occupante. Ab aliis referre dicitur lagenam inverſam, ſeu vitrum collo oblongo vel anguſto præditum, cujus fundum nobis erectis ſurſum & retrorſum, collum vero deorſum & paululum antrorſum ſpectat. In fæminis & gravidis, præprimis in illis, quæ ſæpius pepererunt, figuræ magis cylindricæ, vel notante *Clariſſ. Mauchart* [*o*] doliolo tranſverſim poſito ſimilis, in quibus etiam ſuperius in duos veluti angulos acuminatur.

## Thes. VIII.

Connexionem habet cum multis partibus vicinis, ſed maxime conſideranda eſt illa cum peritonæo, circa quam probe notandum, veſicam non locatam eſſe inter ejus duplicaturam, uti *Steph. Blancardus* [*p*] & cum eo haud pauci anatomicorum perhibent, quin potius ſequentem in modum autopſia teſte cohæret; lamina peritonæi interior veſicam obtegit superna, poſtica, imo & aliquatenus antica parte, ubi prolongationes ad os pubis & inteſtinum rectum in viris, in fæminis vero ad uterum emittit, quarum poſterior ligamentum tranſverſum & ſemilunare refert, atque inteſtini recti expanſioni limites ponit. Reliquis vero in locis ſubſtantia celluloſa cingitur, qua cum oſſis pubis poſtica ſede committitur; laminam quippe peritonæi internam hoc in loco non arcte connecti, inde colligitur, quoniam veſica in oſſe pubis incidi poteſt, præter quod modo dicta lamella lædatur; hac ſubſtantia inflata omnes cellulæ aëre replentur, obſervaturque à *Dn. le Dran* [*q*] in quibuſdam locis illam valde craſſam exiſtere, eam ob cauſam, ut veſica à liquore intus contento multum expandi queat. Cæterum cohæret quoque cum renibus ope ureterum, mediante urethra cum partibus genitalibus, in viris adglutinatur inteſtino recto, unde & illud facile explicatur, quod ſcilicet alvum deponentes urinam ſimul reddere ſoleamus. In fæminis utero ejuſque vaginæ maxime adhæret, in utro-

que

[*n*] Winslous l. c. §. 448.
[*o*] Diſp. de hernia incarcerata ann. 1722. Tubingæ habita.
[*p*] L. c. Cap. XXVI.
[*q*] Tract. qui, Parallele des differentes manières de tirer la pierre hors de la veſſie, inſcribitur.

que ſexu ope arteriarum umbilicalium & urachi cum umbilico jungitur, quæ partes unitæ ligamentum ſuperius conſtituunt. Obſervantur duo alia ligamenta minora partem fundi anteriorem oſſibus pubis alligantia. Præter hæc alia à ſupra laudato *Winsloo* [ *r* ] lateralia appellata, à productione peritonæi veſicæ & inteſtino recto interjecta, quæ tranſverſalia & ſemilunaria ſupra appellavimus, enaſcuntur. Liceat hic paucis attingere controverſiam iſtam inter anatomicos vexatam & magno animorum motu agitatam, an ſcilicet dicta vaſa umbilicalia pervia ſint necne? De uracho quidem, qui productio tunicarum veſicæ eſſe videtur, autopſia id confirmante conveniunt, illum in animalibus brutis pervium eſſe; verum haud pauci cavitatem in fetu humano eidem denegant, quos inter eminent *Car. Drelincurtius* [ *s* ] ac *Franc. Mauriceau* [ *t* ] aliis eamdem admittentibus. Utraque ſententia ſuos nacta eſt Patronos & Propugnatores. Sæpe *laudatus Heiſterus* [ *u* ] qui quidem eum in fetu humano nunquam apertum eſſe teſtatur, non diu poſt, autopſia ulteriore edoctus, eidem cavitatem tribuit [ *x* ]. Litem hanc dirimere videtur experimentum à *Clar. Ridley* [ *z* ] inſtitutum, quo patet, perforationem urachi, quæ nec ſtilo, nec flatu detegi antea poterat, papilla ejus orificio adſtante abſciſſa, oculos ſtatim incurriſſe. Sic quoque arterias umbilicales, fetu in lucem edito, ad veſicæ fundum uſque hiare ab anatomico Regio Pariſienſi du *Vernejo* ſtatuitur, eique plurimos ramulos largiri, & à *le Dran* [ *a* ] ſanguis ex arteriis hiſce proſiliens obſervatus. Qua in re alii magnæ exiſtimationis & ingenuitatis viri ad autopſiam provocant, quæ docet, in adultis etiam dictas arterias ad medium uſque veſicæ hiare, huicque viſceri ramulos aliquot impertiri. Quicquid ſit ſive aperti maneant hi canales, ſive occludantur, ſucceſſu temporis ligamenta veſicæ præbent, eamque, magis poſteriore in caſu, umbilico aliiſque partibus ſatis firmiter adnectunt.

## Thes. IX.

Quoniam veſicæ diameter ſenſim atque ſenſim diminuitur, & in anguſtius ſpatium coarctatur, diviſio in corpus, fundum & collum ſeu cervicem enata eſt, ille, uti modo dictum, ſitu ſuperior, hæc vero inferior ſeu potius anterior eſt, quam tamen ſupra *laudatus Winslous* rectius fundum appellari contendit. Circa collum viſui ſeſe exhibet faſciculus fibrarum carnearum tranſverſalium mediocriter craſſarum [ *b* ], ſub rectis extremum colli

[ *r* ] L. c. §. 457.
[ *s* ] Medit. de Urach.
[ *t* ] De Morb. Mulier. Libr. II. cap. 4.
[ *u* ] E. N. C. Cent. I. & II. obſ. 198.
[ *x* ] E. N. C. Cent. III. & IV. obſ. 194.
[ *z* ] Act. Erud. Lipſ. ann. 1705. Menſ. Mart.
[ *a* ] Garengeot. Tr. des operat. de Chir. Tom. I. cap. 8. edit. prior.
[ *b* ] Boerhaave Inſt. Med. §. 366.

colli veſicæ arcus in modum ambiens [ *c* ] & ſphincter appellatus. Fibræ hujus muſculi cum illis inteſtini recti [ *d* ] ac proſtatis, quibus adhæret veſica in viris, in fœminis cum vaginæ fibris coëunt, cujus munus in eo conſiſtit, ut collum conſtringendo impediat, ne urina nobis invitis & continuo exſtillet, qui etiam expulſore muſculo agente & urina excretionem moliente cedit & dilatatur. Qui uſus inde etiam patet, quod eo relaxato involuntarie & perennante rivo lotium effluat. Collo veſicæ continua eſt urethra plumam majorem aut tubulum minorem referens, & cum roſtro alembici, qui veſica eſt, comparanda, tertia penis columna in viris, quæ ortum ſuum nanciſcitur ſub arcu oſſis pubis obtuſo à cartilagine enato, non vero acuto, qualis in ſceletis excoctis conſpicitur. Ejuſdem fere cum corporibus penis nerveo-ſpongioſis ſubſtantiæ [ *e* ] in quorum ſulco decurrit, iiſque arcte adhæret. Conflatur illa duabus e membranis valde robuſtis, quibus infra bulbum & pollicem circiter tranſverſum ab initio urethræ interſperſa eſt ſubſtantia modo dicta ſpongioſo-cavernoſa, mole minor & fibris tenuioribus conflata, quæ, aëre inflato non parum intumeſcit, unde recte in ſubſtantiam membranaceam & ſpongioſam diſtingui ab anatomicis ſolet. Supra bulbum vero tota quanta membranacea eſt, ſepti ibi ſiti foramen tranſiens, & catheteri immiſſo obicem quam maxime ponens. Eſt autem bulbus urethræ textura ſpongioſa protuberans, quæ bulboſam fere radicem refert, in poſtica urethræ ſede locata & in duas veluti partes diviſa [ *f* ]. Membranacea adeo robuſta eſt, ut aponeuroſeos nomine inſigniri mereatur [ *g* ]. Exterior tunicæ penis propriæ & tendineæ propago, interior membranæ veſicæ, potiſſimum nerveæ, productio exiſtit. In viris notabiliter longior obſervatur quam in fœminis, in quibus quantum longitudine cedit, tantum capacitate ſuperat. Quapropter calculus exitum moliens has non tantis doloribus & cruciatibus exponit, quos viri ab hoc primæ juventutis & ultimæ ſenectutis tormento ſæpius experiuntur. Recta non pergit urethra, ſed ſub arcu notabiliter inflectitur & curvatur [ *h* ], per aliquot anfractus deſcendit, iterumque aſſurgit, variiſque ſui decurſus locis capacitate variatur [ *i* ]. In principio membranacea eſt, valdeque gracilis, eum in finem, ut in ſtatu quoque præternaturali ſine magno reniſu dilatari atque expandi [ *k* ], corporibuſque heterogeneis tranſitum concedere valeat. Ad glandem appropinquans hic canalis ampliatur, & pars ſpongioſa attenuatur, graciliorque reddita in glande tandem obliteratur,

[ *c* ] Heiſt. Compend. Anat. §. 222.
[ *d* ] Santor. Obſerv. Cap. X. §. 21.
[ *e* ] Graaf de Org. Genit. Vir. pag. 102.
[ *f* ] Morgagn. Adverſ. Anat. IV. Animad. 21. Winslous l. c. §. 533.
[ *g* ] Le Dran. loc. cit. pag. 24.
[ *h* ] Alghiſ. Tract. de Lithot. Morgagn. Adverſ. Anat. III. Animadv. 41.
[ *i* ] Boerhaave loc. cit.
[ *k* ] Le Dran. Tract. cit pag. 24.

tur, [*l*] membranacea ſolum ad obtegendam illam producta, unde calculo in veſica exiſtente pruritus in dicta parte provenit.

### Thes. X.

Pluribus de urethra dicendis jam ſuperſedentes ad veſicam redimus, ejus foramina luſtraturi, quorum tria ſunt, duo urinæ receptioni dicata, ureterumque inſertioni locum præbentia, hi miro in veſicam artificio terminantur. Orti in renibus infundibuli inſtar ampliatis [*m*] ſub lamella peritonæi interna in ſubſtantia ejus celluloſa capacitate inæquali, ſupra infraque paululum incurvati ſuper muſculum Pſoas dictum, retro vaſorum ſpermaticorum funiculum pariter ac iliaca decurrunt, & deferentia crucis in modum decuſſant. Hi canales à calculis, quandoque mirum in modum ampliantur [*n*], atque ad veſicæ ſedem poſticam delati, perforata membrana muſculoſa, inter hanc & nerveam obliquo decurſu progrediuntur, atque ſede poſtica & inferna in cavum veſicæ digiti tranſverſi diſtantia verſus urethræ orificium deſinunt. Extremitas hujus inſertionis ſatis tenuis & membrana duplici conſtans à tunica veſicæ & ureteris interna enaſci *Cel. Winsloo* [*o*] videtur, atque valvulam veluti efformare creditur [*p*], quæ impedit, quo minus urina intus contenta regurgitare ad ſuperiora poſſit, eodem fere modo, quo ductus cholidochus communis in inteſtinum duodenum hiat. Sunt qui hanc valvulam negant, perſuaſi inſertionem ureterum obliquam ſufficere, hacque poſita & veſica expanſa, eorum orificia ſatis occludi. Dicta ureterum inſertio in facie interna veſicæ ad figuram roſtri cirneæ (*d'une eguiére*) accedit. Tertium orificium urinæ exitum in urethram concedit, quod, notante *le Dran* [*q*] inflata veſica evaneſcit, aëre vero expulſo viſui iterum ſeſe exhibet. Hoc orificium ſphincter ſupra jam deſcriptus ambit atque claudit.

### Thes. XI.

Structuram hujus viſceris quod attinet, ſupra jam innuimus, illud eſſe cavum pluribus lamellis membranaceis ſibi invicem incumbentibus, fere ut ventriculus, conflatum, quot autem numero membranæ ſint, inter aliquos anatomicos non extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſt.

*Gabr.*

[*l*] Graaf. Tract. cit. pag. 102. & 103.
[*m*] Heiſt. Comp. Anat. §. 221.
[*n*] Frid. Ruyſch. obſerv. 15. & 94. Coſchwiz. diſſ. de Valv. in ureteribus.
[*o*] Tract. cit. §. 461.
[*p*] Heiſt. loc. cit. §. 221.
[*q*] Loc. cit. p. 14.

*Gabr. Fallopius* [ r ] *Celeb. Herm. Boerhaave* [ s ] *Phil. Verheyenius* [ t ] *Steph. Blancardus* [ u ] tribus veſicam conſtare tunicis perhibent; non autem immorabimur illi, quod modo citati authores in nomine hiſce tunicis tribuendo non conveniant. Texturam hujus viſceris rimantibus quinque potius ſeſe offerunt, quæ à *Winsloo* [ x ] in proprias & communes recte diſtinguuntur. Harum prima à peritonæò ortum habere perhibetur, ſed minus recte, quoniam in prima formatione omnes partes ſimul generantur, rectius ergo, peritonæo continua dicitur, cujus lamina interna veſicam ſuperna, poſtica & utraque laterali ſede inveſtit, quamque ab omni ævo communem vocarunt, non vero, uti modo dictum, veſicam undiquaque cingit [ y ], &, quod non prætermittendum eſſe cenſemus, parte poſtica inter hanc & inteſtinum rectum interjacens ligamentum ſemilunare replicatum efformat, quod nimiæ utriuſque viſceris dilatationi limites ponere videtur. Secunda communium textura cellulosa eſt, quæ veſicam undique fere ambit primæ & muſculoſæ interjecta, quas etiam cum ſe invicem committit, atque hunc uſum obtinuiſſe videtur, ut veſicæ ſeſe expandenti cedat, qualem etiam habet pinguedo in aqualiculo luxurians, ne partes vicinæ ab utero aut inteſtino recto dilatato nimium comprimantur. Tertia, propriarum prima dicenda, muſculoſa eſt multiplicis ſeriei fibris [ z ], iiſque craſſioribus & ſat manifeſtis conſtans [ a ], quarum externæ pleræque longitudinales ſunt, huic ſubjacentes oblique ad latera tendunt, internis magis obliquis & fere tranſverſalibus exiſtentibus, quæ omnes infinitis in locis ſe invicem decuſſant. Harum fibrarum actione veſica contrahitur lotiumque exprimitur, unde hæc tunica expulſor urinæ audit. Quarta vaſculoſo-nervea eſt, ex innumeris vaſculis & fibrillis nerveis contexta, à qua veſica calorem & ſenſum exquiſitiſſimum obtinuit. Ne autem urina diuturniore mora acrior reddita hanc tunicam moleſte afficiat, membrana, villoſa dicta, glanduloſis acinis mucum nerveam obducentem, eroſionemque ejus impedientem plorantibus prædita eſt. Atque hæc merito quinta eſt nuncupanda.

## Thes. XII.

Præterea veſica ab urina vacua interiore ſui facie rugis & ſulcis exaſperata

[ r ] Obſ. Anat. pag. 416.
[ s ] Inſt. Med. §. 366.
[ t ] Anat. Corp. Hum. Tr. II. c. 20.
[ u ] Anat. cap. 26.
[ x ] Expoſit. anat. tract. de abdomine §. 450. & ſeq.
[ y ] Cheſelden tract. de Lithot.
[ z ] Euſtach. Tab. XII. fig. 7.
[ a ] Fallop. obſ. anat. pag. 417.

rata eſt plurimis, quæ in repleta aut aëre inflata magna ex parte evaneſcunt. Vaſis porro pluribus ſingulari reptatu decurrentibus eadem gaudet. Arterias ab iliacis nanciſcitur, in internam minorem, & externam majorem diſtributis. Ab interiore pullulant hypogaſtricæ, quæ anfractuoſo ductu omnibus partibus in pelvi collocatis ramos largiuntur, adeoque veſicæ etiam urinariæ & inteſtino recto proſpiciunt, hæ hæmorrhoidales externæ ſalutari ſolent, ſpeciatim & propius arteriæ iſchiadicæ, epigaſtricæ & umbilicalis propagines ſunt. Quandoque ex hypogaſtricis in fetu humano arteriæ umbilicales prodeunt [*b*]. Dicta vaſa collo inſeruntur, inde ad fundum mira ramorum inoſculatione excurrunt. Venæ in ramos venoſos ejuſdem nominis hiant, quæ quia individuæ arteriarum comites ſunt, eumdem etiam in veſica decurſum tenent, quare nihil de iis addimus. Nervi pullulant ab illis oſſis ſacri, maxime à quarto pari, à quo duæ propagines prodeunt, quarum una ad veſicam & inteſtinum rectum tendit, ſurculo uno vel altero ab intercoſtali & plexu meſaraico inferiore accedente. An veſica urinaria vaſis quoque lymphaticis gaudeat, adhuc ſub judice lis eſt. Noſtra laude major *Heiſterus* ſe eadem nunquam obſervaſſe vel obſervare potuiſſe fatetur [*c*]. Celebris autem per orbem literatum *Zellerus* Archiater Wirtemberg. & Prof. Tubing. eadem ad ramum iliacum tendentia vidit & deſcripſit [*d*] non ſine ratione arbitratus, nullam corporis partem eſſe, quæ iiſdem non inſtructa ſit. Paucis uſum veſicæ ſubjungemus, qui eſt, urinæ receptioni & aſſervationi, tandem etiam ejuſdem, poſtquam onere vel acrimonia moleſta reddita fuit, excretioni famulari. In ſtatu præternaturali eam arenulas, calculos, pus, ſanguinem, aciculas aliaque corpora heterogenea in ſinu quandoque ſuo alere neminem latet, uti & urethræ uſum, quo urinam & ſemen virile tranſmittit nemini non notum eſſe arbitramur.

## Thes. XIII.

Partibus, quarum cognitionem ad herniam noſtram rite intelligendam neceſſariam eſſe duximus, delineatis, de veſicæ affectibus p. n. pauca quædam ſubnectemus. Illam multifariis premi morbis experientia, proh dolor! Satis ſuperque teſtatur, e quibus non omnes hic recenſebimus, ſed eos tantum, qui præ aliis notatu & memoratu digni nobis videntur. Quos inter eminent veſicæ urinariæ ſcabies [*e*] defectus [*f*] numerus auctus,

[*b*] Conf. Graviſſ. Dn. Præſ. Patroni & Præceptoris mei ad vitæ dies colendi, Hoſpitis mei Honoratiſſimi diſſ. De circulo ſanguinis in fetu Ann. 1714. hic. habit.

[*c*] Compend. Anat. § 222.

[*d*] Diſſ. de Adminiſtr. Vaſor. Lymphat.

[*e*] Hippocr. Sect. IV. aph. 77.

[*f*] E. N. C. Cent. I. & II. obſ. 82. & Cent. IX. & X. obſ. 47.

auctus [*g*], nempe veſica duplex [*h*], qua Doctiſſimum quoque Caſaubonum gaviſum eſſe refertur, quamque prolixe expoſuit *Joh. Jac Nanget* [*i*] quo in caſu altera major, minor altera plerumque deprehenditur, aut etiam mediante membrana duos in loculos diviſa eſt [*k*]. Triplicem in Anglo quodam annotatam legimus in *Buſsierii* Epiſt. ad Soc. Reg. Anglic. Editorem ſcripta [*l*]. Ruptura [*m*], carunculæ, tartari, [*n*] callus [*o*] cancer & abſceſſus [*p*] calculi [*q*] de quibus innumeræ obſervationes hinc inde proſtant; ut & aliæ res præter naturam in veſica generatæ vel in illam delatæ [*r*], purulenta incraſſatio [*s*], vulnus notabile [*t*] inflammatio & apoſtema [*u*] ulcus ex congrumato ſanguine ortum [*x*], hæmorrhoides [*y*] Ut plura veſicæ vitia taceamus, quæ præ aliis proſequutus eſt *Petr. Foreſtus* [*z*]. Præter omnes modo recenſitos morbos primum & unicum in hac tractatione locum ſibi vindicet veſicæ urinariæ hernia, tum quia notatu digniſſimus eſt, tum etiam rarior ad noſtra uſque tempora extitit, & quidem adeo inſolitus hactenus fuit, ut *Dn. Mery* primario, dum viveret, noſocomii Pariſienſis *Hôtel Dieu* dicti chirurgo [*a*], & ob ſolidam in anatomicis æque ac chirurgicis ſcientiam & multiplicem annorum experientiam maximopere æſtimando, nullus auctor cognitus ſit, qui ullam ejus mentionem injecerit, à quo diſſentit *Garengeot* [*b*] Petito & Arnaldo Magiſtris in arte excellentibus hujus affectus cognitionem, imo & inventionem tribuens.

THES. XIV.

[*g*] Sennert. Prax. Lib. III. P. VIII. Sect. I. c. 1.
[*h*] Iſäac. Cattier. obſ. 120. E. N. C. Dec. II. An. 8. obſ. 122.
[*i*] Theatr. Anat. Tom. I. Libr. II. cap. 12.
[*k*] E. N. C. Vol. I. obſ. 90.
[*l*] Act. Erud. Lipſ. Ann. 1702. Menſ. Jun.
[*m*] Dan. Sennert. Lib. III. Prax. P. IX. Sect. I. c. 3.
[*n*] Car. Drelincourt. Epiſt. ad Dn. Vallot.
[*o*] Joh. Rhodius, Cent. III. obſ. 25.
[*p*] Nic. Tulpius obſerv. med. Lib. IV. cap. 37. Gerh. Blaſ. Med. Univ. Part. VI. Sect. 46. cap. 2.
[*q*] Ruyſch. obſ. 89.
[*r*] Læl. à Fonte. conſ. med. 75. Balth. Timæus Lib. I. caſ. med. 343. E. N. C. Cent. V. & VI. obſ. 68. Blegny. Zod. Med. Gall. Ann. I. Menſ. April. Conſ. Thom. Barthol. Hiſt. Anat. 72. Cent. IV. Schenck. Libr. III. Sect. II. obſ. 302. Isbr. Diemerbroeck. Anat. Lib. 1. cap. 18t
[*s*] Ruyſch. obſ. 89.
[*t*] Idem obſ. 75.
[*u*] Petr. Foreſt. Lib. XXXV. obſ. med. 27. & 28.
[*x*] Idem Loc. cit. obſ. 29.
[*y*] E. N. C. Dec. III. ann. 9. & 10. obſ. 119. Cæl. Aurel. morb. chron. Lib. V. c. 4. Hiſt. morb. Vratislav. Ann. 1701.
[*z*] Lib. XXV.
[*a*] Hiſt. Acad. Reg. Scient. Pariſ. Ann. 1713. Edit. Amſtelod.
[*b*] Tract. Operat. Chirurg. Tom. I. cap. V.

## Thes. XIV.

Antequam autem de hoc portento, uti aliquibus hunc prolapſum vocare placuit, agamus, e re eſſe ducimus de herniis in genere quædam prælibare, eo magis, quo certius eſt, generalem illarum notionem ad hujus cognitionem non parum conferre. Eſt autem hernia proprie ſic dicta tumor præternaturalis à partibus mollioribus e ſitu naturali prolapſis ortus, peritonæi utplurimum dilatationem, rarius rupturam agnoſcens. Varie accipitur tumoris vocabulum, de quo *Schelhammerus* conſuli poterit [*c*]. Κήλη *apud veteres*, referente *Joh. Gorrhæo* [*d*] *dicitur tumor omnis quacumque in parte fuerit, ſive in ſcroto, ſive in inguinibus, ſive etiam in gutture; poſtea vero magis dici cepit de ſcroti tumoribus, quod illi tum frequentiores ſint, tum multo magis diverſorum generum.* Cum quo conſentit *Anut. Foëſius* [*e*] Κῆλαι, inquiens, *omnes ſcroti tumores dicuntur, quos ramices aut hernias Latini vocant.* Sed miſſis hiſce ad generale eorum diſcrimen progredimur. Tria ſunt tumorum genera; quædam enim partes ordinaria naturæ lege prominent, quædam extraordinarie protuberant, & tumores nonnaturales formant, aliæ vero præter naturam in tumorem elevantur. Ad ultimum hoc tumorum genus hernias ſeu partium prolapſus referendos eſſe extra dubium poſitum eſſe cenſemus, vocis herniæ evolutioni, uti non ulterius immorabimur, ita nec ſicco prorſus pede eamdem tranſibimus. Verbis uſi *Georg. Wolffg. Wedelii.* Profeſſ. quondam Jenenſ. per orbem medicum celeberrimi [*f*] qui, *uti hernia*, inquit, *ſi latinam ſignificationem ſabinis debitam ſpectemus, durum, monticuloſum & aſperum notat, proprie hoc loco in abdomine, improprie paulo in gutture, ſin originem græcam, ubi ramum ſignificat, qui videtur quaſi protruſus a trunco, res eodem recidit; ſic utrumque hic viſitur tumor durus idemque aliunde velut ramus protenſus.* Unde ramex ſuos quoque natales ducit. Germanico idiomate exprimitur, *ein Bruch*, Gallico *une deſcente ou hargne* [*g*]. Latini ramicem, deſcenſum, rupturam, licet hoc magis improprie vocant. Sed criticis hæc & alia relinquimus hoc unice addentes, à multis ſcriptorum vocem herniæ alio, quam decet, modo detorqueri, qui nempe tumores humorales, pneumaticos alioſque hoc pariter nomine inſigniunt. Inſuper monendum, herniam proprie loquendo eſſe affectum, in quo partes loco motæ ab involucris corporis communibus aut aliis membranaceis obtectæ & involutæ ſunt, prolapſum vero ſtricte vocari, ſi quando ita foras prorumpunt, ut nuda oculis appareant, v. gr. uterus, inteſtinum rectum.

Thes. XV.

[*c*] Ο᾽γκολογ. Sect. I. cap. I.
[*d*] Definit. Med.
[*e*] Oeconom. Hippocr.
[*f*] Diſſ. de hernia Ann. 1684. Jenæ habit.
[*g*] Nic. Blegny Zod. Med. Gall. Ann. I. Art. Herm. Curatr. P. I. S. II. c. 2.

## Thes. XV.

Plures ſi auctores evolvas, herniarum diviſiones atque denominationes utique reperies, quas paucis indigitare lubet, quo innoteſcat, ad quam ſpeciem hernia cyſtica referenda ſit. Diſtinguimus autem hernias in eas, quibus appellatio, proprie loquendo non competit, & inproprie ſic dictas, quas ſitus partium ſolidiorum e ſede prolapſarum generat atque fovet. Poſteriores herniarum nomine verarum inſignitæ multifariam rurſus differunt, adeoque variis denominationibus gaudent, quæ deſumuntur (I) à loco, per quem partes elapſæ ſunt, unde hernia umbilicalis, exomphalus, omphalocele, quæ in umbilico ſeſe manifeſtat, nomen accepit; infantibus ob annulum nondum ſatis firmatum familiaris; ſic & inguinalis vel bubonocele nuncupatur, ſi quando in inguine ſeſe conſpiciendum præbet tumor; ſcrotalis ſeu oſcheocele, ſicubi ille in ſcroto apparet; cruralis vero, qui in ſede femoris ſuperna occurrit; denique ventralis, qui in aliqua abdominis parte extra annulos ſupra memoratos intuentibus ſeſe offert, atque poſt ſuperficiale abdominis vulnus & in laborioſe parturientibus frequens eſt. (II) à partibus tumorem formantibus, hinc enteromphalus, enterocele, ſi inteſtinum, epiplo-omphalus, epiploocele, ſi omentum, entero-epiplomphalus, entero-epiploocele, ſi utrumque foras protuberat, dicuntur. Huc quoque ab aliquibus referuntur prolapſus ventriculi [*h*], diaphragmatis [*i*], lienis [*k*], uteri [*l*], oculi [*m*], carunculæ lacrymalis ex interno oculi angulo, glandulæ innominatæ [*n*], duræ matris, ablata cranii portione, aut ſi quos alios experientia comprobat. Priores vero, herniæ analogicæ ſic dictæ, diverſas itidem nactæ ſunt denominationes; ſic ſi tumor in umbilico ab aquis oritur hydromphalus, ſi in ſcroto, hydrocele, tumor flatulentus in umbilico pneumatomphalus, in ſcroto pneumatocele appellari conſuevit. Pari modo, qui ab excreſcentiis carnoſis in umbilico productus fuit, ſarcomphalus, in ſcroto, ſarcocele, & tumor varicoſus in umbilico exiſtens varicomphalus, in ſcroto varicocele vocari ſolet. Inſuper aneuriſmata, varices, nec non hernia lacrymalis à ſacco dilatato orta [*o*], herniis improprie ſic dictis non male

[*h*] Nic. Blegny Zod. Med. Gall. Ann. I. Menſ. Febr. Act. Med. Berol. Dec. II. Vol. IV.

[*i*] E. N. C. Dec. III. Ann. II. obſ. 124.

[*k*] Frid. Ruyſch. obſ. anat. chirurg. 62.

[*l*] Dan. Sennert. Inſt. Med. Lib. I. P. I. cap. 9. & Prax. Lib. IV. P. I. Sect. II. cap. 17.

[*m*] Stalp. van der Wiel obſ. Rar. IX. Cent. II. P. I.

[*n*] De Woolhouſe Nob. Angl. in E. N. C. Cent. V. & VI. App.

[*o*] Heiſt. Chirurg. P. I. Libr. IV. cap. 54.

male adſcribuntur. ( III ) Differunt duratione ſeu tempore, ex quo partes prolapſæ ſunt; ſi longum illud fuerit, annuli multum dilatati, adeo, ut repoſitæ e veſtigio rurſus prolabantur, hernia inveterata; ſi vero breve viæque anguſtiores, recens appellatur. Prior haud raro conjuncta eſt cum ſtrangulatione, inflammatione & incarceratione, in qua abſque inciſione reponi partes prolapſæ nequeunt; quandoque etiam ſcroto & teſticuli tunicis firmiter connaſcuntur, interdum non cohærent, manuali opera & preſſione juxta artem facta, illæ plerumque reponendæ. ( IV ) Deſumitur denominatio à decurſu vel tractu, quem partes prorumpentes fecerunt, quæ ſi ad ſcrotum in maribus & in fæminis ad pudendi labia prolapſæ ſunt, hernia dicitur completa, in viris etiam oſcheocele; quod ſi autem dictæ partes non multum viæ emenſæ, & inguina non prætergreſſæ ſunt, herniæ incompletæ, & in utroque ſexu bubonoceles nomine inſignitur. Alia ( V ) fit cum diſruptione peritonæi, quæ ſubito & veluti in inſtanti generatur, atque tumorem aliud velut abdomen referentem adque genua propendentem oculis ſiſtit; alia tantum cum ejus dilatatione evenit, ſenſim ſenſimque exorta & tardiores progreſſus faciens. Illam rariorem eſſe ſupra innuimus, qua de re infra pluribus agemus. Et hæc de herniarum differentiis in genere dicta ſufficiant, reliquas ſpeciales ſtudio intactas relinquimus. Quæ vero de herniæ cyſticæ diſcrimine memoranda nobis ſunt, inferius ſuo loco attingemus.

## Thes. XVI.

Qualicumque generali herniarum idea tradita ordo jam requirit, ut ad herniæ veſicalis ſeu cyſticæ pathologiam propius accedamus. Antequam vero illud ipſum à nobis fiat, neceſſarium eſſe ducimus, veſicæ urinariæ prolapſum aliquot prius exemplis & obſervationibus comprobare, eo magis, quo certius conſtat, eumdem ab auctoribus haud infimi ſubſellii in dubium vocari, quorum rationes, quæ eoſdem moverunt, inferius, ubi de cauſis acturi ſumus, adducemus atque examinabimus. Quod affectu hoc graviſſimo genus humanum divexetur, experientia proh dolor! teſtatur. Sæpe laudatus *Frid. Ruyſchius*, anatomicorum facile princeps annotatam nobis reliquit hiſtoriam, [ q ] qua perhibet, ſibi herniæ ſpeciem illam, quæ cyſtica dicenda, bis in praxi occurriſſe. Id quod calculo ſuo confirmat *Chriſt. Henr. Erndtl* [ r ] his verbis: *Inter demonſtrationem partium urinæ ſecretioni inſervientium & in ſpecie veſicæ, rariſſimam obſervationem de deſcenſu veſicæ in ſcrotum* ( de Ruyſchio locutus ) *propoſuit, ſanteque teſtatus eſt, bis in praxi ſua ejuſmodi portentum ſeipſum obſervaſſe.* Pari ratione ſupra allegatus *Mery* maxime ſibi gratulatus eſt de eo, quod modo memoratum prolapſum tertia vice intuendi ſors ſibi contigerit; quare etiam tres numero caſus notatu dignos actis

[ q ] Obſ. anat. chirurg. 98. & adverſ. anat. Dec. II. §. 91.
[ r ] Itiner. Angl. & Batav. p. 95.

Actis Academiæ Regiæ Scientiarum, quæ Lutetiæ Pariſiorum eſt, inſeri curavit [s], quos ut hic recenſeamus, B. L. haud grave futurum eſſe confidimus. Sic autem ſupra laudatus autor inquit: *Il eſt ſi ordinaire de voir les inteſtins paſſer par les anneaux des muſcles du ventre, & deſcendre dans le ſcrotum, qu'il n'y a point de chirurgien pour peu expérimenté qu'il ſoit, qui n'en ait connoiſſance. Mais il eſt ſi rare de voir des hernies de veſſie, que je ne connois aucun Auteur, qui en ait fait mention. Je vais en rapporter trois, que j'ai obſervées. Voici la premiere. Il y a quatre ans ou environ, que je fus appellé dans une maiſon Réligieuſe pour voir le Général de ſa congrégation, il avoit beaucoup de peine à uriner. Ce fut pour cette difficulté, qu'il ſouhaita d'avoir mon avis, eſperant de recevoir par mon moyen quelque ſecours. Après avoir entendu le rapport, qu'il me fit de ſon incommodité, je lui répreſentai, qu'il étoit néceſſaire, que j'examinaſſe ſes parties naturelles, ſans quoi je ne pouvois pas reconnoître ſa maladie. Il y conſentit volontiers. En les examinant je remarquai dans le coté droit du ſcrotum une tumeur fort conſidérable par ſon volume, dans laquelle je ſentis une fluctuation manifeſte au toucher; de là je jugeai d'abord, que la liqueur, qui la formoit, étoit renfermée dans les membranes propres du teſticule droit, ce qui fait la vraye hydrocelle. Mon opinion me paroiſſoit d'autant plus certaine, que les membranes communes des bourſes étoient minces & ſans tranſparence, au lieu qu'elles deviennent fort épaiſſes & luiſantes, quand leur tiſſu eſt abbreuvé de ſéroſité, ce qui fait une oedematie particuliere, qu'on appelle fauſſe hydrocelle. Mais ce S. Religieux me tira auſſi-tôt de mon erreur; car en comprimant devant moi la tumeur avec ſes deux mains, il en fit ſortir l'urine par le canal de la verge, & l'enflure diſparut entierement; ce qui me fit auſſitôt changer de ſentiment. Je lui avoüai ma ſurpriſe, en l'aſſurant, qu'il avoit certainement une deſcente de veſſie, que ſon fond avoit paſſé par les anneaux des deux muſcles obliques & du muſcle tranſverſe du ventre, & que l'urine, dont il ſe rempliſſoit, produiſoit la tumeur, dont il étoit affligé. Enfin je lui répreſentai, qu'il n'y avoit point de remede à ſon incommodité, par ce que la veſſie devoit être adhérente à la ſurface intérieure du ſcrotum, comme ſe trouve ordinairement le péritoine prolongé juſqu'aux bourſes dans les deſcentes ordinaires, ſoit de l'epiploon ou des inteſtins, qu'ainſi il étoit abſolument impoſſible de reduire la veſſie dans ſa place naturelle. Je lui conſeillai de porter ſeulement un ſuſpenſoir.*

*En ſortant du Monaſtere, je dis au frere infirmier, qui m'accompagnoit, que depuis que je pratiquois la chirurgie, je n'avois rien vû de ſi monſtrueux. Je le priai de me faire le plaiſir de me permettre d'examiner cette deſcente de veſſie après la mort de ce Religieux, qui avoit plus de quatre vingt ans. Ce Frere, comme il n'avoit pas moins de curioſité que moi de connoître un fait ſi extraordinaire n'eut pas de peîne à m'accorder la grace, que je lui demandois; il me promit de me faire avertir de ſa mort, ſitôt qu'il ſeroit decedé, ce qu'il fit peu de temps après. Etant arrivé au Monaſtere, nous allames ſeuls dans une des chambres de l'infirmerie, ou le corps du deffunt étoit en depot; & là j'ouvris le ventre & les* 

 *bour-*

[s] Ann. 17. 3. p. 146. & ſeqq.

*bourſes. Nous remarquames, que la veſſie étoit effectivement adhérante dans le ſcrotum, de même qu'ailleurs, comme je l'avois jugé auparavant. Sa figure repréſentoit celle d'une gourde, qui eſt une eſpece de courge, dont les pauvres voyageurs ſe ſervent pour mettre & conſerver leur boiſſon. Le fond de la veſſie, qui en faiſoit la partie la plus évaſée, occupoit le côté droit du ſcrotum, ſon milieu en faiſoit la partie la plus étroite; parce qu'il étoit reſſerré dans les anneaux des muſcles du ventre, ſa fin avoit plus de capacité, mais moins que ſon fond; elle étoit placée dans la partie antérieure de la region hypogaſtrique, comme à l'ordinaire; ſon fond étoit recouvert du dartos, ſon milieu des muſcles du ventre, le reſte du péritoine, de ſorte qu'elle étoit jointe à toutes ces parties, qui l'environnoient. Nous examinames enſuite les viſceres renfermés dans la capacité du ventre, nous les trouvames tous dans leur état naturel, excepté qu'un des inteſtins étoit tombé dans le côté gauche du ſcrotum.*

## THES XVII.

Altera obſervatio eumdem ſtatum p. n. ob oculos ponens ſequentibus ab eodem verbis recenſetur: *La ſeconde deſcente de veſſie, que j'ai vûë dans l'Hôtel-Dieu à une pauvre femme groſſe de cinq à ſix mois, n'étoit pas moins extraordinaire, que celle que je viens de rapporter. Cette femme urinoit avec beaucoup de peine. En l'examinant je lui trouvai une tumeur d'un volume plus gros, que celui d'un œuf de poule. Cette tumeur étoit ſituée entre l'anus & la partie inférieure de l'orifice externe de la matrice. En la tâtant, j'apperçûs quelques gouttes d'urine ſortir par l'urethre. D'où je conjecturai, que cette tumeur pouvoit être cauſée par l'urine, qui ſéjournoit dans le fond de la veſſie déplacée. Pour mieux m'en aſſûrer, je comprimai peu a peu la tumeur, & elle diſparut entierement, toute l'urine qu'elle contenoit s'étant écoulée par le canal de la veſſie. Cet événement changea mon ſoupçon en une entiere certitude. Voila le fait tel que je l'ai remarqué.* Tertiam hiſtoriam ibidem conſignatam ſic legimus. *Depuis peu j'ai vû à une perſonne de qualité une deſcente de veſſie, ſemblable a la premiere, dont j'ai parlé. Cet homme de conſidération portoit un bandage d'acier, ſuivant en cela l'avis de ceux, qu'il avoit conſultés, & qui avoient pris ſon incommodité pour une enterocele, ou chute d'inteſtin dans les bourſes. Je lui conſeillai de quitter ſon bandage; parce qu'en comprimant le milieu du corps de la veſſie contre les os pubis, il empêchoit la partie de l'urine contenuë dans ſon fond, de remonter du ſcrotum dans le reſte de la cavité de la veſſie, pour prendre la route du canal de la verge. Il me crût, & ſe trouva beaucoup mieux qu'auparavant.* Præterea ſupra jam innuimus *Cel. Ruyſchium* ejuſmodi herniam bis in praxi ſua annotaſſe, quare non alienum eſſe putamus, ejus hiſtoriam paucis quoq; tradere [*t*]. Ampliſſimus vir, mercator Amſt. ab aliquot annis in tantam mingendi difficultatem incidit, ut urinam reddere nequiverit, niſi manu ſcrotum elevando comprimeret. Reticuit hoc malum tam-

[*t*] Obſ. anat. chir. 98.

tamdiu, donec ſimul, mirum dictu! in bubonocelen ſolo terrore incideret, cui mederi, cum in artis poteſtate non eſſet, brevi diem ſuum obiit. Aperto poſt mortem cadavere, tota veſica urinaria in ſcrotum prolapſa ab eo & aliis Medicis atque chirurgis raro ſpectaculo viſa fuit. Uti vero hæc hernia cyſtica cum bubonocele complicata erat, ita idem nobis aliam exhibet cum calculis pluribus & immani dolore conjunctam [*u*], qui calculi perita manu chirurgica & ſectione è veſica extra ſinum pudoris una cum utero multum propendente feliciter extracti fuerunt. *Inaudita* (uti exclamat) *Lithotomia in muliere octogenaria tanto cum ſucceſſu adminiſtrata.* Uti autem operatio, ita & totus de hoc prolapſu caſus cum ab uteri procidentia, tum etiam à calculis generatus, dignus eſt, qui loco citato legatur, omneſque ejus circumſtantiæ paulo accuratius ponderentur.

## Thes. XVIII.

Quibus addi meretur caſus, quem *Vir. Clar. Jo. Conr. Peyer* in E. N. C. [*x*] his verbis exhibet: *Accidit A.* 1682. *Menſe Martio, ut in Xenodochio Scaphuſiano vidua decumberet, ex diuturna & gravi uteri procidentia laborans. Primum quidem ante pluſculos annos, cum uxor marito adhuc uteretur, leve malum fuit, nihilque aliud quam vaginæ laxamentum. Poſtea vero conceptione & partu iteratis paulatim ita degeneravit, ut vagina omnis inverſa promineret ac inter femora nutaret. Procidentiam ægra ſibi identidem ipſa repoſuit & pila cerea utcumque firmavit, donec noviſſime difficulter parturienti uterus edito fætu in vaginam pendulam prolaberetur. Penſilis maſſa carnis ſpithamam æquavit longitudine, craſſitiem utraque manus facile complecti haud potuit, tantumque doloris & moleſtiæ ægrotanti creavit procidentia, potiſſimum obambulaturæ & rem familiarem curaturæ, ut ſubinde mortem præoptaret. Inferne per patulum uteri orificium menſtrua ſtatis temporum intervallis promanarunt. Matricem autem extra pudenda delapſam manibus noſtris aliquoties palpavimus, quæ tamen inverſa haud erat, ut oculis conſpici poſſet, ſed latens intra vaginam propendulam contractari potuit & comprehendi manibus. Illa ſurſum aliquando compulſa nativam ſedem cum ſaltu repetiit; aſt vaginam in priſtinum reſtituere locum non licuit. Tandem cum nihil remedii ſupereſſet, & alia atque alia mala imminerent, hanc amputare viſum eſt. Eventu autem ſpem non implente, ægra mortem occubuit. Docuit poſt anatome uterum revera procidiſſe vaginamque totam fuiſſe inverſam. Ad hæc, quod magis mirum & plane novum videtur, cum utero veſicam urinariam ſimiliter mutata ſede procubuiſſe annotavimus; ceu pluribus aliquando forſan denarrabit Inclytus Wepferus, qui horum omnium nos voluit eſſe teſtes oculatos. Nec tamen rupta fuerunt uteri & veſicæ vincula, ſed tantum laxata.* Tandem *Corn. Solingen* [*y*] oppido raram inverſionis ſeu pro-



[*u*] Idem obſ. I. & theſ. anat. VIII. p. 57. & ſeqq.
[*x*] Dec. II. an. I. obſ. 84.
[*y*] Obſ. de Mulier. & Infant. morb. chir. p. 741.

procidentiæ colli veſicæ hiſtoriam nobis reliquit, quæ ita ſeſe habet: A. 1676. infimæ plebis fæmina conqueſta eſt, ſe aliquando fœtum difficili partu enixam, & à marito durius, nempe ictibus atque verberibus in ventrem infimum exceptam fuiſſe, à quibus abdominis ſubſidentiam obſervarit, & urinam excernendi difficultatem paſſa fuerit, eo, quod illo in loco, ubi urina proſiliit, protuberantia inſignis ſeſe proderet. Idem oculari inſpectione facta meatum urinarium inverſum, atque digiti minoris longitudine propendentem deprehendit. Quas obſervationes è rerum anatomicarum & chirurgicarum ſcriptoribus fide dignis modo allegatas veſicæ urinariæ in ſcrotum non ſolum, ſed & ſinum pudoris prolapſum ſatis ſufficienterque comprobare & confirmare autumamus.

### Thes. XIX.

Hiſce, quantum fieri potuit, ſtabilitis ad differentias herniæ cyſticæ explanandas pergimus; uti autem reliqua ramicum genera differunt, ita & hic diſcrepat (I) loco, quo nunc inguinalis eſt, ſi quando veſica per annulos abdominis erumpens ad regionem iliacam deſcendit, atque in inguinum alterutro ſubſiſtit, poſtea vero ingraveſcente malo ad ſcrotum ipſum pergit, cum bubono-entero-vel epiploocele apprime conveniens; in eo tamen diverſus eſt hic ramex, quod internam peritonæi lamellam non ante ſe propellat, quam ſpeciem duo numero caſus ex *Hiſt. Acad. Reg. Scient.* [z] nec non ille è *Frid. Ruyſchio* [a] allegati declarant; nunc vero ſi veſica una cum utero ejuſque vagina ad ſinum pudoris prorumpit; illa ſtricte loquendo hernia, hæc deſcenſus vocari debet. (II) Decurſu atque via, quam emenſa eſt; quo intuitu modo completa, dicto viſcere ad ſcrotum uſque in viris, in fæminis ad muliebria delapſo, modo incompleta eodem in ſummo adhuc inguine hærente. (III) Partibus, quæ è ſede ſua motæ ſunt, quæ diverſitas, uti in aliis herniis ſpeciem conſtituit, ita in noſtra pariter jure meritoque attendenda; cujus reliquæ obſervationes, nempe quinta & ſexta fidem faciunt; quo reſpectu alia ſimplex, alia complicata dicenda, hæc differentia in utramque cadit, ſcilicet in inguinali cyſtis urinaria, quia peritonæi lamellam interiorem deorſum propellit, infundibuli figuram referentem inteſtinum aliquod, vel etiam epiploon facile admittit, adeoque cum enterocele aut epiploocele quandoque complicatur. In vaginali vero vix ſola veſica occurrit, ſed ſimul uterus aut ejus vagina, anſam illi præbens & occaſionem, antea ad inferiora deſcendit, quare etiam complicata non inepte vocatur. Quo in loco ſicco pede prætereundum non eſt, herniam cyſticam ab aliis quoque diſcrepare, quod ſacco peritonæi, uti omentum aut inteſtina, nunquam incluſa ſit veſica, quin potius ille, ſi dicta membrana ſimul deorſum trahitur, veſicæ urinariæ tantum incumbat ſuperiore in loco conſtitutus; quod ſi vero ab uteri vagina ramex hic exortus fuerit, tunc in ejus ſacco p. n.

[z] Ann. 1713. p. 146. & ſeqq.
[a] Obſ. anat. chir. 98.

n. formato recondita latet. Calculi plures, quos in caſu *Ruyſchiano* [ *b* ] cyſtis urinaria in ſinu ſuo alebat, non novum quidem genus, ſed ſolum circumſtantiam notatu digniſſimam exhibent, de quibus infra pluribus dicemus. Non vero idem ſentiendum eſt de obſervatione oppido rara *Corn. Solingen*, quæ diverſam utique ſpeciem, nempe inverſionem ſeu procidentiam colli veſicæ nobis ſiſtit, ſi modo alia pars oculis ſeſe offerens ſub ſpecie veſicæ huic auctori non impoſuit. Hæc cum uteri inverſione in aliquibus convenit, in aliis vero multum diſcrepat, id quod in tractatione cauſarum paulo prolixius deducemus. Reliquas differentias vel à tempore vel à ſymptomatibus variis depromptas ſilentio hic præterimus, eo, quod noſter affectus iſtas cum aliis herniis communes habeat.

## Thes. XX.

Ad cauſas herniarum explicandas dum pedem promovemus, quædam de generalioribus prælibare animus nobis eſt, poſt eas, quæ ſpeciatim ad cyſticam diſponunt, paucis ſubjungemus. Cauſas herniarum productrices in internas atque externas dirimi in vulgus notum eſt; quarum multæ & variæ hinc inde ab auctoribus recitantur, quas tamen non omnes hic afferre lubet, ſed eas potiſſimum breviter attingemus, quæ imi ventris partes ſupra memoratas membranaceas ac tendineas relaxandi ac dilatandi virtute gaudent, nec non quæ connexionem magis minuſve arctam, quam cum vicinis partibus habent, diſſolvendi aptæ natæ ſunt. Priores omnia ea pro cauſa & origine agnoſcunt, quæ naturali fibrarum conſtitutioni & tono debilitando velificantur. Ubi merito accuſandus venit humorum in corpore vel circulantium, vel etiam in vicina aliqua parte ſtabulantium juſto major affluxus ad partes illas, quæ herniam patiuntur, præprimis ſerum abundans & eaſdem continuo irrigans; quod videre eſt in temperamento phlegmatico, in hydrope aſcite, non minus in anaſarca, in qua aquæ p. n. eo depluunt; qui humores eo delapſi & ſtagnantes peritonæum, abdominis muſculos eorumdemque tendines & partes, quæ ob rationes ſupra recenſitas perviæ ſunt, non parum relaxant; quo poſito à levi cauſa occaſionali accedente cedunt, partibuſque exitum molientibus tranſitum præbent. Iidem quoque omentum atque inteſtina alias lævia magis lubrica reddunt, quod in cauſa eſt, ut poſtmodum facilius erumpant. Id quod de humoribus ſeroſis modo dictum eſt, de oleoſis quoque & pinguibus valet, utpote quæ eumdem effectum edere toto die experimur. Hinc diæta pinguis & oleoſorum abuſus eo pariter diſponit, & è multorum opinione entero-bubonocelen Helvetiæ incolis adeo frequentem [ *c* ] infert, aut aliis quibuſcumque, qui oleo, butyro, aut adipe magna ex parte victitant. Uti & exuperans corporis obeſitas quandoque hujus mali cauſa exiſtit. Ad hanc quoque claſſem pertinent, quæcumque flatus

[ *b* ] Theſ. anat. VIII. pag. 53. & ſeqq.
[ *c* ] Freytag. diſſ. de Oſcheo-Entero & Bubonocele.

tus generare atque alere ſolent, qui intus incarcerati impetum in inteſtina faciunt, eaque uti ad alia loca, ita & ad ea, quæ in abdomine hiant, cum vi propellunt, pari ratione ac uteri prolapſum ab iiſdem enatum fuiſſe legimus [*d*]. Non minus uteri moles in gravidis multum aucta, extraordinaria veſicæ in iſchuria expanſio eo confert. Quod vero attinet cauſas, quæ in viſcera herniam formantia agunt, iſta in arctum cogendo vel eorum connexionem cum partibus vicinis diſſolvendo, ſunt illæ reſpiratio aucta vel diu cohibita in tuſſi ferina, magno parturiendi labore, inſigni alvum deponendi conatu, tubarum inflatione; quo niſu extraordinario partes infimi ventris, maxime quæ liberius fluctuant, inferiora verſus & ad annulos protruduntur, inque eos, uti & peritonæum non levem impetum faciunt. Uti autem ſufflaminata reſpiratio multum ad herniarum generationem confert, ita quoque eadem extraordinario modo aucta ſeu reciprocus ille motus, quo aër dilatato pectore in pulmones cum vi admittitur, conſtricto autem iterum expellitur, eo diſponit, quod fieri ſolet in vomitu enormi, à ſermone pro concione diu multumque protracto, ab oneris gravioris geſtatione, repleto præprimis ventriculo; in infante à forti mammillarum ſuctione [*e*], quibus actionibus dictæ partes modo ſurſum, modo, & quam maxime deorſum impetuoſe moventur, ſuamque virtutem in annulos, potiſſimum ſi relaxati antea fuerint, non parum exerunt. Quibus addimus ex animi pathematibus terrorem, à quo ſolo aliquem ſubito hernioſum factum eſſe expertus eſt *Frid. Ruyſchius* [*f*]. Referendi inter cauſas externas quoque ſunt violenti in lucta motus, equitationes & curſus concitatiores, gravioris ponderis elevatio, coitus effrænatus, exercitia athletica, ictus validior abdomini inflictus, caſus ab alto, aut alia vehementior ejus concuſſio, quæ & forſan aliæ cauſæ & hernias generant & jam prognatis augmentum præbent.

## THES. XXI.

Antequam huic de cauſis tractationi finem imponamus, ab inſtituto noſtro haud alienum eſſe cenſemus de controverſia ab aliis mota quædam addere, utrum nempe peritonæum in ramice nonniſi relaxetur, an vero quandoque etiam omnino rumpatur, hac potiſſimum ratione inducti, quod aliqui hujus mali differentiam inde depromant. In confeſſo utique eſt, quod ſupra jam innuimus, relaxationem ejus ſenſim & ſucceſſive factam frequentiſſime locum invenire, qua in re tantum non omnes naturæ ſcrutatores conſentientes habemus. De ejus ergo diſruptione nobis potiſſimum ſermo erit, & inquirendum, an & illa quandoque accidat. Sæpius allegatus & laudatus *Frid. Ruyſchius* eandem in obſervationibus anat. chir. in dubium vocat [*g*], &

[*d*] E. N. C. vol. II. obſ. 63.
[*e*] E. N. C. dec. III. ann. IV. obſ. 107.
[*f*] Obſ. anat. chir. 98.
[*g*] Obſ. 98.

& adverſ. anat. [*h*] prorſus negat. *Burckh. Dav. Mauchardus* Tubing. prof. celeb. & Arch. Wirt. [*i*] judicium hac de re & aſſenſum ſuum ſuſpendit, eo quod in quinque ſubjectis hernioſis ſollicite diſſectis nonniſi dilatatam peritonæi lamellam, nunquam vero ruptam repererit; quod etiam ne quidem unico, eoque ſufficienti teſtimonio hanc rupturam ullibi ſuffultam deprehenderit, quod denique ab aliquibus artis ſuæ peritiſſimis chirurgis Pariſienſibus acceperit rupturam iiſdem nunquam obveniſſe, quibus motus vir hic Excellent. in negativam inclinare videtur ſententiam, perſuaſus tunicæ hujus robur & firmam cum partibus adjacentibus cohæſionem huic de ejus ruptura hypotheſi contrariari, neque ſatis validum cenſet argumentum, quod à præcipiti & ſubitanea herniæ ortu & formatione deſumi alias ſolet. Abſit vero, ut ea, quæ ſolide hac de re diſſeruit, in dubium hic vocemus, liceat modo nobis, pace illius, unum vel alterum ulteriori diſquiſitioni & meditationi commendare. Et (I) quidem peritonæi robur tantum non eſſe, ut impetui etiam majori reſiſtere valeat, imo ne quidem relaxatis annulis aut integumentis ab inſtrumento læſis inteſtina in ſitu continere potis eſt hæc membrana. (II) Nos non latet, hoc æque ac alias etiam membranas mirum quandoque in modum expandi, ſi dilatatio earum ſucceſſive & per gradus fiat, id quod integumentorum in hydrope aſcite, hydrocephalo aut geſtatione gemellorum, in tumoribus tunicatis, arteriarum & venarum in variee & aneuriſmate magno, ureterum [*k*] in calculo ibi hærente ſtupendum quandoque in modum expanſio non obſcure demonſtrant. Quibus addimus omentum, quod in epiploocele adeo extenditur, ut in ſtatu naturali vix ultra umbilicum exporrectum in p. n. ad ſcrotum uſque deſcendat. Quod ſi vero è contrario illa ipſa dilatatio uno velut impetu facta fuerit, ruptionem ſupervenire veroſimile eſt. (III) Obſervatio ſequens, quam *Excell. Dn. Præſes* pro ſua nunquam ſatis laudanda humanitate nobiſcum communicare haud dedignatus fuit, illud potiſſimum confirmare videtur; Lutetiæ Pariſiorum ſtabularius bubonocele incompleta antea laborans ictum equi fortiter calcitrantis abdomini inflictum recepit, à quo mox tota inteſtinorum moles uno veluti momento in ſcrotum prolapſa aliud fere abdomen magnitudine referebat, ordinario magna ex parte evaneſcente & fere penitus collapſo. Quo in caſu non poſſumus non nobis aliiſque perſuadere, lamellam peritonæi internam diſruptam utique fuiſſe. In quo confirmamur autopſia ſupra citati *Petiti* chirurgi peritiſſimi, qui in ſimili hernia eamdem cauſam agnoſcente ſupernam ſacci à peritonæo formati portionem ita ſolutam obſervavit, ut in operatione felici cum ſucceſſu adminiſtrata nullum prorſus ſaccum alias præſentem invenerit [*l*]. Cum vëro hæc peritonæi ruptura, de qua controvertitur, noſtro in affectu locum non inveniat, de iſta prolixioribus nobis eſſe non licet. THES.

[*h*] Dec. II. §. 9.
[*i*] Diſſ. de hern. incarc. ann. 1722. Tubing. habit.
[*k*] Ruyſch. obſ. anat. chir. XXXVII.
[*l*] Vid. *Garengeot* oper. chir. T. I. c. 7.

## Thes. XXII.

Poſtquam pleraſque herniarum cauſas in genere enumeravimus, poſtulat jam ordo, ut quoque diſpiciamus, quomodo contingere poſſit, & revera contigerit veſicæ urinariæ prolapſus. Equidem ſunt viri rerum anatomicarum & chirurgicarum peritiſſimi, qui veſicam, eo modo, quo omentum vel inteſtinorum aliquod ſitum mutare atque delabi inficiantur, quos inter eminet plus una vice *laudatus Mery* [*m*], qui rationibus haud contemnendis innixus illam herniæ ſpeciem, quæ per annulos abdominis fit, & non à prima conformatione eſt, in dubium vocat; quarum (I) eſt, quod veſica partibus aliis ope urachi, arteriarum umbilicalium & ligamentorum ſupra recenſitorum tam firmiter, tamque arcte undique cohæreat, ut non adeo relaxari, multo minus è ſede naturali prolabi queat. (II) quod viſcus hoc cavum urina repletum atque valde expanſum majorem in molem excreſcat, quam ut per annulos muſculorum abdominis tranſire valeat. (III) quod veſica in ſupra memorato caſu, præter quod cum ſcroto cohæſerit, plane non alterata, neque malum ullis ſymptomatibus ſtipatum fuerit, quod tamen in malo inveterato experientia alias probat. Quibus motus herniam cyſticam vitio conformationis in utero contracto, non vero cauſæ adventitiæ adſcribit. Hæ rationes à laudato *Mery* allegatæ, quamvis prima fronte ſpecioſæ videantur, plura nihilominus argumenta in medium afferri poſſe putamus, quibus hic veſicæ prolapſus ſtabiliatur, quæq; eo minus ſicco pede tranſire volumus vel debemus, quo magis in aprico eſt, totius rei cardinem in hoc verti. Et primo quidem quædam ab aliis prolata recenſebimus, deinde noſtra qualiacumque ſubjungemus. Dexterrimus *Petit* [*n*] largitur quidem, veſicam urinariam non facile è ſitu delabi, eo tempore, quo plena eſt, ſed, ut vacua ſit, neceſſe eſſe; hoc tamen non obſtante aliqua in contrarium profert, nempe (I) veſicam vel ab urinæ copia, vel in ſenectute, vel ab alia quacumque cauſa dilatatam atque atonia affectam planiorem reddi, priſtinamque figuram, quam in ſtatu naturali habuerat, ac locum non æque recuperare. (II) eamdem urina repletam ex ipſorum ægrorum ſenſu atque teſtimonio verſus abdominis annulos multum propelli, id quod vel actioni diaphragmatis & muſculorum abdominis inteſtina reliquaque viſcera deorſum prementi, vel etiam reniſui peritonæi fundo ejus annexi, atque expanſioni verſus ſuperiora obicem ponentis procul dubio adſcribendum. (III) in gravidis eo tempore, quo urina in ea accumulatur, ſurſum & retrorſum ob preſſionem uteri, neque antrorſum propter oſſium pubis reſiſtentiam ferri poſſe, ſed utrinque ad latera cogi, & duo veluti cornua formare, quæ, ſi ad annulos accedunt, per eos elabi poſſe; magis ſi hi ipſi aut à vi, quam cum uterus tum reliqua abdominis viſcera in illos exſerunt, debilitati atque dila-

[*m*] Hiſt. Acad. Reg. Scient. 1713. p. 24. & act. ejuſd. ann. p. 151. & an. 1717. p. 17.
[*n*] Hiſt. Acad. Reg. Scient. ann. 1717. p. 17.

dilatati fuerint; eo quippe ſecedit, ubi minor reſiſtentia eſt. Quod vero de ſexu ſequiore impraegnationis tempore aſſerimus, in virili ab aliis cauſis agentibus contingere quoque poſſe, nemo eſt, qui vel nobis tacentibus non intelligit. *Exper. de Littre* [ o ] contendit, veſicam, dum expanditur, æque libere in abdominis cavitate ac inteſtina fluctuare, eoque poſito, pari ratione in ſcrotum delabi; quod tanti roboris eſſe nobis non videtur, ut aſſertum Meryanum infringere valeat.

## Thes. XXIII.

Potius alia quædam adjiciemus, quibus veſicæ hernia corroborari forſan poterit, & ( I ) quidem vitium conformationis & ſitum à nativitate prorſus extraordinarium quandoque occurrere non inficiamur, quippe quod confirmat *Rouſſeus* [ p ]. ( II ) quod veſica multum & ſæpius dilatata peritonæum ſurſum propellat, ejuſque vincula, quibus oſſi pubis aliiſque partibus committitur, ſucceſſive relaxet, quæ poſtea ad priſtinum ſtatum non facile redeunt. ( III ) quod eadem retro lamellam peritonæi locata ſit, adeoque non opus habeat illam ante ſe propellere, uti ab inteſtinis fieri debet; verum tunica celluloſa levi negotio cedente, illa ipſa inter os pubis & ileum, atque dictam peritonæi lamellam conſtituta annulos tandem perrumpat; neque hoc impedit, uti *Mery* vult, quod iidem à peritonæo obtecti ſint, quia eædem rationes hic militant. Idem quoque ( IV ) confirmatur ex analogia ab inteſtinis deſumta, quæ fæcibus aut flatibus etiam diſtenta eidem nihilominus malo frequenter obnoxia obſervantur. ( V ) dubio, quod plerique movent, nempe veſicam urinariam eouſque extendi haud poſſe, ut per annulos ad ſcrotum exporrigatur, aliquo modo occurritur, ſi animo concipimus, quantam partes membranaceæ dilatationem, quæ ſenſim fit, quandoque patiantur, cujus rei exempla ſupra §. 21. adduximus. Quare non impoſſibile nobis videtur, & veſicam, utut rarius, pariter dilatari & dilatatam tantum viæ emetiri poſſe. Quod vero de veſica non alterata affertur, ei ( VI ) reſpondemus, illam ob minorem vaſorum copiam non ita facile ac inteſtina alterari, tum & materiam ibi contentam fluidamque liberius fluctuare, & modo in hunc, modo in illum ſaccum tranſire, adeoque non tantam cyſtidi vim ac fæces inteſtinis inferre, tum etiam lotium ſæpius excerni, atque inde utrumque ſaccum depleri, ſecus ac in inteſtinis fit, in quibus excrementa magis incarcerata ſunt. Denique cum duplex inteſtini portio annulo inhæreat, ſuperior, ſeu illa, quam contenta primum ingrediuntur, inferiorem comprimens illis ipſis viam præcludit, unde in arctum coactæ fæces canalem maxime diſtendunt & inflammationem ſucceſſu temporis inferunt, id quod de veſica urinaria metuendum non eſt. Quod ſi ( VII ) conſideramus,

Pp 2 ute-

[ o ] Hiſt. Acad. Reg. Scient. an. 1713. p. 151.
[ p ] In Cattieri obſ. 20.

uterum ejuſque vaginam eidem malo non raro obnoxiam eſſe, uti frequens experientia comprobat [ *q* ], colligere aliquatenus licet, firmam veſicæ atque arctam connexionem huic prolapſui non contrariari; quod enim uterum ſpectat, quatuor ille ligamentis alligatur, quæ licet non adeo robuſta ſint atque aſcenſum magis quam deſcenſum impediant, cum aliis tamen partibus, præprimis pelvis parietibus connexus ille eſt; magis vero ejus vagina fibroſo quodam nexu poſterius cum inteſtino recto, anterius cum veſica urinaria, à lateribus cum membranis ſatis firmatur, quo non obſtante hæc connexio frequenter diſſolvitur, & modo dictus canalis vel ex parte vel toto ſui tractu ab abjacentibus divellitur. Ut taceamus (VIII) obſervationes proſtare, quæ ipſius etiam ventriculi deſcenſum in ſiniſtram regionem hypogaſtricam [ *r* ], aut in cavitatem thoracis per diaphragmatis vulnus [ *ſ* ] probatum eunt. Quid ergo dubitamus, veſicam eo quoque progredi poſſe, ut per annulos ſæpe memoratos erumpat. Quibus accedit (IX) & noſtro qualicumque judicio maximum momentum affert, quod ſubjecta, ſi non omnia tria, duo ſaltem, quorum *Mery* meminit, in adulta jam ætate conſtituta fuerint, quemadmodum hiſtoriæ fidem faciunt. Quî ergo factum, ut malum, quod à vitio conformationis fuiſſe aſſeritur, in hac demum ætate (Religioſus enim octuagenario major erat.) ſeſe exſeruerit, & non primis ſtatim annis ſymptomata valde moleſta produxerit, per tantum temporis vix toleranda. Quibus rite penſitatis aliquatenus intelligitur, veſicæ urinariæ per annulos elapſui nec viſceris magnitudinem, nec firmam partium adjacentium cohæſionem, nec alias forte rationes adeo contrariari, ut eumdem pro impoſſibili venditemus. Quod dum ſtabilimus, illum rarum, imo rariſſimum & parum hactenus cognitum affectum eſſe lubentes largimur.

## Thes. XXIV.

Cauſis herniarum generalioribus ſupra §. 20. in medium adductis, argumentis etiam, quæ herniam cyſticam comprobare nobis videntur, allatis, inſtituti ratio poſtulat, ut ſpeciales noſtri ramicis cauſas paucis recenſeamus. Quarum præcipua fere eſt nimia veſicæ dilatatio atque expanſio, ad quam ſuſtinendam ex indole & ſtructura ſua valde apta eſt [ *t* ], hac facta vel ad utrumque, vel, quod familiarius ad alterutrum latus ſecedit, adeoque ad annulos appropinquat; ſimul vero vel illa ipſa vel alia abdominis viſcera in arctum coacta impetum in dictos annulos faciunt, qui debilitati cedunt & partem hanc prolapſuram tranſmittunt. Fit autem hæc majorem in molem mutatio, nunc à potu aquoſo ſimplici, aut minerali, imo &, quod non infrequens eſt, vinoſo, nimia in copia aſſumto atque diutius voluntarie retento,

[ *q* ] Ruyſch. obſ. 8. 9. 24. & 25.
[ *r* ] *Nic. Blegny* zod. med. Gall. ann. I. menſ. febr. obſ. 2.
[ *ſ* ] Fabr. Hildan. cent. II obſ. 33.
[ *t* ] Vid. *Panaroli* Pentecoſt. I. obſ. 27.

to, quandoque ad rupturam uſque, quod inſigni aſtronomo *Tychoni de Brahe* accidiſſe perhibetur, quod malum alii inflammationi tribuere malunt. Hoc ſi frequentius contingit, ſenſim atque ſenſim in majus volumen excreſcit veſica, quandoque in tantum, ut teſte *Tibaltio* [*u*] chirurgo dexterrimo duas menſuras cum dimidia capiat, neque poſtea ad priſtinos limites facile redit. Non minus injectionem liquoris copioſi, repetitam, quæ ante operationem lithotomiæ altiore apparatu inſtituendæ fieri ſolet, idem effectus ſequi poteſt. Nunc à retentione aut ſuppreſſione urinæ involuntaria diu ſubſiſtente, uti ſectiones cadaverum hoc morbo defunctorum id palam faciunt. Quæ cauſæ eo efficacius agunt, quo magis fibræ viſceris hujus cavi vel à ſenio, vel à temperamento, vel à quacumque alia cauſa atonia laborant, tunc enim liquori aut alii corpori dilatanti facilius cedunt; item quo laxior eſt parietum ejus ſtructura, de qua *Illuſtr. Morgagnus* [*x*] his verbis loquitur: *A laxiore quibuſdam in locis parietum ſtructura & à nimia interdum retenti humoris copia ejuſmodi veſicarum dilatationes, atque, ut ita vocem, hernias deduco.* Pariter quo magis laxata vincula ſunt, quæ veſicam cum partibus vicinis connectunt, eo major diſtenſio à ſupra dictis cauſis metuenda. Hæc autem vincula laxari poſſe & re ipſa laxari probatur ab affluxu humorum ſeroſorum in temperamento phlegmatico, in hydropicis, quorum abdomen aquarum moles inundat, nec non in ſenibus &c. analogia ab aliis partibus, potiſſimum à vagina uteri deſumta, cujus connexio, utut firmior, interdum diſſoluta procidentiæ notabilis cauſa haud raro exiſtit. Non minus eo conferunt impprægnationes frequentiores, ſiquidem à mole uteri aucta primo veſica multum verſus os pubis comprimitur, quæ lotio magis minuſve repleta & ſurſum pergere non valens ad latera ſeſe extendere propiuſque ad annulos accedere cogitur. Quibus accedit figura veſicæ in hoc ſexu peculiaris, qua ſuperius & utrinque à latere duos velut angulos obtuſos refert, quæq; cæteris paribus cauſa ejuſmodi prolapſus non ultima eſt. Deinde tota viſcerum & præprimis inteſtinorum compages in anguſtias coacta in dictos annulos impetum facit, eoſque ſenſim ſenſimque dilatat. Prius eo certius evenit, quo magis collum veſicæ premitur, & hæc ab urina accumulata atque diutius retenta circa fundum dilatatur; quod ipſum pariter à partu difficili, fætu nempe diutius in uteri cervice hærente, ſæpius provenire in confeſſo eſt.

## THES. XXV.

Uti vero veſicæ dilatatio, ita pariter ejuſdem conſtrictio extraordinaria ad hunc affectum generandum quandoq; confert, qua ob exquiſitum ſenſum à tunica nervea oriundum ſæpiſſime afficitur, ſive ille à calculo, primæ juventutis & ultimæ ſenectæ tormento, ſive ab enormi texturæ nerveæ expanſione, qualis poſt liquoris copioſi injectionem quandoque contingit, ſive ab

[*u*] Hiſt. Acad. Reg. Scient. Pariſ. 1713. p. 151.
[*x*] Adverſ. anat. III. animadv. 36.

ab ejus hæmorrhoidibus non rite ſuccedentibus, aut alia ſanguinis in vaſis ſtagnatione indeque orta inflammatione, ſive ab urinæ acrimonia & cruſta villoſa ex parte abraſa, ſive à ſanguinis eo delati dyſcraſia ſalſa, acri, natales ſuos ducat. vid. *Frid. Hoffmanni*, *Prof. Hallenſ longe Celeb. Diſſ. de morbis ex ſpaſmo veſicæ.* Id quod paradoxum quibuſdam videbitur eo, quod conſtrictione hac ſpaſmodica veſicam potius coarctari quam diſtendi, adeoque ad regionem hypogaſtricam haud ferri veroſimilius ſit, uti in iis, qui calculi cruciatibus diu multumque divexati fuerunt, iſtam mole minorem atque anguſtiorem deprehendimus. Quod ipſum cum experientia concordare largimur, ſi tota veſicæ ſubſtantia, non item ſi aliqua tantum ejus pars ſpaſmo conſtringitur, ac contractione illa ipſa vel elongatur, vel alia ratione contorquetur, eodem modo, quo inteſtina à colicis doloribus ſpaſmodice affecta per annulum abdominalem aut cruralem elabi obſervamus. Inter cauſas externas violentas referimus non tantum ictus, ſed & vulnera regioni inguinali inflicta, in quibus integumenta abdominis communia ad peritonæum uſque læduntur, quo in caſu veſica retro lamellam internam locata facile erumpit, prægreſſa hujus expanſione & ſubſtantia celluloſa levi negotio cedente.

## Thes. XXVI.

Et hæ cauſæ ad prolapſum veſicæ inguinalem generandum diſponunt. Quod vero illas ſpectat, quæ ad ſinum pudoris eam procidere faciunt, ſi non unica, præcipua ſaltem eſt uteri vel ejus vaginæ deſcenſus. Neque aliter fieri poteſt, quin illa ipſa hiſce partibus, quibus firmiſſime connexa eſt, e ſede ſua motis pariter in conſortium trahatur. Unde *Frid. Ruyſchius* [u] autopſia propria edoctus confirmat, *uterum e corpore propendentem ſecum rapuiſſe magnam veſicæ portionem, quod rariſſime (ſi unquam) ante hac viſum eſt.* Idem vero frequentius contingit à vaginæ, quam uteri ipſius procidentia, utpote cum qua arctius cohæret, & quidem cum parte ejus antica, quare ſi poſtica & laterales loco moventur, ſtatus hic veſicæ p. n. non æque inſequitur. Quod ſi vero quis inferat, inde ſequi, herniam veſicæ, quam ſupra rariſſime fieri aſſeruimus, æque frequentem futuram ac vaginæ prolapſum, cui tamen experientia refragatur, ei reſpondemus (I) quod de rariore veſicæ prolapſu ſupra dictum à nobis eſt, de illa, quæ per annulos abdominis in inguinum alterutrum fit, intelligendum eſſe. (II) anticam vaginæ uteri partem rarius, frequentius poſticam & laterales, ob eumdem arctiorem connexum loco moveri. (III) hac etiam poſita nonniſi deſcenſum, æque ac in utero, plerumque fieri, ut vero procidentia extra pudoris ſinum contingat, opus eſſe, ut vaginæ aut uteri vitium enorme ſit atque extraordinarium. Si quis inſtat, hanc quoque interdum obſervari, præter quod cyſtis urinaria in conſenſum trahatur, ei regerimus, vel uteri vaginæve molem tunc obſtare, vel veſicam re

[u] Theſ. Anat. VIII. pag. 60.

re ipſa prolapſam non agnoſci; quod ut ſtatuamus, eo nos inducit *Frid. Ruyſchius*, qui licet circa corporis humani partium ſtructuram non minus quam ullus alius verſatus fuerit, de hac veſicæ procidentia dubius quam maxime hæſit [x]. Præterea inter cauſas ſymbolum ſuum eo quoque conferunt calculi in ſæpius nominati viſceris cavo hoſpitantes, quod accidens, utut inſolitum ſit, ſi ſimul conjunctum eſt, non poteſt non fieri, quin pondere ſuo atque gravitate ſaccum, in quo continentur, deorſum trahant atque veſicæ prolapſum, ſi non primario generent, tamen facilitent atque augeant, id quod ex obſervatione, quæ in E. N. C. [y] proſtat, non obſcure patet, utpote quæ docet, *veſicam ad ſiniſtram perinæi partem protruſam tumorem ibi efformaſſe, nec non calculum illam in tantum immerſiſſe, ut primum intuentibus deeſſe credita fuerit.* Ibidem veſicæ procidentiam rectum quoque inteſtinum ſecum rapuiſſe adjicitur. Inverſio colli veſicæ, cujus *Solingen* [z] meminit, uti magis admiranda & plane nova videtur, ita modus fiendi ejuſque cauſa cognitu & explanatu difficilior eſt. In aliquibus cum uteri inverſione convenit, in aliis vero ab ea diſcrepat; ſicut enim illius inverſio mox poſt partum orificio multum hiante, vel à diuturnis laboribus, vel à rudiore obſtetricantis manu inducitur; ita quoque idem ſtatus p. n. in hac eveniens partui difficili non immerito adſcribitur, junctis ictibus, à quibus ſubinde à marito in abdomen excepta fuit hoc incommodo laborans; à quibus, præprimis partu difficili urethra, quæ in ſexu ſequiori & notabiliter amplior eſt & brevior, atque ad majorem dilatationem ſuſcipiendam idonea, multum relaxata veſicæ collum foras eniti atque procumbere poteſt; id quod in ſexu virili, in quo meatus urinarius minoris capacitatis & majoris longitudinis eſſe cernitur, non æque poſſibile eſſe quivis rerum anatomicarum non omnino ignarus nobiſcum intelligit. In hoc vero differt veſicæ colli inverſio, quod cuique cauſæ urethram dilatandi & relaxandi aptæ ſupervenire illa poſſit, ad quam etiam refero calculos, quos notabilis licet magnitudinis extraordinario quandoque niſu edunt mulieres, atonia partis, per quam tranſierunt, poſtea manente. Tum & in eo differt, quod ſi à partu difficiliore eſt, diu poſt illum etiam contingere poſſit, ſecus ac in uteri inverſione fieri modo annotavimus.

## Thes. XXVII.

Jam ad herniæ veſicalis ſigna progredimur, quæ, uti illa reliquarum herniarum, eo accuratius inveſtiganda ſunt, quo magis experientia confirmat, alios affectus ejuſmodi elapſus mentientes, & prima ſpecie præ ſe ferentes incautis quandoque impoſuiſſe. Sic tumorem alium in inguine dextro

[x] Loc. cit.
[y] Dec. II. Ann. V. Obſ. 71.
[z] Loc. cit.

tro pro deſcenſu venditatum in E. N. C. [ *a* ] herniam umbilicalem pro tumore cyſtico à chirurgis rerum ignaris habitum legimus. Alius non magis peritus bubonocelen pro abſceſſu tractatam, & non ſine magno labore emollitam lanceola tandem pertudit, e quo vulnere poſtea fæces involuntarie exierunt [ *b* ]. Quid mirum, ſi barbitonſor eodem errore in diagnoſi commiſſo, nil aliud labore ſuo effecit, quam ut ægrum, qui ſe ejus curæ commiſerat, ſimili prorſus malo exponeret. Si porro obſtetrix ultra crepidam, ſeu rectius ultra uterum ſibi ſapere viſa ejuſmodi bubonocelen uterum prolapſum eſſe ſibi aliiſque perſuaſit, parumque abfuit, quin ægram male tractatam morti traderet [ *c* ]. Non minus teſticulorum alter antea in abdominis cavo latens, & circa pubertatis annos erumpens rem non rite penſitantibus ſub tumoris p. n. ſpecie quandoque impoſuit. πολυθρύλλητον eſt, quod hernia, uti ſorex, ſeſe prodat tumore ſuo. Quia vero plurima dantur tumorum genera, illi ſollicite à ſe invicem diſtinguendi veniunt. Quibus noſter affectus ab aliis differat, ex ſequentibus aliquatenus eluceſcet. Communem cum aliis herniis præfert tumorem, qui vel in inguine, vel in ſcroto, vel etiam in ſinu pudoris ſeſe manifeſtat, initio parvus & abdomen facile ſubiens à levi manuum preſſione aut etiam commodo corporis ſitu, qui vero poſt aliqualem motum rurſus erumpit, & in majorem molem indies excreſcit; ille qui in inguine eſt, eumdem cum bubonocele decurſum habet; uti & calor, ubi manus tumori imponitur, notabilis, ſi inflammatio, ſtrangulatio atque incarceratio acceſſit, alias vix ſenſibilis. Ægri à frigore admiſſo eadem ac in enterocele incommoda ſentiunt, non æque à cibis flatulentis, qui in noſtrum malum parvum virtutis exerunt. Hoc ſilentio prætereundum non eſt, noſtrum affectum cum nullo alio herniæ genere communia magis ſigna habere, quam cum hydrocele, quæ ſunt ( I ) tranſparentia tumoris oculum inter & candelam collocati, ab aquis in ſacco membranaceo ſtabulantibus proveniens, ſed paulo minor, quia tunicæ veſicæ, utut dilatatæ ſint, radiorum luminarium tranſitum aliquatenus impediunt atque infringunt, ( II ) fluctuatio digitis tumorem hic inde moventibus perceptibilis, quæ eo tempore, quo veſica lotio multum repleta eſt, manifeſtior, quo vero ab ejuſmodi humore excrementitio vacua exiſtit, non æque obſervatur. ( III ) dolor in loco tumoris ſenſibilis atque conſtrictorius, etiam ſi inflammatio & ſtagnatio abeſt, quia veſica exquiſito gaudet ſenſu, & urina in parte prolapſa velut incarcerata detinetur. Hæc vero ſigna intellecta volumus de illa hydroceles ſpecie, in qua humores ſeroſi tunicæ vaginali inhærent, quod ſi enim in ſcroto libere fluctuant, & tumor & undulatio & diaphaneitas major eſt, dolorque ab ægro minor ſentitur. Accedente inflammatione calor partis affectæ augetur, dolor exacerbatur, & febris major minorve accenditur.

[ *a* ] Dec. II. Ann. 7. obſ. 11.
[ *b* ] Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. 6. n. 2. E. N. C. Vol. II. obſ. 94.
[ *c* ] E. N. C. Dec. III. Ann. 9. & 10. obſ. 2.

ditur. Et quemadmodum in epiploocele circa regionem ventriculi, & in enterocele circa umbilicum dolor tenſivus ſentitur, ita in hac herniæ ſpecie ſenſus ejuſmodi moleſtus in regione pubis ſe exerit à partium veſicæ contiguarum diſtenſione oriundus. Plerumque etiam cum ſtranguria conjunctus eſt noſter affectus, in qua non modo urinæ excretio laborioſa & difficilis eſt, & lotium per vices redditur, ſed & continuo ad mingendum ſtimulo torquentur affecti.

## Thes. XXVIII.

Præterea æger veſicam à reſpiratione, aut alia vehementiore actione ad latus alterutrum atque verſus annulos propelli interdum, ſed rarius atque obſcurius animadvertit, eoque in loco dolorem ſubinde excitari, quem per vices redeuntem ad ſigna herniam antecedentia refert *Clar. Riedlinus* [*d*]. Uti & hernia veſicæ nullum peculiarem ſaccum à lamina peritonæi interna formatum, uti epiploo-vel enterocele agnoſcit, niſi pro illo venditare velis iſtam portionem, quam non ante, ſed poſt ſe deorſum rapit. Signum vero ſpecialiſſimum & jure meritoque pathognomonicum herniæ noſtræ eſt notabilis dyſuria & magna urinam reddendi difficultas, atque mingendi quandoque impoſſibilitas, niſi æger manu ſcrotum elevando tumorem ſimul comprimat; nec non inſigne levamen, quod compreſſo ita tumore & exitu urinæ conceſſo ſequitur. Sic & probe tenendum illud eſt, quod æger neglecta hac enchireſi mingere fere nequeat, quia fibræ muſculares ob juſto majorem dilatationem atonia laborant, ſeſeque rite contrahere & fundum cervici appropinquare non amplius valent. Cui accedit, quod notabili urinæ copia hoc modo expreſſa, tumor vel penitus, vel magna ex parte evaneſcat, licet brevi poſt lotio in veſica accumulato & in partem prolapſam depluente ſenſim augmentum denuo capiat. Unde fit, ut poſtquam aliquam urinæ copiam emiſerant hoc malo affecti, brevi ſpatio interjecto denuo mingere poſſint. Aliqui cathetere applicito rem hanc expiſcari allaborant, hoc enim facto, ſi ſtrangulatio abeſt, & liber urinæ ex una in alteram veſicam tranſitus datur, tumor pariter non parum diſparet; de cujus inſtrumenti applicatione hic obiter annotamus, quod non ita libere, uti alias, hinc inde moveri poſſit aut debeat, tum ob veſicæ conſtitutionem quaſi diviſam, alteriuſque partis anguſtias, quæ obſtaculum ei opponunt, pari fere modo ac in veſica a diuturno calculo multum anguſtata idem experimur, tum etiam quia rudiori & ulteriori ejus immiſſioni gravia ſymptomata ſupervenire ſolent, eo citius & certius, quo major inflammatio jam præſto eſt. Quod ſymptoma ſequentem in modum non inepte explicatur. Veſica urinaria ita prolapſa & ab annulis compreſſa in duos quaſi loculos dividitur, ſuperiorem & lateralem, qui elapſus eſt, atque inferiorem, qui in abdomine manſit, media inter utrum-



[*d*] E. N. C. Dec. III. Ann. 9. & 10. obſ. 150.

que pars ab annulis valde conſtringitur & veluti ſtrangulatur; unde fit, ut in hoc ſtatu p. n. cucurbitam ampullaceam, *eine Flaſchen Kürbiß* figura ſua referat, quæ compreſſio ab annulis facta ordinarium omnis lotii effluxum impedit. Si vero urgente neceſſitate, & urina multum accumulata ſuique exitum poſtulante, tumor atque ſcrotum ſuperiora verſus blanda manu comprimuntur, & urina in inferiorem veſicæ partem propellitur, ejus exitus non parum facilitatur. Ad hanc mingendi difficultatem etiam pertinet, quod ubi modo lotium emiſerunt, paulo poſt non minorem ejus copiam excernant, item quod pro exoneranda veſica nunc hunc, nunc alium ſitum ſervare neceſſe habeant. Quodſi inflammatio vel à nimia veſicæ diſtenſione aut compreſſione aut alia de cauſa præſto eſt, ſigna colicæ nephriticæ accedunt, urinæ differentia cognoſcendæ [*e*]. In fæminis hoc malo laborantibus moles uteri certam veſicæ partem comprimens eamdem mingendi difficultatem parit [*f*]. Vomitum pleriſque in herniis contingere experientia loquitur, ille vero, qui cyſticæ ſupervenit, rarus eſt, non enormis, & tarde contingit. Supra citatus *Petit* [*g*], ſe obſervaſſe teſtatur, vomitum in hernia cyſtica cum ſtrangulatione conjuncta ſequi ſingultum, qui in aliis præcedit; an vero hoc ſymptoma ſemper ita eveniat, nos hic non diſcutimus.

## Thes. XXIX.

Et hæc ſigna veſicam in inguinum alterutrum prolapſam haud obſcure declarant. Quia vero ſupra §. 19. indicavimus, & aliquot obſervationibus probatum ivimus, hanc partem in ſinum pudoris quandoque etiam prorumpere, par eſt, ut eorum quoque mentionem injiciamus. Fatente quidem *Frid. Ruyſchio* [*h*] cognitu hoc arduum eſt; quia enim veſica ita prominens oculis haud patet, nec non vagina uteri obtecta exquiſito tactu explorari nequit, diagnoſis dubia redditur, quod eo minus mirandum, quo magis experientia docet, in procidentia pariter, uterina dicta quandoque difficulter dignoſci, utrum uterus ipſe, an vero vagina mali cauſa ſit. Interim tamen, ſi viſus in dubio nos relinquit, tactus de hoc prolapſu nos certiores reddere poterit, eo magis, ſi vagina ſola prodiit, & præter hanc alius ſaccus deprehenditur, qui poſt emiſſam urinam multum decreſcit, poſtea vero ſenſim atque ſenſim mole ſua augetur. Quod ſi vero matrix ipſa elapſa eſt, hæc omne ſpatium occupat, & veſicam loco quoque motam adeo comprimit, ut res dijudicatu admodum difficilis ſit. Calculi in ea ſi hoſpitantur, quos *Ruyſchius* [*i*] exhibet, hi tactu explorati

[*e*] Garengeot loc. cit. cap. 5.
[*f*] Hiſt. Acad. Reg. Scient. Pariſſ. Ann. 1713. p. 115.
[*g*] Ibid. Ann. 1717. p. 19.
[*h*] Theſ. VIII. pag. 53. & 58.
[*i*] Obſ. cit.

rati omnem fere ſcrupulum animo indaganti eximunt; idem inſuper urinæ ſtillicidium poſt operationem inſtitutam aliquandiu durans confirmat. Neque hoc prætermittendum, quod dolor, qui alias in ſolo uteri prolapſu, præſertim ſi malum recens fuerit, vix notabilis percipitur, in malo hoc complicato ſatis exquiſitus ſit, veſica, quæ una procidit & membrana nervea gaudet, multum compreſſa, aut dilatata ſenſum hunc moleſtum inferente. Inde factum, ut gravida illa, cujus ſupra Obſ. II. meminimus, quotieſcumque lotium reddere anniſa eſt, non leves cruciatus experta ſit, qui intolerabiles fere fuerunt in vetula octogenaria, quam *Frid. Ruyſchius* in ſcenam produxit, ita ut faſſa illa fuerit, ſe decies emori malle, quam eos diutius perpeti, quos ipſos vero calculis magna ex parte deberi aliorum hoc malo divexatorum confeſſione confirmatur. Ad hæc ſigna porro pertinet illud, quod mingendi difficultas in his ſubjectis tanta non ſit, quanta in aliis eſſe ſolet, niſi illo in caſu, in quo cervix veſicæ aut urethra quam maxime comprimitur; quod ſi enim in fundum vim ſuam exerit corpus comprimens, parum urinæ collectum reddere mox coguntur, uti idem in gravidis haud raro obſervatur.

## Thes. XXX.

Priuſquam ad affectus noſtri curam pedem promoveamus, quædam de prognoſi adnotanda veniunt, quæ pro ægri ætate, aut mali natura atque conſtitutione differt. Et quidem, ſi ex mente ſæpius allegati *Mery* à vitio primæ conformationis malum dependet, præſagium non adeo bonum formandum, & morbus incurabilis omni jure dicendus eſt; uti enim pleraque vitia in utero contracta medelam aſpernantur, ita de hoc non minus idem judicium ferendum eſt. Veſicæ quippe figura, quæ prorſus extraordinaria eſt, non facile in naturalem ab arte reducitur, & reducta etiam varia incommoda malo graviora & per totam vitam ſuſtinenda poſt ſe trahit. Cui accedit, quod a nativitate cum annulis vel ſcroto adeo firmiter coaluerit, ut ſine dilaceratione harum partium vel etiam illius inde ſeparari nequeat; quare præſtat manum, nempe chirurgicam à tabula, ſeu, ut rectius dicam ab hoc ramice removere. Quia vero ſupra §. 23. probatum ivimus, eumdem adventitiis ſæpius cauſis diverſimode agentibus deberi, circa hujus prognoſin occupati quam maxime erimus. De qua notandum, herniam veſicæ in inguine factam, ſi recens fuerit & incompleta, ita ut minore ſui portione protuberet, reponi perita manu æque ac inteſtina poſſe, neque illam, quæ paulo magis inveterata eſt ex intempeſtivo ægri pudore, quo malum diu celavit, vel chirurgi ignorantia aut negligentia omni curationis ſpe deſtitui, ſi modo manus auxiliatrices quantocyus adhibeantur. Quod ſi vero cum annulo aut ſcroto, aut teſticulo cohæret, aut etiam à quacumque cauſa id factum fuerit, inflammatio & ſtrangulatio acceſſerit, nihil remedii ſupereſt, quam ut operatio chirurgica ſine mora ſuſcipia-

Qq 2

cipiatur, quam ancipitis eventus eſſe, ægrumque in vitæ diſcrimen conjicere experientia haud raro evincit. Completa, nempe cyſtide ad ſcrotum in viris, in fæminis vero ad muliebria uſque deſcendente, enterocele aut epiploocele natales præbere ſolet, eo, quod laminam peritonæi internam ſimul deorſum rapit, in quam, quia infundibuli figuram induit, omentum, frequentius inteſtinorum aliquod delabitur, quæ niſu atque preſſione ſua annulos magis dilatant, tumoriſque molem augent, & ſtrangulationem inflammationemque citius & certius inducunt, adeoque malum graviſſimum & complicatum reddunt. Præterea veſica ita prolapſa alias etiam partes, cum quibus connexa eſt, loco & ſede ſua movet, nempe inteſtinum rectum, de quo caſum in E. N. C. [*k*] adnotatum legimus, vaginam item uterinam aliaſque, quas ſicco pede hic tranſimus. In infantibus, uti omnibus herniis, ita & huic majori cum ſucceſſu opem ferre in artis poteſtate eſt. In ſenibus e contrario plus periculi alit, & difficilius reponitur, idque plures ob rationes, quarum non ultima eſt muſculi obliqui externi aponeuroſis in hac ætate firmior atque ſiccior reddita. Quod jam herniam cum uteri prolapſu conjunctam attinet, illa matrice in ſitum naturalem repoſita, inque eodem detenta uno eodemque labore reſtituitur; idem de vagina ejus foras prorumpente ſentiendum eſt. Si denique calculi aliaque corpora heterogenea præter uterum non parum eo contulerunt, iis dextra manu & ſectione exemptis hic morbus ſitus vel ſponte curatur, vel facili poſtea negotio & arte reſtituitur.

## THES. XXXI.

Quod jam ultimo loco curam herniæ cyſticæ attinet, circa quam morbo e ſupra memoratis ſignis cognito ars vel medica vel chirurgica maxime occupata eſſe debet, primo tenendum eſt, quod, uti modo in prognoſi annotavimus, ſi malum vitio conformationis in utero jam contracto debetur, in artis poteſtate non ſit, medelam aliquam afferre, quia illo in caſu veſica urinaria non modo cum annulis, ſed & ſcroto atque teſticuli tunicis firmius coaluit, quam ut ab illis perita etiam manu ſeparari queat, aut ſi vel maxime id tentare allaboret medico-chirurgus rerum ſuarum maxime gnarus, utique laborem irritum ſuſcipiet, quia ejuſmodi figura & ſitus veſicæ, utut in ſe ſpectatus contra ordinarias naturæ leges ſit, in ejuſmodi tamen ſubjectis, in quibus à nativitate ita ſe habet, non ſine omni ratione naturalis ſeu rectius congenitus æſtimandus eſt. Præterea ſi etiam artis magiſtro licet eſſe adeo felici, ut veſicam ita conſtitutam reponat, & repoſitam in ſitu conſervet, non ſine fundamento conjicere licet, graviſſima inde ſymptomata ſubſequutura eſſe, nullis remediis mitiganda aut profliganda, imo & funeſtum metuendum eſſe eventum. Proinde cum ſæpius allegato *Mery* hunc affectum incurabilem pronunciamus, ſatius eſſe putan-

[*k*] Dec. II. Ann. V. obſ. 71.

putantes, in hoc rerum ſtatu nihil tentare, quam felicem curam magno, ſed irrito hiatu polliceri, eoque ipſo & ægri vitæ & propriæ famæ male conſulere. Quod ſi vero, uti nobis perſuaſum eſt, ſæpius allegata hernia poſtea demum à cauſis adventitiis, iiſque variis prognata fuit, non omnis felicioris curæ ſpes decollat. In qua tradenda omnes circumſtantias & cautelas exponere eo minus neceſſarium ducimus, quo magis in aprico eſt, plurimas ab iſtis, quæ in bubonocele inculcari & attendi ſolent, atque in pleriſque monumentis medico-chirurgicis obviæ ſunt, parum aut nihil diſcrepare; ſed id potiſſimum agemus, ut quædam momenta noſtro affectui propria, aut etiam non cuivis cognita enarremus atque exponamus. Cardinem rei in taxi verti, ſeu, ut clarius loquamur, in eo, ut viſcus e ſede prolapſum ſcite atque dextre reponatur, & repoſitum ſuo in loco conſervetur, nemo ignorat. Ad hoc facilius præſtandum ſuadent, ut impedimenta prius removeantur, quorum hic præcipuum eſt humor excrementitius in renibus ſequeſtratus, & continuo in veſicam depluens. Hic ſi accumulatus eſt preſſione tumoris & ſcroti elevatione manu chirurgi vel etiam ægri facta evacuetur, aut, ſi hoc fieri nequit, inſtrumento, quod catheterem vocant, blanda manu immiſſo, &, quod ſupra inculcavimus, non multum ultro citroque agitato, quo ipſo, uti veſicæ in alvum reductio non parum promovetur, ita non prorſus inutile eſſe cenſemus, inteſtinum rectum injecto clyſtere e ſordibus ſuis pariter liberare, uti in enterocele fieri ſolet. Circa ſitum, in quem æger componi debet, annotamus, ſupinum capite retrorſum inclinato minus commodum videri, utpote quo muſculi abdominis tenduntur, eorumque annuli magis ad ſe invicem accedunt, præprimis ille muſculi obliqui interni ab externo multum clauditur; uti idem in omni infimi ventris dilatatione contingit. Quo facto longe abeſt, ut hac compreſſione reductio juvetur, quin potius difficilior reddatur. Quam ob rem ſatius eſſe credimus, methodum quam ſæpius laudatus & non ſatis laudandus *Winslous* in prælectionibus chirurgicis in Horto Regio Pariſienſi inſtitutis tradidit, ſequi, qua ægrum in utrumque genu & cubitum procumbere jubet, capite verſus terram propendente, quo in ſitu muſculi & annuli relaxati partibus intromittendis aditum facilius concedunt.

## Thes. XXXII.

Poſtquam ægri æque ac chirurgi voto ſucceſſus reſpondit, bracherium ſubjecto & prolapſus naturæ accommodatum parti affectæ applicetur, quo in junioribus diu geſtato, junctis, ſi opus eſt, remediis appropriatis, præprimis ſi malum recens fuerit, annulus interdum conſtringitur, & æger à malo hoc ſatis moleſto immunis poſtea vivit. Sed hic probe cavendum eſt, ne aliqua veſicæ parte adhuc protuberante ſubligaculum illud adhibeatur, illaque magis minuſve comprimatur, utpote à quo dolor non

levis, aliqualis urinæ ſupreſſio aliaque ſymptomata graviora certo certius inſequentur; quod auxilium utut palliativum ſit, nihilominus idoneum eſt, recidivam amoliendi aut etiam ulteriorem progreſſum avertendi. Quod ſi vero vel inveteratus mali ſtatus, vel veſicæ cum partibus ſupra memoratis adhæſio, vel inflammatio, vel alia ſymptomata, quæ præſto ſunt, ejuſmodi tentamen inutile prorſus reddunt, alia enchireſi res ſuſcipienda eſt, nihil aliud remedii tunc ſupereſt, quam ut ad operationem ſine mora confugiatur, quæ quia anceps eſt & dubii eventus, adſtantibus periculum, in quo, æger verſatur, exponendum. Non vero multis explicabimus, quæ vel ante operationem vel in eadem vel etiam poſt eam ſollicite obſervanda ſunt: ſcilicet ut ægri corpus convenientibus remediis præparetur, & ſi repoſitionis conamen ex voto non ſucceſſit clyſteribus, fotibus, inunctionibus atque balneis partes eo diſponantur, ut ſi corruptio earum è livore cutis cognoſcenda jam præſto eſt, operatio non ſuſcipiatur, non minus qua ratione illa inſtituenda ſit, & quæ methodus præ aliis eligenda ponderet. Ut porro in adminiſtratione reductio non è directo ſed verſus oſſa ilei tentetur, annulorum decurſum probe attendendo, ſimul etiam conſiderando, annulum obliqui externi huic actioni quam maxime obicem ponere, nec non illam portionem, quæ ultimo elapſa fuerat, primum immittendo. Non minus in inveterata, ſi pars prolapſa cum teſticulo aut ſcroto coaluit, levi manuum opera inde ſeparetur, potior vero veſicæ, quam illorum ratio habeatur, quo illa integra maneat atque illæſa, aut ſi divulſio fieri nequit, ad ſuppurationem uſque relinquatur; ut etiam ſi dilatandus annulus eſt, ſcalpello recurvo theca munito (*biſtouri caché*) aut cathetere ſulcato lamella utrinque inſtructo utatur chirurgus, ad læſionem veſicæ protuberantis præcavendam; ut etiam arteria epigaſtrica ſollicite evitetur. Neque prolixi erimus monere, ut poſt operationem apparatus idem ac eodem modo, uti in bubonocele applicetur, accidentibus quovis modo obviam eatur, præprimis febri atque convulſionibus; annulus item quantum in arte poſitum eſt, conſolidetur, aut, ſi hoc obtineri nequit, ad recidivam præoccupandam bracherium, quod annulos probe comprimat, per aliquod tempus geſtetur. Et quæ ſunt alia, quæ pagina hæc non capit, atque à bubonoceles enchireſibus haud diſcrepant.

### Thes. XXXIII.

In aliquibus vero, quæ haud exigui momenti ſunt, non parum differt; quorum primum eſt, quod cyſtis urinaria, non uti inteſtinum aut omentum peculiari ſacco extraordinario atque; à lamella peritonæi interna formato involuta ſit, ſed ſolum aliqua ejus portio eidem ſuperimpoſita, quod ideo probe notandum eſſe cenſemus, ne operator ejus defectum animadvertens aliquid inſoliti ſubeſſe exiſtimet, aut de ejus exiſtentia perſuaſus, loco illius alias partes, ſed infelici conamine incidat. Qua occaſione monemus, nos ea, quæ modo de ſacco peritonæi diximus, de extraordinario intellecta velle.

Nam

Nam quod productionem lamellæ externæ vaſa ſpermatica comitantis & in ſtatu hoc p. n. mole ut plurimum auctæ ſpectat, illa pariter ac in alia bubunocele occurrit; eſt ergo hic nonniſi unicus & ſimplex, qui in reliquis duplex cernitur. Quo ſuppoſito Petiti enchireſis, qua ſaccum internum non incidit, ſed integrum una cum partibus prolapſis in alvum reponit, nullum hic locum invenit. Secundo quod liquor ſeroſus, qui in operatione bubonoceles effluere alias ſolet, hic quoque non reperiatur; quod ipſum conceptu facile cuivis eſt, qui in memoriam ſibi revocat, quod modo dictum à nobis eſt, nempe ſaccum peritonæi hic deeſſe, in quo ſeroſitates ex abdominis cavo depluentes hoſpitantur, niſi quod ſi forte ſaccus ſuperior inciditur, non minus aliquid ſeri effluere conſpiciatur. Idem contingit, ſi inſtrumentum ulterius, quam par erat, adactum veſicam lædit, quo facto, lotium, ſi quod adeſt, à dicta ſeroſitate diverſum profluit. Flatus in inteſtino ſtrangulato à fæcibus incarcerati repoſitionem enteroceles haud raro retardant, quandoque etiam omnino eludunt, quod hic ab urina non æque expectandum eſt, & quidem eam ob cauſam, quia illa tanquam corpus fluidum in inferiorem veſicæ partem facilius propellitur, atque portio prolapſa hoc modo depletur, excepto illo caſu, in quo annuli medium veſicæ adeo comprimunt, ut viam ei & tranſitum præcludant; inſuper quia cyſtis urinaria in infimi ventris cavitate non ita libere fluctuat ac inteſtina, repoſitione rite peracta ægrum non ita facile recidivæ obnoxium eſſe judicamus. Circa diætam obſervandum, ut æger poſtmodum à potus ingurgitatione & diureticorum uſu ſibi quam maxime caveat, ob metum novæ dilatationis veſicæ, & mali inde repullulantis, ut & mictum non diutius retineat, ſed quam primum accedente ſtimulo admonetur, illius excretionem promoveat.

## Thes. XXXIV.

Et hæc de cura prolapſus per inguinum alterutrum dicta ſufficiant, quibus verbo ſubjungimus illam, quæ in altera ſpecie annotanda venit, ſcilicet ſi veſica una cum utero aut ejus vagina in ſinum pudoris deſcendit, ſpecialis ei cura vix debetur, valet quippe hic illud, quod medici ſemper in ore habent: Morbo primario curato, ſecundarium, ſeu qui ab illo natales duxit, ſponte cedere, aut ſaltem levi poſtea negotio profligari. Omnem ergo operam in eo collocet medico-chirurgus, ut dextro manuum miniſterio matricem, ejuſque vaginam debitum in ſitum reponat, atque in eo, quantum poſſibile eſt, retineat, quem finem, ſi aſſequutus fuerit, veſicam ſimul in locum ordinarium reſtitutam credat. Quod ſi vero illa ipſa calculos in ſinu ſuo foveat, conſilium ex arena capiat, & illud præſidii genus, quod *Ruyſchius* adhibuit, pariter amplectatur, atq; lithotomia apparatu hactenus inuſitato inſtituta eos eximat, ne gravitate ſua repoſitioni obicem ponant, quæ utut felici cum ſucceſſu facta perhibeatur, noſtro judicio non levi difficultate premitur, quia ſi uterus ſimul laborat, ille operatori locum & ſpatium

tium vix concedit, ſi vagina, illa ſimul ob rugoſitatem quam præ ſe fert, non ſine periculo inciditur. Quamobrem ſi hæ circumſtantiæ illam fieri non permittunt, eadem nonniſi utero aut vagina in ſitum repoſitis & quidem methodo ordinaria inſtituatur. Quod ſi denique inverſio colli eventu rariſſimo cuidam in praxi occurrat, quia ejus obſervatio *Corn. Solingen* propria &, quantum novimus, ſpecialis eſt, optime faciet, ut eo modo incedat, quo ipſe uſus eſt, qui in eo conſiſtit, ut fotu conveniente præmiſſo ope ſpecilli corio molliore atque ſpongia muniti, nec non liquore adſtringente imbuti collum priſtinum in locum reſtituere, & ſubligaculo commodo in ſitu illo detinere allaboret. Et hæc ſunt ea, quæ de noſtro affectu in medium proferre è re eſſe duximus. Plura quidem, fatemur, de hoc argumento, ſi è re viſum eſſet, maxime circa curam adduci potuiſſent, verum ne nimium excreſcat hic labor, vela contrahimus, *Deo ter. opt. max.* pro conceſſis hactenus viribus devotas & humillimas gratias perſolventes. B. L. enixe rogatum cupimus, velit qualemcumque hunc ingenii fætum benignis oculis excipere, atque ſi plures in eo nævos deprehenderit, ſibi in memoriam revocare, tyronem plurima ſubterfugere. Eos vero, qui in more habent, omnia theonino dente rodere parum curamus.

F I N I S.

CHRIS-

LXXIII.

# CHRISTOPH. HENR. PAPEN

## *PHYSICI GOTTINGENSIS*

# EPISTOLA

## AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

# ALB. DE HALLER

## DE STUPENDA HERNIA DORSALI.

QUOTIES ad te *Vir Illuſtris* aditus mihi patet, toties ex familiari colloquio medico, quod pro humanitate & favore in me ſemper collato nobis intercedit, lætus recedo. Benevolis auribus hiſtorias morborum & obſervationes meas clinicas non ſolum excipis, ſed & annotationes qualeſcumque ad incrementum artis ſalutaris pertinere, & fulcra praxis rationalis eſſe maſcule cenſes. Sic quoque eſt, quod ars ſanandi majorem certitudinem, maximumque ſemper incrementum ceperit, quando viri eruditi, acumine ingenii præditi, depravata imaginatione non contaminati, ex principiis genuinis obſervationes & hiſtorias morborum cum judicio diſcretivo ad corpora morbis labefactata applicare docuerunt: cum e contrario, præconceptæ opiniones, falſæ hypotheſes, fictæ ac lepidæ fabulæ, quæ vana gloriola ſubinde ſuppoſuit, dieſque delet, detrimento & opprobrio arti omnino fuerint. Bona igitur tua gratia ac venia, obſervationem rariſſimam herniæ dorſalis ſtupendæ magnitudinis, de qua nuper tecum communicare licuit, quamque, ut literis conſignaretur, dignam judicaſti, ſine fuco & verborum pompa tibi trado, &, ut verbis Baglivi utar: expertus loquor, vera dico, ſancteque affirmo.

Virgo ruſtica Anna Eliſabeth Voſs quinquaginta annorum, robuſta ac quadrata, die viceſimo octavo julii hujus anni ſole tum maxime urente, ut in Farenheitiano thermometro mercurius ad 94. gradus adſcenderet, raro utique exemplo, meſſoria falce occupata ſubitanea morte extincta eſt. Inde viceſimo nono julii a præfectura regia Harſte vocatus, in pago *Herperhauſen*, qui in agro noſtro Göttingenſi ſitus eſt, ſectionem legalem una cum chirurgo noſtro *Bornemann* inſtitui. Cum non plures quam viginti quatuor horæ a morte fæminæ præterlapſæ eſſent; ob calorem tamen ſummum cadaver maxima putredine correptum reperimus. Nulla læſio ex-

terne apparuit. Horrendum vero ſpectaculum oculos alliciebat, cum tumorem admodum magnum ſacco ſimilem omnem expectationem ſuperantem de ano ad ſuras propendentem videremus. Hæſi & obſtupui, ac tumorem aliquem cyſticum ſubeſſe primo intuitu mihi perſuaſi [ *a* ]. Cutis hujus ſacci admodum expanſa erat ac nitida, venis quam plurimis valde conſpicuis intertexta, figura lagenæ maximæ oblongæ ſimillima. Longitudo ulnæ fuit. Circumferentia in ima parte ſeſquiulnaris, diameter in eodem loco fere ſemicubitalis. Ad anum idem tumor & originem ſuam ſenſim & paulatim imminuebatur, ut denique ſpithamæ diametri eſſet, ubi proximus principio, quod in latere dextro circa orificium ani fuit. Inde ſuper muſculum glutæum majorem ejus lateris ad regionem oſſis ſacri circulum pene ellipticum ſecundum ductum foſſæ natium formabat [ *b* ]. Chirurgus cultello inciſionem a fundo verſus originem ſecundum rectam lineam inſtituit.

Itaque maxima continuo pars inteſtinorum tenuium una cum meſaræo, parte coli & omenti in medium proſiluerunt, inexpectato mihi nec opinanti & adſtantibus ſpectaculo, quum, ut ingenue fatear, de ejuſmodi incongrua & inconſueta hernia dorſali me nihil unquam vel audiviſſe vel legiſſe recorder [ *c* ]. Saccus iſte præter partes jam recenſitas nihil præternaturale continuit, niſi paululum ſeri flavi. Ad principium uſque chirurgus ſectionem continuavit. Tum vero, cum portio inteſtini coli orificium herniæ repleret; ſectionem externam continuari nolui, & cadavere in tergum ſupinato abdomen aperiri juſſi, quo melius ab interioribus via herniæ detegi poſſet. Ita fuit, cum maxime raritatem formæ miraremur. Totum enim abdomen extenteratum vidimus [ *d* ]. Inteſtina tenuia per foramen herniæ prius in ſaccum deſcenderant, inde meſaræum valde elongatum [ *e* ] ſequebatur, ac tandem principium

[ *a* ] *Barbette in chirurg. P.* 1. *c.* 7. „Sed nobis plures alias praxis demonſtrat, & quæ „apud ſcriptores non reperiuntur: nam experientia me docuit, peritonæum etiam in parte „poſteriori verſus dorſum poſſe diſrumpi & ibi herniam efficere. Inguina ſunt locus herniis „conſuetis, verum noli tibi perſuadere, peritonæum in aliis locis non poſſe diſrumpi & „ibi herniam efficere, ſupra umbilicum contingit, ſed rariſſime, infra umbilicum, & ad „ejus latera, & longe ſupra inguina non dumtaxat ego juxta alios hernias vidi, ſed cum illis „tanquam cum abſceſſu agebatur, & chirurgus non aliam ſui erroris rationem in medium „producebat, quam quod ibi herniis conſuetus locus non eſſet.

[ *b* ] Quod inter cutim & muſculos inteſtina ſeſe aliquando urgeant, idem in chirurgia ſcribit.

[ *c* ] „De herniis ſcrotalibus & aliis admodum magnis multa exempla nota ſunt & *Job.* „*a Meeckren in obſerv. med. chirurg. cap. V.* hiſt. de ſene refert, cujus ſcrotum fere omnia „inteſtina continuit. *Joach. Camerarius* herniam vidit. 40. libras pendentem. Inteſtina „omnia tenuia alteram partem ſcroti replentia habet *Thom. Barthol. cap.* 4. *obſ.* 28. Vid. „itidem *Fabric. Hildan. obſ. chirurg. cent.* 3. *obſ.* 64. It. *Felic. Platerum in obſerv. Lib.* „3. *p.* 741. ubi ſtupenda omphalocele deſcripta eſt

[ *d* ] Per muſculos abdominis vertebras dorſi tangi potuiſſe, cum omnia inteſtina in ſcrotum delapſa eſſent *Job. a Meeckren l. c.*

[ *e* ] De hernia vicennali ſolo pondere moleſta ex decubitu ilei una cum annexo meſenterio ad longitudinem ulnæ vid. *Bonet. in ſepulchreto.* It. *Thom. Barthol. cent.* 2. *hiſt.* 95. meſenterium cum inteſtinis tenuibus omnibus in ſcrotum delapſum abdomenque alterum præ ſe tuliſſe refert.

cipium coli cum appendice vermiformi [*f*] ſuccedebat. Ipſa flexura coli, quam in regione iliaca ſiniſtra format, deformata & ſede diſturbata erat [*g*]. Sed & pars inferior coli, una cum maxima parte recti inteſtini in orificio herniæ hærebant. Ventriculus in medio abdominis ſitum perpendicularem induerat, ut pylorus cum duodeno maximopere expanſo ac in gyrum torto in pelvi ante orificium herniæ ſitum occuparet. Uterus oblique ad foramen herniæ inclinabat, & ovarium dextrum, quod parvis hydatidibus obſeſſum & ſcirrhoſum erat, una cum tuba fallopiana orificio itidem herniæ inhærebat. Colon naturalem magnitudinem multum excedebat. Inteſtina tenuia valde inflammata & vaſa eorumdem ſanguine maxime turgida conſpiciebantur [*h*]. Tum coli inferiorem partem ante oſtium herniæ filo ligari juſſi & diſcindi, quo exquiſitius viam deſcenſus expiſcaremur, & remotis inteſtinis probe latus dextrum orificii ani & marginem coccygis antrum oblongum verſus os ſacrum ſeſe extendens perſpicere licuit, per quod digiti in cavitatem ſacci extra corpus penduli facili negotio adigi poterant. Hinc ſaccum hernioſum peritonæo continuum in lateribus pelvis ſubnaſcentem vidimus, ſic, ut infundibuli inſtar in parte antica & laterali cum pubis oſſe & iſchii, itemque ſub foramine ovali magno iſchii & pubis cum muſculo obturatore interno mediante ſubſtantia cellulari admodum conſpicua quam laxiſſime cohæreret, tandemque per foramen oblongum modo deſcriptum ſubque ligamento iſchiadico ſacro ex pelvi exiret. Cutis ipſius ſacci pollicis craſſitiem æquabat, ac tota cavitas interna continuatione peritonæi admodum cellulari obducta erat. Præterea notari meretur, cadaver admodum pingue fuiſſe, & ſaccum ipſum ſub cute externa multa pinguedine cinctum. De omnibus & ſingulis cauſis ad generationem hujus herniæ ſpectantibus, cum accurate quærerem, nihil ab agnatis & ſorore expiſcari licuit, niſi: defunctam ante decem annos tuberculum parvæ pilæ magnitudinis circa anum ſenſiſſe, quod ſenſim ſenſimque incrementum ceperit donec in iſtam, quam vidimus, molem excreſceret, & miſera quoties alvum deponeret, brachio totum ſaccum ſuſtentare & ad latus ſiniſtrum corpus invertere, eodemque in latere in lecto decumbere, ſub laboribus vero ſaccum ſuum mantili dorſo ſubligare coacta fuerit. Frequentiſſimos quoque

Rr 2 bor-

[*f*] Circa herniam ab inteſtini cæci deſcenſu *Riolan. anthropogr.* Lib. 2. cap. 12. ſeq. notatu digna habet: „Cum cæcum inteſtinum prope renem dextrum peritonæo contumaciter adhæreat, non poſſum adduci, ut credam cum *Galeno*, ſolum hoc inteſtinum vinculo ſolutum eſſe, ob idque facile in ſcrotum decidere: experientia docet ſolum ileum pubi proximum enterocelen facere, inveni tamen in puerulis, quibus tum oſſi ſacro incubat in ſcrotum delapſum, & nuper in pharmacopœi cadavere juxtra inguen provolutum obſervavi.

[*g*] *Blaſius obſ. med.* 8. hæc habet: „Aperto cadavere inteſt. colon rupto peritonæo dilatatis externis cavitatem ventris magna ex parte reliquiſſe obſervabatur loco eo, ubi ad conſtituendum rectum flexuoſum valde ſiniſtro in latere detinetur.

[*h*] *Salmuth Cent. I. obſ.* 11. meſaræi partes cum inteſt. prolapſas putreſcentes & jam corruptas vidit. It. in hernia incarcerata inteſtina inflata cum peritonæo, omento & meſenterio inflammata & gangrænoſa quoque vidit *Frid. Hoffm. in methodo medendi Libr.* 2. cap. 2. p. 429.

borborygmos in hernia obmurmurantes ab adſtantibus exauditos fuiſſe retulerunt.

Habes hic, *Vir Generoſe ac Illuſtris* hiſtoriam & obſervationem, quantum ſcio, rariſſimam. Cum vero otium, quemadmodum tibi notum eſt, nullum mihi ſit, & inter tot labores & ſingulis horis in praxi clinica concatenatas interpellationes limatiora ac digniora exhibere non liceat, ut ignoſcas rogo. Obſervatio de puero male pro hermaphrodito habito, quem ad *Te* nuper miſi, decadi primæ obſervationum medicarum proxime in lucem edendæ inſerta erit. Summum numen *Te* Vir Generoſe ac Illuſtris quam diutiſſime ſalvum & incolumem, in incrementum ſcientiæ medicæ & Academiæ noſtræ Georgiæ Auguſtæ eſſe jubeat. Vale, meque in poſterum commendatum habe.

*Scrib. Göttingæ d. VIII. Aug.* CIↃ IↃ CCL.

JOAN.

LXXIV.

# JOANNIS CHRISTOPHORI POHLII

*MEDICINÆ PROFESSORIS,*

# DE HERNIIS

*Et Speciatim*

# SARCOCELE

*PROGRAMMA.*

Lipſiæ anno 1739.

CHirurgia, Medicinæ pars antiquiſſima [a], quæ manibus medetur, egregium in praxi clinica ſibi vindicat uſum, & non ſolummodo tanquam utiliſſima, ſed maxime etiam neceſſaria, ab artis peritiſſimis explicatur atque ventilatur. Communiter vero illa a celeberrimis medicis in chirurgiam medicam & manualem dividitur. Medica eſt, quæ medicamenta, tam interna, quam externa, eligit, & ratione circumſtantiarum rite adhibet. Manualis vel manibus nudis vel inſtrumentis externe auxilium præſtat, mediante σύνθεσι, διαίρεσι, ἐξαίρεσι, ἀφαίρεσι, πρόθεσι, διορθῶσι; ad quam poſteriorem, manualem ſcilicet imprimis referri poteſt omnium herniarum tam verarum quam ſpuriarum medela, ita ut in curandis herniis veris partes quædam abdominis loco ſuo motæ, iterum in priſtinum ſuum atque genuinum ſtatum redigantur, in herniis autem ſpuriis & impropriis partes ſuperfluæ auferantur. Hernia enim vera annumeratur tumoribus, ubi relaxatum vel nimium extenſum peritonæum anſam præbet, ut inteſtina vel epiploon aliud occupet ſpatium, & deinde protuberantiam præternaturalem formet. Differunt vero herniæ ratione loci, quem occupant, ortuſque, quorum reſpectu in tres claſſes plerumque dividuntur. Primam ſpeciem conſtituit hernia umbilicalis, ſeu ἐξόμφαλος, quæ oritur ex relaxato annulo tunicæ exterioris, peritonæi ligamenta, ex vaſis umbilicalibus in fætu perviis ortum ducentia, cingentis. Si autem peritonæum infra hunc locum variis in partibus abdominis laxetur, muſculi externi læſi vel eorum aponeuroſes in interſtitiis nimium in modum expanſæ, atque integumenta preſſioni inteſtinorum paulatim cedant; tunc ſiſtunt herniam in genere ſic dictam ventralem. Secunda ſpecies inguinalis, ſeu βουβωνοκήλη exiſtit, quæ formatur, dum muſculi quacumque ex cauſa fortiter contracti, aut inteſtina, aut epiploon ad inguen uſque elapſa, protrudunt. Tertia ſpecies emergit, ſi inteſtina vehementiori modo majorique vi depreſſa, in ſexu potiori in ſcrotum, in ſequiori in pudendi labra devolvuntur, ſicque herniam perfectam, in viris ὀσχεοκήλην dictam efficiunt. Locus, ex quo prolapſus ortum ducit, idem eſt, uti in bubonocele. Nimirum proceſſus peritonæi nimium in modum extenditur, & preſſio perpetua annulum tam amplum reddit, ut inteſtina vehementiori motu in ſcrotum abeant. Quemadmodum autem ex hoc vario ortu & loco variæ herniarum denominationes provenerunt; Ita pari etiam modo diverſitas materiæ, ex qua formantur herniæ, iiſdem varia impoſuit nomina. e. g. Si in hernia umbilicali ſolummodo inteſtina ſpatium implent, partemque ultra modum extendunt, inſigniuntur nomine enteromphali. Interdum autem fieri ſolet, ut epiploon ſiſtat herniam, hincque nomen epiplomphali ortum eſt. Quando e contrario inteſtina & epiploon ſibi invicem juncta exiſtunt, nominantur entero-epiplomphalus.

Præ-

[a] Ex veterum ſcriptis patet, quod Chiron Centaurus, Saturni & Philyræ filius, chirurgiæ inventor eſſe debeat.

Præterea ſi contingat, ut in hernia inguinali & ſcrotali inteſtina nuda inveniant locum, deſcribitur nomine enteroceles; ſi tantummodo omentum, epiploceles. Non raro etiam circa hernias hoc phænomenon deprehenditur, ut in enterocele colluvies fæcum accumuletur, ibique moram nectat, & quidem in illis locis, in quibus herniæ fuerunt ortæ; illudque maxime obſervatur in hernia inguinali & in ſcrotali, quarum repoſitio ſi ob cauſam ſuperius modo allegatam difficillima exiſtit, tunc ſalutantur illæ herniæ infarctæ vel incarceratæ [ *b* ]. Non ignota eſt diſtinctio in hernias completas & incompletas. Completæ ſunt illæ, quæ in ſexu potiori uſque ad ſcrotum, in ſexu ſequiori uſque ad pudoris labia vergunt: incompletæ, quæ in utroque ſexu non ultra inguina deſcendunt. Dividuntur etiam herniæ in ſimplices & compoſitas. Interdum enim accidit, ut modò in uno & altero loco ſimul herniæ appareant, aut inteſtina & epiploon ſimul delabantur. Porro ab experientia compertum eſt, herniam propriam ſeu veram cum impropria, id eſt, cum hydro-pneumatocele, hydro-cirſocele, conjungi poſſe. Ad dignoſcendas autem herniarum ſpecies ocularis requiritur inſpectio, & hernia præcipue umbilicalis ſeu Εντερόμφαλος ex tumore neque nimium molli, neque nimium duro cognoſcitur; partibus autem compreſſis, ſonus percipitur, & quando æger reſupinatus jacet, in priſtinum rèdiguntur ſitum inteſtina, herniaque mox deſidit, nec magnitudine æquat reliquas herniarum ſpecies. Επιπλόμφαλος præbet tumorem mollem, qui digitis abſque murmure cedens, compreſſione facta, mox diſparet. Bubonocele ex tumore, in inguine hærente, cognoſcitur, & ſumtis cibis magis accreſcit, paulo ſupinato corpore vel ſponte evaneſcit, vel leviori modo preſſus, diſparere ſolet. Flatus interdum ibi immorantur, & tunc ex improviſo augmentum capit, ſimulque ex murmure illius lateris cauſam intus latentem dignoſcimus. Multo difficilius bubonocele, quæ jam inflammatione corripitur, a bubone venereo diſtinguitur, id quod ex obſervatione patet, quam dedit plublicique juris fecit *Petrus* de *Marchettis* [ *c* ] hiſce verbis: „ Villicus quidam, bubonocele laborans, barbitonſorem acceſſit, qui venereum bubonem cum exiſtimaret, ejus proinde ſectionem ſuadebat: Quamquam æger cum nulla alia muliere uxore propria excepta, rem ſe habuiſſe, ſancte affirmaret, honeſta equidem, ac pudica; cum vero tonſor opinionem ſuam tueretur mordicus, atque omnino ſectione opus eſſe contenderet, eam tandem miſer villicus admiſit, ex qua cum fæces erumperent, ſtatim in lipothymiam prolapſus eſt, tonſore obſtupente. Ego vero cum caſu illac tranſirem, vocatus, ſtatim digito compuli inteſtinum in locum proprium, applicato ovi albumine cum ſanguine Draconis, atque linteo quadruplicato compreſſione facta, „ arctius

[ *b* ] Vid. Celeb. *Heiſterus* pag. 587. in editione M. DCC. XIX. Ejuſque diſſertatio de hernia incarcerata ſuppurata, ſæpe non lethali, Helmſtadii 1717. edita. Et Domini Collatores Luſatici in collatione ad eruditionem hiſtoriamque pertinente, parte XXXIII.

[ *c* ] Obſervationibus medic. obſerv. LV. pag. 145.

„ arctius nonnihil conſtrinxi quatuor dies, a quibus cerato demum ad her-
„ niam ab Aquapendente uſus ſpatio decem dierum, ſectæ partes coalue-
„ runt. Tandem meo conſilio totum vitæ tempus geſtato cingulo multos
„ annos incolumis vixit". Celeberrimus *Heiſterus* [d] ex Hieron. Fabric. ab Aquapendente & Starpart van der *Wiel* varia recenſet exempla de incongrue curatis bubonocelis; differunt autem invicem quam maxime, ortu, progreſſu & cauſa, jam nominatæ herniæ. Præceps eſt inflammatio bubonis, & gravioribus ſtipatur ſymptomatibus; bubonocele vero utplurimum mitioribus lentaque præſertim corripitur inflammatione. Peculiaria præterea ſe produnt ſigna ex incluſo in tumore inteſtino, atroces plerumque dolores, frequens vomendi conatus, & convulſiones hunc morbum comitantes, quibus rebus ſic ſtantibus facile mors ſequitur. Herniarum autem verarum in ſcroto ſitum ſuum occupantium, ſigna ex tactu depromuntur, ſiquidem inteſtina hoc in loco maximam efficiunt expanſionem, & tumor durus & elaſticus ſe ſiſtit, in entero-epiplocele, quando iterum in locum genuinum redacta fuerunt inteſtina, & epiploon ſaltem in ſcroto remanet, tumor mollis tactui non cedens relinquitur, qui facta tandem & hujus repoſitione plane evaneſcit. Occaſionem quidem herniarum ſuppeditare poſſunt cauſæ variæ; primariam tamen derivare ſolebant veteres a rupto peritonæo, ſententiam maxime talem ſtabilientes, quaſi peritonæum in utraque membrana rupturam paſſum eſſet, quæ vero opinio militat contra experientiam, quin potius nimia peritonæi expanſio plerumque magis in culpa eſſe deprehenditur. At vero huic nimiæ dilatationi anſam præbere poſſunt cauſæ externæ & internæ. Oriuntur enim utplurimum herniæ, dum muſculi abdominis fortiter contrahuntur, & cohibito ſpiritu comprimuntur, id quod maxime fieri ſolet ſaltatione, lapſu ex alto, contuſione, tuſſi ferina, præter modum clamando, tibias inflando, magnum pondus fortiori corporis nixu attollendo, & qua ſexum ſequiorem partu laborioſo; in recens natis, quorum umbilico ligatura laxior fuit injecta, vagitu vehementiori, tuſſi ob materiam tenacem nimia, quæ omnia efficiunt, ut inteſtina atque epiploon in peritonæum nimis relaxatum delapſa materiam præbeant herniis. Ad prognoſin harum herniarum quod attinet, res valde anceps eſt, qualem inde eventum nobis promittere debeamus. Siquidem inteſtina ita delapſa in junioribus ſubjectis facilius, in debilioribus difficilius priſtino ſuo loco & ſtatui reſtituuntur. Herniæ umbilicales infantibus quidem familiariores ſunt, quam adultis, citius tamen & meliori modo curari poſſunt, niſi inflammationes accedant; in majorem autem increſcunt molem in adultis, quam in juvenibus. Præterea fæminis, quæ utero gerunt, herniæ periculoſiores ſunt. Idem judicium eſto, ſi in ſexu potiori colica, in ſequiori paſſio hyſterica ſuperveniat. Inflammationes, conatus vomendi, rejectiones fæcum alvinarum per os, convulſiones, ſudores frigidi mortem inſtantem prænunciant. In cura ante omnia repo-



[d] In jam laudata diſſertatione de hernia incarcerata.

repoſitio inteſtinorum tentanda erit, quæ corpore ægri reſupinato mediante leniori & ſucceſſiva intruſione optime peragitur. Deinde opera danda, ut inteſtina repoſita in ſitu ſuo, mediante faſcia, circulo frequenti abdomen cingente, retineantur, qua ſola deligatione herniæ in infantibus plerumque curantur. Elaſticitas demum atque tonus fibrarum in nimia expanſione peritonæi de novo eſt conciliandus. Si vero omnia hæc fruſtra adhibentur, tandem ad ſectionem chirurgicam confugiendum erit, & quidem priuſquam vehemens inflammatio accedat, quæ tamen operatio non omni periculo vacat, teſtibus celeberrimis chirurgis [*e*]. Poſtquam igitur generaliora hactenus de herniis veris expoſuimus; nunc ordo tangit hernias improprias ſeu dictas ſpurias a flatibus, ſero extravaſato, excreſcentiis, retardato ſanguine, atque ſemine ſtagnante, ortum ſuum ducentes, perquirere. Harum in numerum referri poſſunt omnes tumores, qui hernias tantummodo mentiuntur, & qui propterea tam ratione loci, quem occupant, quam reſpectu materiæ, quam in ſe continent, varias acceperunt denominationes. Sic enim tumor in gutture bronchocele, in ventriculo gaſtrocele, in variis partibus e materia ſevo ſimili enatus ſteatocele, aut ex ſaburra tophacea coacervatus, porocele, in umbilico ex ſero ſtagnante hydromphalus, ex flatu pneumatomphalus, e ſanguine infarcto varicomphalus, e carne luxuriante ſarcomphalus, in ſcroto & teſticulis tales tumores ex iiſdem cauſis hydrocele, pneumatocele, variocele ſeu cirſocele & ſarcocele vocari ſolent. De quibus omnibus ex inſtituto egit *Gaſpar Hoffmannus* [*f*]. Temporis & inſtituti noſtri ratio non permittit, ut omnes & ſingulas herniarum ſpecies prolixe explicemus, ſed potius de *ſarcocele* tantummodo quædam adhuc monere nobis eſt animus. Variam apud auctores invenimus hujus tumoris deſcriptionem pariter atque denominationem. *Græci* vocant σαρκοκήλην, *Celſus*que [*g*] raro, inquit, ſed aliquando caro quoque inter tunicas (teſticuli) increſcit. *Galenus* [*h*] teſticulos vocat induratos & in aliis locis [*i*] eamdem cum ſcirrhis comparat. Moderni ſarcocelen interpretantur, quoties carnoſum quiddam in ſcroto teſtibus adnaſcitur. Juxta acta *Haffnienſia* [*k*] „ Sarcocele „ non tam adnaſcitur teſtibus, quam innaſcitur, hoc eſt, totum teſtem, „ ejuſque vaſa omnia materiæ novæ acceſſu ita infarcit, ut aliquando etiam „ vigecuplo ſe ipſo gravior ampliorque evadat. ” Secundum noſtrum conceptum propriamque obſervationem ſarcocele eſt tumor teſticulorum fibroſus & carneus, plus minus durus & doloroſus ſucceſſive ortus, qui aut totam teſticuli ſubſtantiam auget, inque molem carni ſimilem convertit, aut ſaltem

[*e*] Videatur celeberr. *Heiſt.* in chirurgia pag. 592. ubi ſententiam ſuam de ſectione in herniis ſcroti explicat.

[*f*] In inſtitutionibus medicis pag. 49.

[*g*] Libr. VII. cap. XVII.

[*h*] Libr. de tumor. præt. nat.

[*i*] L. XIV. meth. med.

[*k*] Vol. 1. obſerv. 97. pag. 188.

ſaltem parti hujus adnatus excreſcentiam veluti carnoſam format. Hic tumor, niſi mature diſcutitur, in ſcirrhum aut exulcerationem carnoſam tandem abit. Ab experientia ſatis compertum eſt, ſarcocelen interdum complicari cum hydrocele, tuncque nomen ſortitur hydroſarcocelis. Quæ vero iterum duplicis conſtitutionis eſſe ſolet. Sero enim extravaſato, & ex tunicis teſticulos ambientibus in ſcrotum emiſſo, paulo poſt durior in conſpectum prodit teſticulus, remanente autem ſero in teſticuli ſubſtantia incluſo, tactui ſe non manifeſtat. Interdum etiam utriuſque hujus mali indoles ita eſt comparata, ut perſcrutari aut diſtinguere non ſatis valeamus. Ejuſmodi exemplum recenſet *Fabricius Hildanus* [ *l* ], ubi cum aliis in conſilium vocatus, non ſolum carnem circa dextrum teſticulum concretum, verum etiam ſcrotum seroſis humoribus ita extenſum reperit, ut magnitudinem infantis fere adæquaret. De cætero obſervationes loquuntur, ſexum potiorem ſarcocele ſimplici ſæpius vexari, quam malo complicato, cui etiam aliquando regiones ſeu climata anſam præbere videntur. Inter alia verba lectu ſunt digna, quæ celeb. *Hoffmannus* [ *m* ] eam in rem profert: „ Gallos, inquit, „ infeſtant febres atque lumbrici, hydrocele atque ſarcocele, quos tumores „ ab immodico nucum caſtanearumque uſu provenire arbitratur. Ob humorum craſſorum ad teſticulos decurrentium, atque partis affectæ debilitatem ortam eſſe ſarcocelen, *Guido* & alii exiſtimant. Cui ſententiæ *Petrus Francus* [ *n* ], *Felix Platerus* [ *o* ], ſimul ſubſcribere videntur. Ex contuſione vaſorum ſpermaticorum in ſcroto, item ex ſucco e vaſis illis luxuriante hernias aliquando oriri, ſententia eſt *Veſalii* [ *p* ]. Præterea nec aliæ quidem cauſæ contemnendæ, quarum hinc & inde in obſervationibus ſuis mentionem faciunt auctores practici. Sic *Hildanus* [ * ] recenſet ſarcocelen ex regreſſu ſeminis in actu venereo ortam, & cum variis ſymptomatibus inde ſequutis ſtipatam; nempe: „ Generoſus quidam juvenis, cum amaſiam ſuam am„ plecteretur, atque cum ipſa in actu venereo eſſet, & jam ſemen ejaculare „ vellet, a quodam cubiculum ingrediente in actu ita deturbatus fuit, ut „ ſemen retroceſſerit, retentumque fuerit; unde ingens ipſi dolor in ingui„ ne enatus eſt, & teſticuli intumuerunt. Paulo poſt dolor in ſiniſtro ingui„ ne ſua ſponte remiſit, circa dextrum vero tumor remanſit, qui ſucceſſu „ temporis in ingentem herniam carnoſam excrevit. " Neque ſilentio prætereundæ ſunt contuſiones teſticulis maximam vim adferentes, cujuſmodi a cauſis ortam ſarcocelen variis notatu non indignis accidentibus ſtipatum legimus in ephemeridibus N. C. [ *q* ] exemplo viri honeſti, qui jactu cre-

Ss 2 pidæ,

[ *l* ] Cent. 4. obſerv. 64.

[ *m* ] In volumine diſſertationum phyſico-medicarum, Lugduni Batav. 1713. in 8. editarum.

[ *n* ] Libr. de herniis cap. 23.

[ *o* ] Tract. 3. cap. de cauſis protuberantiæ.

[ *p* ] Libr. V. cap. 23.

[ * ] Cent. IV. obſerv. 64.

[ *q* ] Centur. I. & II. obſerv. CXXVI.

pidæ, ſiniſtrum inguen & ſcrotum graviter non ſine inſigni dolore læſus ſiniſtrum teſticulum ſenſim ac ſine ſenſu incrementum aliquod notabile cepiſſe, ac multo majorem ſuo a dextris vicino factum, animadvertit. Similiter beatus *Ettmullerus* [r] ſarcocelen cujuſdam ſubjecti deſcripſit, in quo ſcrotum ſecundum omnes dimenſiones valde magnum, & ad genua uſque propendit. Teſticuli ad latera in ſuperiori parte abſconditi fuerunt, qui contracti aut compreſſi doloris ſenſum excitarunt. Singulare & miratu dignum ſarcoceles & totius membri genitalis tumoris vaſti rariſſimique in cadavere menſe Junio MDCCXXV. ſecto exemplum e theatro anatomico Lipſienſi communicavit illuſtris *Waltherus* [s], præceptor meus omni honoris cultu proſequendus: „ At magnitudinem ſaltem declarare, & quæ nobis „ anatomen exercentibus de præputio venerunt, adjicere licebit, ut adeo „ ſupra deſcriptam, ponduſque librarum quadraginta, omnium tumor ac„ cederet, id tunicæ, quæ dartos audit, deberi profitemur, quæ cellulo„ ſa, laxa, flaccidaque eſt, & quaſi luxuriat, nec ſolum in ſcroto ſubſiſtit, „ ſedem utroque ſcroti latere veluti duplicata aſſurgit, ſeptumque ſutura „ externa indicat, conſtituit, ſicut *Rawius* oſtendit. Et in ſequentibus. „ To„ ta diſtantia ab inguine ad præputii extremitatem unius ulnæ eſt, cum „ octava parte, cum ſiniſtro autem teſticulo ſaccum, fundo ejus appenſum, „ membranaceum & pellucentem extraximus, quem tunica vaginalis effe„ cerat, hic duas libras ſeri parum tincti intra ſinum ſuum receperat, cap„ ſæ adhærebat, ſicut in dextro teſticulo formatæ, quæ hinc inde nonnihil „ exeſo humorem priori ſimilem, loculoſque perpaucos, tophum denique „ minorem ſcutiformem & duobus foraminibus inſtructum. Pariter rariſſimum ſarcoceles varia poſt ſuppuratione eructantis oſſicula caſum reperimus deſcriptum in Ephemeridibus N. C. [t] Ad ſedem hujus mali quod ſpectat, in varias abeunt ſententias varii auctores. *Bauhinus* in theatro ſuo anatomico opinatur teſticulum dextrum non tam facile affici poſſe, quam ſiniſtrum. „ Cum dexter forſan teſticulus ob majorem per vaſa majora eo delatam ſan„ guinis copiam ſit calidior ſiniſtro, & per conſequens robuſtior. E contrario *Fabritius Hildanus* [u] imprimis defendit, ſarcocelen firmiſſimam occupare ſedem in parte dextra. „ In tota praxi mea unicum ſolummodo, ex „ ſiniſtra parte laborantem hernia carnoſa (quæque tandem in cancrum ex„ ulceratum atque inſanabilem degeneravit) me vidiſſe memini. " Mihi ipſi contigit ejuſmodi caſus in milite quodam munere Armiductoris in Arce Pleiſſenburg fungente, & ſarcocele teſticuli ſiniſtri anno MDCCXXXVII. laborante, qui tunc annum quadrageſimum ætatis ſuæ ſeptimum agens, animi ſui recreandi gratia iter equo vehendo ſuſcipiebat, in reditu vero, cum bene ebrius equum aſcendiſſet, preſſione teſticulum ſiniſtrum ita læſit, ut

[r] In programmate 1723. in Dni. Steinfeldi promotione edito.
[s] Vid. Acta Erud. Lipſ. an. 1725. p. 492. 495. ſeqq.
[t] Anno III. decur. annorum ſecunda obſerv. XIX.
[u] Cent. 4. obſerv. 64.

ut maximus humorum affluxus per breve temporis ſpatium inde ſequeretur, tumorque in dies augeretur, & ſcrotum progreſſu temporis tandem in eam magnitudinem extenderetur, ut amplitudine enterocelen mentiretur. Cum vero nihilo ſecius paulo poſt iterum equo iviſſet, ſicque miſer teſticulum jamjam affectum ephippio nimium impegiſſet, ſcrotum adhuc in majorem augebatur magnitudinem. Hinc circumforaneus quidam accerſitus omnem quidem adhibuit operam, ut mentiens enterocele reponeretur; ubi tamen perpetua manuum compreſſione dolores maximum in modum aucti fuere. Qua rerum facie exiſtente ego cum chirurgo ordinario in auxilium vocatus, in partibus ſcroti externis inflammationis vehementioris ſigna deprehendi. Quapropter cataplaſmata ex emollientibus atque diſcutientibus a chirurgo applicabantur; interne medicamenta præſcribebantur, quæ imminenti inflammationi obicem ponerent. Quibus tamen non obſtantibus, omnia in pejora ruebant, & undecimo poſt ſecundam contuſionem die omnes ceſſabant dolores, gangræna atque ſphacelus imminebant, maculæ imminentis gangrænæ uſque ad regionem umbilicalem ſe manifeſtabant, vitamque paulo poſt cum morte mutabat ægrotans. Proximo die cadaveris inſtituebatur ſectio, ſcrotum in peripheria caput infantis recens nati æquabat, apertis illius integumentis tota teſticuli ſubſtantia in materiam purulentam abiiſſe conſpiciebatur; cujus etiam materiæ parum tinctæ in cavitate ſcroti ſiniſtra ultra ſeptem repertæ atque evacuatæ ſunt unciæ, tunicæ ſubſtantiam ambientes, cremaſter nempe maxima ex parte adhuc integer in conſpectum veniebat, tunica autem vaginalis & albuginea dilaceratæ atque emaciatæ, vaſaque ſpermatica & corpus pampiniforme ſphacelata apparebant, teſticulus dexter adhuc involvebatur ſuis tunicis, ſigna gangrænæ imminebant, & hujus indicia adhuc in abdomine circa annulum proceſſus peritonæi, inque variis inteſtinorum partibus animadvertebantur; reliqua autem viſcera optime ſe habebant. Sed ſufficiant hæc tam de origine, quam de conſtitutione ſarcoceles. Jam vero pauciſſimis adhuc verba ſunt facienda de ratione mali ipſius curandi. Ubi vero varii occurrunt auctores ſententiam foventes, σαρκοκήλην diſcuti poſſe medicamentis internis reſolventibus, externe autem diſcutientibus. Credit *Matthiolus* in dioſcoridem, credit *Scultetus* in armam. chirurg. ſeſe ſarcocelen pulvere ononidis percuraſſe, attamen veritati ſimillimum mihi videtur, hydrocelen forſan duriori cortice circumdatam, atque adeo ſarcocelen mentientem hocce medicamento curatam fuiſſe. Alii fotus ex aceto lavendulæ, rutæ, theriacæ commendant. Si hæc omnia non conducunt, & ſarcocele in dies magis incrementum capit, dolores non remittunt, & cancer jam imminet, reſectio chirurgica teſticuli male affecti eſt inſtituenda. Quam operationem ex inſtituto deſcripſit Celeberr. *Heiſterus* [x] ſimulque varias docet enchiriſes, ut eventus ſequatur exoptatus. De felici hujus operationis eventu, ſectionem nimirum ſarcoceles in vico Aurigarum a Lithotomo Laurentio Nicolai feliciter & dextre fuiſſe adminiſtratam, in act.



[x] In chirurgia p. mihi 594. & 598.

*Haſſn.* [y] ſequentia legimus obſervata : ,, Nempe aperta cute inguinis dex-
,, tri, teſticulus dexter, qui ad capitis puerilis magnitudinem excreverat,
,, ſeparato κατα δάρσιν ſcroto, extractus, & reſectis vaſis ſpermaticis pror-
,, ſus exemtus fuit, magno militis alias cordatiſſimi ejulatu. Ligatis vaſis,
,, conſutum ſcrotum & cætera, ut vulnus decet, curata." Tormentorum obli-
tus ad militares rediit functiones. Varia ahhuc recenſentur exempla in actis *Haſſn* [z]. de optato hujus chirurgiæ manualis ſucceſſu. ,, Sic mercatori
,, ſamio ablatus fuit ferro chirurgi ramicoſus teſtis, ponderans ſemiuncias
,, XXXIV. durus ille quidem toto corpore & maſſæ carneæ nervoſis hinc
,, inde gyris diſtinctæ ſimilis, ſed neque ad latus, neque in gremio ſuo ul-
,, lum alium teſticulum naturalem complexus." Atque hæc ſunt, quæ hac vice in medium proferre mecum conſtitui.

[y] Obſerv. 28. pag. 59.
[z] Vol. I. obſerv. 97. p. 188.

DISSER-

[illegible]



[illegible]
[illegible]

*Fig. 1.*





*Fig. 2.*




*Disp. Chirurg. Tom. III.* HEISTER DE HYDROCELE. *pag.* 327.

LXXV.

# DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE HYDROCELE.

*Quam Præſide*

D. D. LAUR. HEISTERO;

*Tuebatur*

MARTIN. ARNOLD. BUTZER

*EMBDANENSIS.*

Helmſtadii 30 Decembris anno 1743.

## I.

CUm ſuperiori æſtate cum multis medicinæ Studioſis a Cel. *Dn. Præſide* viderim operationem & curationem chirurgicam *Hydroceles* in juvene perfici, qui hoc morbo laborabat, atque hucuſque non viderim diſſertationem, quæ de hoc morbo moleſto & magni ſane momenti egit, operæ pretium eſſe exiſtimavi, ut hoc argumentum pro themate inaugurali mihi eligerem, atque intimius illius genium ac naturam excuterem. Introitus.

## II.

Hydrocele mihi *definitur*, quod ſit *ſpecies herniæ* ſive *tumoris ſcroti*, ubi in *tunica ejus*, *vaginali* dicta, *magna*, immo quandoque maxima *ſeri copia præter naturam colligitur*. Scrotum inde nunc aliquo modo tantum, nunc vero in aliis in magnam admodum molem, non ſolum cum moleſtia & incommodis ægrorum, verum & cum læſione variarum actionum intumeſcit. Definitio morbi.

## III.

*Originem ducit vocabulum hydroceles* græcum ab ὕδωρ, *aqua*, & κήλη, *hernia* ſive *tumor*, & hinc Latinis dici ſolet *hernia aquoſa*: quia ut jam dictum eſt, aqua ſive liquor aquoſus præter naturam modo parca, modo larga copia in ſcroto colligitur, atque hinc noſtratibus *Waſſerbruch*, Belgis, *Water Breuk*; Anglis, *Water rupture*; Gallis, *hydrocele* ſive *hernie aqueuſe* & Italis *ernia àquoſa* appellatur. Etymologia.

## IV.

Quamvis *hic morbus* ab antiquiſſimis medicis *ad hernias eaſque veras fuerit relatus*, dum quemvis tumorem ſive intumeſcentiam ſcroti pro hernia ſive ramice, ut ex præſtantiſſimo veterum Romanorum medico, *Celſo* libr. VII. cap. 18. & ſeq. videri poteſt, ſumſerint; ſunt tamen inter recentiores multi pruritu innovandi occupati, qui ſub herniæ nomine aliter, quam veteribus in uſu erat, abſque ratione ſufficiente *non niſi prolapſum inteſtinorum* vel *omenti* vel utriuſque ex abdomine intelligi volunt. Verum ego, ubi de nomine morborum antiquorum ſermo ſive lis eſt, ſentire hic malo cum medicinæ ſtatoribus ac parentibus, vetuſtiſſimis ſcilicet medicis, quibus jus erat morbis nomina dare, & vulgo, qui quoſcumque tumores ſcroti, ſive illi à prolapſu alicujus partis ex abdomine, ſive ab alia materia & cauſſa oriantur, nomine herniarum, & recte quidem indigitant atque intelligunt. A quibuſdam pro hernia vera non habetur.

## V.

Diviſio herniarum.

Quidam ergo hernias in *veras* & *ſpurias* diſtinguunt, atque hydrocelen, ſarcocelen, varicocelen &c. ad *ſpurias* referunt; ſed *ſub herniæ veræ nomine* tantum illos tumores in ſcroto & alias circa abdomen, nimirum in inguinibus, umbilico aut alia ventris parte intelligi volunt, *ubi aliquid ex abdomine prolapſum*, tumorem facit, ejuſque cauſſam conſtituit. Sufficit mihi, quod *hydrocele hernia ſit*, ſive quis eam inter veras ſive inter ſpurias referre velit. In eo tamen omnes conveniunt, *quod*, ſicut in definitione §. I. dixi, *ſit tumor ſcroti*, *ab aquæ collectione* p. n. in eo productus, ideoque facilis ero in verbis, dum de lana caprina non litigabo, ſi modo conveniamus in re, & bona eam curandi methodus doceatur.

## VI.

Hydroceles differentiæ.

Variæ ejus dantur *differentiæ:* quædam enim eſt *recens*, alia *inveterata*; alia *parva*, alia *magna*, unam ad duas libras liquidi aquoſi ſive ſeroſi continens; alia *maxima*, ſive tam ingens, ut caput humanum ſuperet, immo ad genua & ſupra illa dependeat, quemadmodum Ill. *Dn. Præſes* ejuſmodi ingentes hernias aquoſas vidit. Plerumque tantum eſt *in uno ſcroti latere*, ſed ſine dubio etiam interdum eſſe poteſt in *utroque*. Quandoque, præſertim ſi parvus adhuc eſt, *mollior* exiſtit, *plerumque vero valde durus*, quia tunicæ ab humore contento vehementer extenſæ ſunt. In calore ſæpius paulo *molliores* fiunt, in frigore vero rurſus duriores. In pleriſque humor contentus eſt *pellucidus*, in quibuſdam vero *turbidus*, *aut fuſcus* aut *ſanguinolentus*, ut Ill. *Dn. Præſes* aliquoties expertus eſt. Interdum eſt *ſimplex*, ubi nullum aliud vitium ſimul adeſt; alia *compoſita* ſive complicata, quando nimirum præter liquidum aquoſum teſticulus *ſcirrhoſus* eſt, vel inteſtina ſimul in ſcroto adſint. Hanc *hydroenterocelen*, *illam hydroſarcocelen* appellant. Nos vero hic potiſſimum de *ſimplici* hernia aquoſa acturi ſumus. Quandoque vero aqua in ſcroti tantum tegumentis ſive involucris communibus, & ſpeciatim in tunica pinguedinis ſive adipis, vel ut hodie a multis appellari ſolet, barbaro vocabulo *cellulari*, quæ vero ex loco, ubi aqua hæret, ab affectu noſtro diſtinguitur, qua de re inferius plura.

## VII.

Anatomica conſideratio partium eſt neceſſaria.

Poſſemus nunc ad ſigna & cauſſas ejus conſiderandas progredi; verum lubet prius *partes illas*, *in quibus hernia aquoſa* ſedem ſuam habet, *anatomice conſiderare*, harumque *partium fabricam* exponere; quia anatomia fundamentum eſt ſolidiſſimum, ſicut in quam plurimis aliis morbis, præſertim

ſertim chirurgiæ ſubjectis, ita & in hoc noſtro: & qui illam non intelligit, neque recte de ejus conſtitutione, neque rite & ſolide de ejus curatione judicare, multo minus in ea, quæ per ſcalpellum, aut per alia chirurgica remedia perficitur, operatione legitime procedere poterit.

## VIII.

Quoniam vero *ſcrotum* affectus illius, de quo hic agere conſtituimus, *ſedes* eſt, ejus conſtitutionem & fabricam, una cum partium contentarum, quatenus ad ſcopum noſtrum faciunt, hic dabimus. *Scrotum dicitur* ea pars corporis virilis, quæ ſub membro virili, inter femora ſita eſt, & inſtar ſacculi cujuſdam, duplici loculo inſtructi, teſticulos viriles una cum partibus ad hos pertinentibus continet atque aſſervat, eiſque pro involucro inſervit. 1. Scroti & quid ſit.

## IX.

Teſticuli vero in ſcroto *involucra habent duplicis generis*; quædam enim *involucra communia*, quædam *propria* dicuntur. *Communia* ſunt, quæ utrumque teſticulum ſimul involvunt, qualia ſunt generalia illa tria totius corporis *tegumenta* ſive involucra, *cuticula* ſcilicet ſive *epidermis*, *cutis* & *pinguedo*, quam vulgo *tunicam adipoſam*, ob adipem ſive pinguedinem, quam continent, & recentiores *cellularem*, ob multas cellulas, ex quibus conſtat, appellare ſolent, cutiſque & tunica adipoſa in ſcroto *admodum tenuia* ſunt. Quamvis vero hæc tria utrumque teſticulum involvant, tamen per medium ſecundum longitudinem, a parte inferiore penis, ubi urethra in eo ſita eſt, ſpecies diviſionis conſpicitur, quæ *ſutura ſcroti*, græce *raphe* vocari ſolet, qua ſcrotum in dextram & ſiniſtram partem diſpeſcitur, quamvis hæc ſutura non profundius in ſcrotum penetret ſive deſcendat, quam reliqua cutis ſcroti, adeoque & ceteras interiores partes non disjungat ſive diſtinguat, ſed ſolum involvat. *Originem* ſive potius *continuitatem* habet hæc cutis a parte cutis inferiori & anteriori abdominis ac penis, & deinde a perinæo, cum quibus continua eſt, atque teſticulis in forma ſubrotunda ſuperextenditur, eoſque ſic commode ſuſtentare poteſt. Huic ſubjacet tunica pinguedinis ſive adipis, quæ tenuis hic eſt, & aliquo modo intra duplicem parietem ſepti ſcroti ſe inſinuat, quæ potiſſimum in ita dicto *hydrope ſcroti* afficitur, & aſero ibidem collecto plus minuſve tunc extenditur. Involucra teſticulorum quæ.

## X.

Ad ſpecialia ſive *propria tegumenta aut ſi mavis involucra teſtium* primo referenda eſt membrana robuſta muſculoſa, forma quaſi ovata, prioribus ſubjecta, quæ *dartus* appellatur, ſic tamen, ut in uno ſcroto duæ ejuſmodi Membrana dartus.

modi ſint membranæ, altera in dextro, altera in ſiniſtro ejus latere, quarum quælibet ſeorſim unum teſticulum, cum ceteris ſuis propriis involucris inſtar ſacculi ambit, atque laxe tam cum cute, quam cum ſubſequenti tunica vaginali cohæret, ejuſque ope ſcrotum corrugari ſolet. *Figura ejus cum* teſticulo ſicut & ſubſequentes quodammodo convenit, hoc eſt, *ſubrotunda* ſive *ovata* eſt, & cum ſuperiori parte penis inferiori parti adhæret.

## XI.

Septum ſcroti quid.

Attamen in medio ſcroti, eo in loco, ubi ſutura in cute ejus extus conſpicitur, inter ſe invicem arcte connectuntur, atque hac duplicis darti membranæ conjunctione *ſeptum ſcroti*, quod vocant, efficiunt, quo non ſolum in ſtatu naturali teſticuli a ſe invicem diſtinguuntur, & cuivis peculiaris quaſi loculus ſive camera conſtituitur; verum & in ſtatu morboſo, præſertim in *hydrocele*, una cum tunica vaginali impediunt, ne ſerum vel lympha in uno ſcroti latere effuſum, aut in aliis morbis pus aliave materia noxia, quæ unum teſticulum affligit, etiam mox alterum ſimul afficiat, atque damnum aliquod ei inferat. Hic paries medius duplex, ſive ſeptum ſcroti teſticulis interjectum, quia remota cute ſcalpello per artem a ſe invicem ſeparari, atque ſic in duos loculos dividi poteſt. *Ravius* celebris quondam anatomicus & chirurgus Germanus in Belgio *homini non unum, ſed duo eſſe ſcrota* ſuſtinere voluit, atque hanc ob rem acerbas lites cum Celeb. *Ruyſchio* inchoavit; qua de re & hujus & illius epiſtolæ de *ſepto ſcroti* Amſtelodami tunc anno 1696. & ſeqq. impreſſæ, uberius, cui lubet, videri poſſunt.

## XII.

Tunica vaginalis.

Hanc membranam ſequitur *tunica vaginalis* dicta, quia teſticulum quaſi ut in vagina continet cum ſuo muſculo *cremaſtere* dicto, quæ tunica laxe & fere ad modum pericardii, quo cor ambit, teſticulum cingit, figuræ quoque ovatæ, & ſi, facto prius in ea vulnuſculo ſive foramine, tubulo inflatur, *multum magnitudinem teſticuli ſuperat*, atque lubrico humore ſemper, qui forte ut liquor pericardii ex teſticulo tranſudat, imbuta eſt, ne cum teſticulo concreſcat, & ut ab hoc etiam teſticulus in debita mollitie & flexilitate conſervari poſſit. *Oritur hæc tunica* a tunica peritonæi externa vel potius continua eſt cum exteriori peritonæi lamina, quæ per annulum muſculi oblique aſcendentis per inguina ad ſcrotum deſcendit, & vulgo *proceſſus peritonæi* vocatur, atque vaſa ſpermatica ex abdomine ibidem egredientia involvit, atque ad teſticulos deducit, & quando ad eos pervenit, multum dilatatur, atque *tunicam hanc vaginalem conſtituit*, ubi tamen adhuc notandum, quod hic proceſſus, ubi fere ad teſticulum pervenit, ita cum vaſis ſpermaticis ibidem concreſcat, *ut cavitas tunicæ vaginalis cum* *pro-*

*proceſſus cavo nullam habeat communicationem*, ita, ut ſi flatus per exiguum foraminulum aut vulnuſculum huic tunicæ in parte ejus inferiori inflictum, per tubulum immittatur, ille non in proceſſus peritonæi penetret, neque flatus a regione ventris in proceſſum peritonæi in tunicæ vaginalis cavum injectus deſcendat, ſed inter hæc duo cava quaſi paries membranaceus ſive ſeptum interjectum ſit, ne flatus, adeoque etiam nec aër, nec liquores, nec aliæ res ex una in alteram partem tranſire queant, quo ſepimento fit, ut varia phænomena circa hernias varias & ſpeciatim hydrocelen & enterocelen explicari atque intelligi poſſint, quæ ab illis, qui hoc ſepimentum ignorant, non intelliguntur & explicari nequeunt, de quibus vero poſt hæc plura [*a*].

## XIII.

Hoc unicum ſolum hic adhuc monere volui, quod muſculus *cremaſter*, qui & *elevator teſticuli* appellatur, tendinea ſua expanſione tunicam vaginalem ambiat, hinc & a quibuſdam *pro peculiari tunica habetur*, & cum hic ortum ſive punctum fixum habeat fibris carneis circa infimam abdominis partem, ex hujus muſculis, quando ſe contrahit, tunicam vaginalem, & ſic ſimul teſticulum intus contentum elevat, & ad colem adducit. Plura quidem de hoc muſculo dici poſſent; verum quia ad inſtitutum & ſcopum meum non pertinet, hic brevitatis cauſſa ea prætermitto. Qui vero plura de eo ſcire deſiderat evolvere poteſt Cel. *Dn. Præſidis* Compend. Anat. §. 343. pag. 197. aliosve anatomicos recentiores. Muſculus cremaſter.

## XIV.

Ultima eaque maxime propria teſticuli tunica *alba & nervea* a *Celſo* Lib. VII. cap. 18. recte vocatur; *alba* ob colorem, & *nervea* ob ſenſum ita dicta, admodum robuſta & figuræ *ovatæ* arcteque cum ſubſtantia reliqua teſticuli vaſculoſa coalita, quæ vaſa ſpermatica, arterias ſcilicet, venas & nervos recipit, eaque ad teſticulum ipſum ſive ejus ſubſtantiam interiorem tranſmittit, pro liquido ſeminali ſive genitura inde ſecernendo. Hæc tunica quoque arcte complectitur *epididymidem* alteram teſticuli quaſi partem & appendicem, ejuſque vaſcula, ut in teſticulo firmiter compingit. Tunica nervea.

XV.

[*a*] Hoc ſeptum etiam jam novit *Bonetus*, utpote qui in Sepulchret. p. 1292. obſ. 2. ait: *Teſtis equidem tunica involvitur vaginali; at ea non extendit ſe ultra teſtem, ſed circa vaſorum pyramidalium baſin definit, teſti unita, adeoque tranſitus hic loci nullus verſus abdomen*, & vice verſa.

## X V.

Vaſa ſcroti & teſticuli.

*Vaſa ſanguifera ſcrotum* habet tam arterias, quam venas, a cruralibus & hypogaſtricis, unde *pudendæ* eæ vocantur, quæ ad ſcrotum in viris abeunt. *Teſticuli* vero, præter communia quædam cum ſcroto, quæ per exteriores ejus tunicas dartum ſcilicet & vaginalem diſſeminantur, *arterias* obtinent *ſpermaticas* dictas, exiles, ut plurimum ex aorta deſcendente, anguſto principio ortas, quæ utrinque per annulos muſculorum abdominis ſuper os pubis e ventre egrediuntur & per inguina in proceſſibus peritonæi ad ſcrotum & ad teſticulos deſcendunt, ubi arteria utplurimum in duos ramos diſtribuitur, quorum alter ad *teſticulum* ipſum & proprie ſic dictum, alter ad *epididymidem* abit, ibique in minores ac minimos tandem ramulos diviſi per utriuſque ſubſtantiam undiquaque diſpeſcuntur, partim pro teſticulo nutriendo, partim pro liquido genitali inde ſecernendo. *Venarum* teſticuli *dextra* in venam cavam, ſiniſtra vero plerumque in emulgentem ſiniſtram ſe inſerit, copioſiſſimis vero radicibus ſive ramulis ex teſticulorum ſubſtantia prodeunt. Valvulis ſæpe deſtitutæ ſunt, variaſque & *mirabiles anaſtomoſes* conficiunt, a *Graafio* lib. de part. genital. virorum Tab. I. fig. 2. optime delineatas, quas nonnulli *corpus pampiniforme* ſive *pyramidale* ob figuram appellant, quæ per proceſſus peritonæi ſuper os pubis, per annulos muſculorum abdominis juxta arterias, eiſque intermixtæ in ventrem aſcendunt, & ſanguinem a nutritione ac genituræ ſecretione ſupervacaneum, ad venas prædictas & cor revehunt.

## X V I.

Nervi & vaſa lymphatica.

Nervi a plexibus nervorum pelvis & lumbaribus ſatis multi ad teſticulos cum arteriis abeunt, & per tunicam albugineam, quæ *nervea* propterea vocatur, teſticulos ingrediuntur, unde valde ſenſibilis eſt, qui ſpiritus teſticulis pro variis ad generationem neceſſariis uſibus inferunt. Denique & *vaſa lymphatica* in teſticulorum ſuperficie in viventibus animalibus conſpiciuntur, quæ lympham ex ipſis poſt liquidi genitalis ſeparationem abundantem per proceſſus peritonæi quoque in ventrem revehunt. In hominibus vero *Gliſſonius* ea quoque vidiſſe perhibetur a Thom. *Bartholino* in Anatom. Reform. cap. XXII. de teſtibus.

## X V I I.

Teſticuli & epididymidis fabrica.

*Situs*, *numerus*, *magnitudo* ac *figura* etiam *teſticulorum* omnibus adeo nota ſunt, ut non opus eſſe exiſtimem his diutius immorari, ſed ſi quis forte hæc ignoret, aut ſolum quid auctores de iis ſcripſerint, noſſe velit, eum ad *Graafii* modo laudatum librum alioſque anatomicos ablegabo. Ratione

tione *ſitus* tamen hoc ſolum monebo, quod *ſiti* ſint in tunica ſcroti vaginali §. XII. & ope hujus adhærent ſepto ſcroti, ne in nimiis motibus, & concuſſionibus corporis vehementioribus rudius concutiantur, & noxam forte inde patiantur. *Conſtat teſticulus quilibet* ex *teſticulo ipſo*, ac deinde ex *epididymide*, ſive *paraſtata*, conf. *Graaſii* Tab. II. fig. 2. & 3. quæ ex manifeſta & mira vaſorum ſeminalium ex teſticulis ortorum, ac longe ampliorum, quam in teſtibus ſunt, congerie compoſitæ ſunt, liquidumque genitale in teſtibus ſecretum, & aliquo modo præparatum ex his recipiunt, uberius perficiunt, illudque tandem, poſt diuturnos in his circuitus & coctiones *in vas deferens* dictum dimittunt, per quod poſtea ad *veſiculas ſeminales* deponitur, & ſuo tempore pro fetus novi generatione per urethram in arvum muliebrem deponitur. Quod cujus naturæ ſit, & utrum *vermiculi* aut alia viva *animalcula* ei, ut quam plurimi hodie cum *Levwenhoekio* & *Boerhavio* ſtatuunt & credunt, inſint, hoc loco non inveſtigabo, quia ad ſcopum meum non pertinent, ſed aliis uberius perveſtigandum atque diſcutiendum relinquam.

## XVIII.

Interior ſubſtantia teſticuli.

*Subſtantia teſtium* ipſa, licet ex *Celſi* ſententia *glandulis ſimile quid* in figura ac ſubſtantia habeant, atque etiam aliquid, ut *glandulæ* multæ aliæ ſolent, ſecernant, tamen nullæ glandulæ in ipſorum ſubſtantia ſive corpore conſpiciuntur; ſed ex tenuiſſimorum vaſculorum albicantium, filis tenuiſſimis ſimilium, peculiaris generis congerie, mireque & inteſtinorum more complicatorum fabrica conſtant [*b*] membranulis ſive ſepimentis pluribus & *corpore Highmori* vario modo inter ſe diſtincta ac firmata, ut certo ordine & ſitu contineantur, (ſicut videre eſt in *Graſii* Tab. III. fig. 4. ex cane, atque Tab. IV. fig. 4. & 5. ex homine) quo munere ſuo ad propagationem generis humani adeo neceſſario tanto melius fungi poſſint. Atque hæ erunt illæ partes, in quibus & circa quas morbus ille, de quo hic agimus, ſedem ſuam habet, & quo quandoque quidam miſere corrumpuntur.

## XIX.

Cauſſa hydroceles proxima.

*Cauſam hydroceles* proximam eſſe *ſerum* vel *lympham* manifeſto docet liquor, qui utplurimum in ejuſmodi malis in cavo ſcroti deprehenditur. Serum & lympha a phyſiologis utplurimum tenuitate, ſicut illud eſt, quod in vaſis lymphaticis vehitur, diſtinguuntur, dum *ſerum ſpiſſius* & glutinoſius, *lympham* vero *tenuius liquidum eſſe* dicunt, atque vix aliam quam tenuitatis majoris vel minoris differentiam hæc inter liquida conſtituunt.

Hanc

[*b*] Videri hæc poſſunt *reſoluta* in Cel. *D. Præſidis* Comp. Anatom. fig. 24. eaque ſic in natura in muſeo ipſius vidi.

Hanc ſi fundamenti loco aſſumimus ſententiam, *ſerum frequentius* ejus cauſſam eſſe exiſtimo, quam lympham. Nam in hydrocele illa (§. I.) liquidum erat quidem pellucidum, ſed adeo ſpiſſum, ut fere albo ovi ſpiſſitudine ſimile fuerit; in aliis vero quam plurimis, quos *Dn. Præſes* ab hoc malo curavit, hoc liquidum ita deprehendit, ut licet ſatis tenue apparuerit, tamen ad tactum glutinoſum eſſet, & quando in cochleari ſuper candelam vel prunas ignitas per breve tantum tempus teneretur, in maſſam albi ovorum cocti coiverit, id quod lympha ex vaſis lymphaticis collecta tantopere & tam cito facere non ſolet.

## X X.

Quomodo in ſcrotum perveniat ſerum.

Sed *quomodo aut unde in ſcrotum* & ſpeciatim in cavum *tunicæ vaginalis proveniat*, variæ proſtant ſcriptorum ſententiæ. Quidam putarunt *ex cavo abdominis hoc liquidum* per proceſſus peritonæi, vel per vias alias occultas huc pervenire. Verum quia inter proceſſum peritonæi & cavum tunicæ vaginalis, ut ſupra §. XII. dixi, *paries membranaceus interpoſitus eſt*, ut ne flatus quidem, multominus ſerum tranſire poſſit, adeoque per hanc viam hoc non contingit, præſertim, quia multi ſunt *aſcite laborantes*, quorum abdomen ſero repletum eſt, in quibus tamen hydrocele non generatur. In *anaſarca* quidem laborantibus ſcrotum ſæpe intumeſcit; verum in his ſerum non colligitur in tunica vaginali, ſed in ſcroti membrana adipi deſtinata. Quidam hoc liquidum, præcipue quia *quandoque urinæ colorem obtinet*, *urinam eſſe credunt*; verum nec pro hac ex veſica vel urethra adeſt via, neque urina ſuper ignem in modum ſeri coit. Itaque potius, cum *teſticuli obtineant vaſa lymphatica*, eiſque etiam tunica vaginalis forte non privata ſit, vel ex his ruptis provenire poterit, vel etiam ex vaſis arterioſis teſticuli aut tunicæ vaginalis, vel per anaſtomoſin, vel per diæreſin, vel per diapedeſin, ut veteres locuti ſunt, vel &, ut clarius me explicem, per *inſenſibilia tunicarum foraminula* quaſi tranſudare; ſed a vaſis abſorbentibus non abſorberi.

## X X I.

Cauſſæ remotæ.

*Cauſſæ remotæ* quandoque ſunt *colliſiones* & *contuſiones* ſcroti aut teſticulorum, *ictus*, *lapſus*, *equitatio vehementior*, aliæve *cauſſæ externæ violentæ*, quibus vaſa tenera lymphatica, ſive arterioſa ſive venoſa ſint, lædi atque ita debilitari poſſunt, ut ſerum ſuum hic demittant, vel ut *Boerhavius* ait [*c*], ſi humor ibi ſecretus, ſuis vaſis non abſorbetur, ſed ſtagnat & accumulatur. Quidam etiam *errores in victu* huc referunt: quos vero valde incertos eſſe exiſtimo, cum quam plurimi ſimiles aut majores adhuc errores committant, quam ii, qui his morbis laborant, quorum mul-

[*c*] In Aphoriſmis ſuis practicis §. 1227.

multos valde ſobrios novit Cel. *Dn. Præſes*, & tamen ejuſmodi herniis non corripiuntur. Alii alias *cauſſas* & ſubinde valde *abſonas* adducunt, ut exempli loco *Hildanus*, qui Cent. IV. obſ. *66*. cum *Dodonæo renem ſiniſtrum male affectum accuſat; cum enim hic urinam ex vaſis emulgentibus non attrahere poſſet*, (quia ſcilicet male affectus eſſet) *per vicinam venam ſeminalem illam in membranam vaginalem deponi.* Sed condonandum eſt hoc magnis hiſce viris, qui vixerunt & hæc ſcripſerunt, antequam circulus ſanguinis fuit detectus. Pudet vero plures ejuſmodi adducere. Pergo potius *ad legitimam cognitionem hujus mali*, in qua quamplurimos ceterum egregios erraſſe medicos *Dn. Præſes* ſæpius expertus eſt.

## XXII.

*Signa* igitur, quæ *diagnoſtica* vocant, in hoc malo probe perpendenda, quia error in his, dum quis verbi gratia medicus *herniam ſcroti inteſtinalem* ſive *enterocelen pro hydrocele haberet*, & chirurgo non melius perito mandaret, ut curationem aut aperturam, vel *per puncturam* cum lanceola, vel cum *acu triangulari cuſpide* ac tubulo incluſa, quam *Troicar* vulgo vocant, vel & *per inciſionem* ſcroti cum ſcalpello perficeret, *inteſtina his vulnerentur*, ex quo vulnere curandus in ſummum vitæ periculum conjiceretur, cum maximo hujus medici dedecore & infamia. Ex quo exemplo, cum enterocele & hydrocele facile inter ſe confundi poſſint, dum *ſigna multa habent ſimilia*, patet, quanti ſit momenti ſemiologia ſive accurata ſignorum ſcientia, licet a variis vilipendatur; dum ex ignorantia aut neglectu illorum ægri ſæpe interficiuntur. Diagnoſis hujus mali eſt magni momenti.

## XXIII.

*Cognoſcitur* itaque hydrocele generatim ex *tumore rotundo* in ſcroto, ſenſim nato, quem nullus tumor inteſtinorum ex abdomine proveniens in inguine, ſive nulla *bubonocele* præceſſit, qui ſemper ab initio in ſcroto permanſit, & neque ſponte in ventrem, præſertim in decubitu in lecto, intravit, neque preſſione ſcroti in ventrem unquam repelli potuit, & *ad tactum paulo mollior* eſt, ut fere veſica humore quodam valde repleta, *nec tam durus, ut ſcirrhi eſſe ſolent*, neque *murmura in ſcroto* percipiuntur, neque *dolores colici ventris* cum tumore hoc ſcroti communicantes: quibus adhuc hoc accedit, quod ſi veſperi poſt hunc tumorem *candela ponatur*, *tumor* plerumque aliquo modo *pellucidus* appareat. Signa ejus generalia.

## XXIV.

Verum hæc ſigna ſola, *niſi adhuc comparentur cum aliis quibuſdam herniis* in ſcroto occurrentibus, quæ quoad ſigna cum hydrocele multum Signa ſpecialia.

conveniunt, ac ſpeciatim cum *enterocele* & *ſarcocele*, quam cautiſſimos quandoque fallere poſſunt, hinc & ſigna ſpecialia *diſcretiva* harum herniarum, quibus altera ab altera diſcernitur, hic ſubjicere neceſſarium exiſtimo. Itaque in *enterocele*, præſertim magna, tumor ob inteſtina contenta, quæ varie contorta, *inæqualior*, ſi rite inſpiciatur atque accurate conſideretur, apparet; deinde in *enterocele* (niſi inteſtina, ut in inveteratis ſubinde fieri ſolet, extus in ſcroto adnata ſint) *cum certo quodam murmure* in abdomen reponi poſſunt, & etiam in decubitu ſponte in abdomen relabuntur, ſcrotumque tunc a tumore illo vacuum prorſuſque liberum eſt: qui vero tumor, ſi ægri ſurgunt, redit, dum inteſtina tunc ſuo pondere foras rurſus prolabuntur. In *hydrocele* autem ab initio & quamdiu duravit, tumor *ſemper in ſcroto & conſtanter*, *ſine omni fere mutatione permanet*, & neque ſponte recedit, neque manibus in ventrem repelli poteſt. Porro in *enterocele* a ſcroto verſus annulum muſculorum abdominis lateris læſi tumor per inguina extenſus, adeoque tumor a ſcroto per inguinem ad annulum uſque oblongus eſt. Verum in *hydrocele* ordinaria tumor ſolum eſt in ſcroto, humorque ultra limites tunicæ vaginalis ejuſque ſepti aſcendere nequit, atque hinc *figuram magis obtinet rotundam*, ad modum veſicæ alicujus inflatæ, aut liquore quodam repletæ.

## XXV.

Alia adhuc ſigna ſpecialia.

Præterea *enterocele laborantes ſæpius tormina ſentiunt & colicos dolores e ventre ad ſcrotum uſque ſeſe extendentes*, imo haud raro quoque *vomitu ſimul corripiuntur*; quæ vero ſymptomata in hydrocele non ſunt uſitata, quia nulla apparet ratio, quare hæc ſymptomata ab aqua in ſcroto oriri queant, & non niſi in his accidere quandoque ſolent, quando magnos forte errores in victu commiſerunt, quo in caſu quilibet his malis obrui poteſt. Quare vero illa *ſymptomata in enterocele frequentia ſint*, facile quilibet comprehendere poterit, qui conſiderabit, quod in *enterocele*, ubi pars eaque ſæpe *magna inteſtinorum in ſcroto hæret*, fæces omnes, quæ per alvum excernendæ, primo in ſcrotum deſcendere, & deinde per anguſtum in muſculis abdominis foramen rurſus aſcendere debeant: quo in loco igitur facile excrementa una cum flatibus cohibentur, & in libero progreſſu verſus anum impediuntur: unde fit, ut, præſertim ſi illi homines cibis craſſis, obſtipantibus, adſtringentibus aut flatulentibus ſe nimium repleverunt, obſtructiones alvi frequentes, *tormina ventris ac dolores colicos ſæpe patiantur*, & ſi cibi aut fæces ad partes inferiores, ob vias obſtructas, pergere nequeant, ad ventriculum regurgitent atque ſic, irritato ventriculo, *vomitum* concitent, quæ mala cur in hydrocele oriantur, nulla eſt ratio; quia hæc cum inteſtinis nullam habet communicationem, novitque *Dn. Præſes* ægros aliquot, qui frequentiſſime & quandoque *ſingulis hebdomadibus colica & vomitu vehementi miſere afflicti fuerunt*, qui, quod

quod hæc mala ab hernia oriantur, ignorarunt, & a colica & vomitu illo frequenti liberati fuerunt, poſtquam ipſis inteſtina in ventrem repulſa & ope apti vinculi intus retenta fuerunt; cum antea, quod hernia laborent, celaverint & nemini aperire voluerint: immo non pauci, & præſertim etiam nonnulli magnates & verecundiores *paſſione iliaca* inde correpti, omnino præmature mortui ſunt. Contra *hydrocele ut plurimum eſt indolens*, & cum primis ſi parva aut mediocris. Verum ſi tandem magna ſit, magis tamen tantum moleſta, quam dolens ſit; dum ægri difficulter ob molem illam ambulare adhuc difficilius aut vix amplius *equitare*, varioſve alios motus ſatis promte perficere queunt. Præterea *enterocele prius in inguine utplurimum*, quam in ſcroto percipitur, in quod tandem, ſi negligitur, deſcendit; *hydrocele vero mox in ſcroto incipit & ſentitur* atque nunquam fere in inguem aſcendit, niſi novum malum in inguine ſuperveniat; id quod tamen valde rarum eſt, quod extraordinarii quid ejuſmodi ſuperveniat. Præterea in *hydrocele ordinaria*, de qua hactenus dixi, *teſticulus digitis percipi* nequit, id quod tamen utplurimum in *enterocele* fieri poteſt: ubi inteſtina extra tunicam vaginalem, in proceſſu peritonæi in peculiari ſacco, ſupra ſeptum tunicæ vaginalis hærent.

## XXVI.

Diſtinctio hydroceles a ſarcocele.

Verum longe *difficilius hydrocele a ſarcocele diſtinguitur*, ut haud raro & medici & chirurgi ſatis prudentes atque experti hac in re decepti fuerint, ſicuti notabile exemplum *Dn. Præſidi* notum eſt, ubi magnus & expertus chirurgus, dum ejuſmodi herniam, præſentibus multis medicinæ & chirurgiæ ſtudioſis pro hydrocele aperuit; ſed aperto tumore, videns malum ſarcocelem eſſe, gallice exclamavit; *Meſſieurs je me ſuis trompé.* Nam primo uterque hic morbus oritur in ſcroto, & quidem eodem fere prorſus in loco, eodemque fere modo ſenſim ſenſimque creſcit. Deinde *uterque tumor durus & renitens*, *ac pondere moleſtus fit*, uterque etiam *ſine dolore* utplurimum *& oritur & creſcit*, atque ſatis diu *ſine dolore* manet. Interea tamen in *ſarcocele* ſucceſſu temporis quandoque, attamen non ſemper dolores percipiuntur. Eamdem etiam uterque *figuram ſubrotundam* ſcilicet ſive *ovatam* obtinet, ita, ut mirum haud ſit, quod ob tam multa ſimilia ſigna quam facillime inter ſe confundantur, & quale horum malorum in hoc vel illo ægro adſit, ſatis exercitatis, multo minus nondum ſatis bene his in rebus verſatis, certo dicere, ſit ſæpe difficillimum. Interea tamen *Dn. Præſes* certiſſima diſtinctionis ſigna inter has duas hernias, dum quamplurimos vidit & curavit, eſſe me docuit, primo quod *in ſarcocele major digitis percipiatur durities*, *quam in hydrocele*, ſi exploratio digitis rite inſtituatur, & quod in hydrocele aliqua in ſcroto percipiatur mollities, & alicujus humoris fluctuatio, quaſi in veſica liquore ſumme infarcta ac diſtenta. In *ſarcocele* vero ſæpe aliquæ *lancinationes & dolores*,

ſi malum præſertim jam inveteratum eſt, adſunt. Deinde etiam quidam pro certis diſtinctionis notis tradunt, quod, quando æger in obſcuro loco lumini claro aut candelæ oppoſito ponatur, & *tumor ſcroti tunc pellucidus appareat*, *hydrocele certo adſit.*, id quod etiam facile concedo; verum hoc ſolum moneo, quod ratiocinatio a contrario hic non valeat, quod nimirum, ſi tumor non pellucidus reperiatur, non mox argumentari liceat, morbum eſſe *ſarcocelen.* Nam in ſarcocele ſcrotum quidem opacum conſpicitur; verum dantur etiam hydrocelæ, ubi ſcrotum haud pellucidum, ſed opacum eſt, quando ſcilicet humor intus contentus, ut ſupra §. VI. jam dixi, atque *Ægineta* jam notavit, *ſanguinolentus*, *fuſcus aut nigricans* exiſtit, atque ſic tranſitum etiam radiis non concedit, ita, *ut tactui curioſo hic magis, quam viſui ſit fidendum;* at ſi tamen deinde tumor, adhibita candela, rubicundus intus apparet, liquorem contentum *rubrum*, ſive *ſanguinolentum*, aut alio modo *opacum* eſſe ſuſpicari poſſumus, quam ſpeciem herniæ *Dn. Præſes* in chirurgiæ part. II. cap. 123. *Hæmatocelen*, forte haud inepte, vocavit. Denique adhuc notari velim, quod ſarcocele ſæpe ſit in utroque ſcroti latere; hydrocele vero plerumque tantum in unico latere.

## XXVII.

Hydroſarcocele difficillime cognoſcitur.

Quando autem *hydroſarcocele*, ſive *hernia aquoſa* & *carnoſa* ſimul adſunt, difficillime cognoſcitur: quia aqua carnoſum tumorem ſive ſcirrhum teſticuli ambit, ita, ut humoris præſentia fluctuatione quidem cognoſcatur, ſed teſticulus durus quandoque tactu percipi nequit. Interea tamen Ill. Dn. *Præſes* magnam ejuſmodi herniam anno 1728. in rhedario curandam habuit, in qua ſub humore fluctuante etiam tumorem durum ſive teſticuli ſcirrhum, qui ovi ſtruthionis fere magnitudinem habebat, tactu percipere poterat. Num vero hoc ſemper, præſertim in ſcirrhis teſticulorum minoribus, & ubi magna liquoris copia eum ambit, fieri poſſit, haud affirmare audet, & in quavis potius hernia aquoſa curanda ægris antea indicat, quod non certe initio dicere poſſit, *an ſub aquoſa hernia non etiam carnoſa adhuc lateat*; quæ, ſi emiſſa aqua reperiatur, peculiarem ſuam curationem deſideret. Præterea ſi hernia aquoſa ſola adeſt, ad lumen adverſum inſpectum, *pellucida*, præſente vero ſarcocele, *opaca* erit. Hinc neſcio, quomodo factum ſit, quod *Hildanus* cent. IV. obſ. 65. caſum referat, ubi ſcrotum ſibi pellucidum apparuerit, & tamen ſcroto aperto, cum hydrocele *ſimul ſarcocelen* invenerit. Sed ſuſpicor hanc explorationem non ſatis accurate inſtitutam fuiſſe, cum *teſticulus ſcirrhoſus pellucidus eſſe nequeat*, neque etiam, ſe illum, aperto ſcroto, pellucidum deprehendiſſe, ſcribit.

XXVII.

## XXVIII.

Atque hæc ſunt *ſigna hydroceles ordinariæ* ſive *vulgatiſſimæ*, atque antiquis notæ, quibus hæc & ſatis cognoſci, atque etiam ab aliis affinibus malis diſtingui poteſt. Verum primo, quod ſciam cel. *Boerhavius* in aph. pract. §. 1227, & poſtea varii alii, qui in Dn. *Præſidis* chirurg. p. 342. citantur, memorant, quandoque iſtiuſmodi hydroceles caſus obſervari, *ubi etiam ſupra teſticulum in peritonæi proceſſu*, qui vaſa ſpermatica involvit, & quidem ſpeciatim ſupra illud *ſepimentum*, quod hunc proceſſum a cavo tunicæ vaginalis disjungit, §. XX. indicatum, humorem quandoque colligi p. n. ac tumorem ibidem in inguine ac ſupra ſcrotum concitare, teſticulumque tunc in ſcroto digitis tangi poſſe, tumorem vero in inguine ſe oſtendere oblongum, qui prope teſticulum deſinit. *Quibus vero ſignis hic ab enterocele diſtinguatur*, difficile mihi videtur, illudque etiam apud ſcriptores illos reperire non potui, velimque, ut illi, qui hujuſmodi hernias accurate viderunt, & perveſtigarunt, ſigna vera pathognomonica publicarent. *Palſinus* in chirurgia ſua cap. XIV. refert, atque obſervationibus ibidem enarratis quoque confirmat, *liquidum* in hydrocele ſubinde *in diverſis cellulis hærere*, ita ut una tantum inciſione liquor non omnis effluat. Alii ſcribunt [*d*] ſubinde tam in *proceſſu peritonæi*, quam etiam in *tunica vaginali ſimul*, adeoque *ſupra & infra illud clauſtrum*, humores diverſis quaſi in veſicis ſive loculis colligi, ſic, ut hydrocele in utroque hoc proceſſus peritonæi cavo hæreat, atque ſic *duplex* quaſi hydrocele adſit. Imo quandoque *clauſtrum illud etiam rumpi* illi autores perhibent, atque ſic humorem illum p. n. utrumque cavum replere, & quidem ſic, ut poſtea non niſi unum cavum atque unam hydrocelen conſtituant; quæ vero mala ſi adſint, difficillime profecto ab entero-& epiplocele diſtingui poterunt. Interea tamen præcipue diſtinguenda erunt ex illis ſignis, quæ §. XXIV. & XXV. dedi, & aliquo fluctuationis ſigno. Quamquam Dn. *Præſes* quamplurimas hernias aquoſas viderit & curaverit, tamen tales ſibi ſe nondum repræſentarunt [*e*], adeoque eas raras imo *rariſſimas eſſe* exiſtimat, & forte nomine *hydroceles extraordinariæ* vel *anomalæ* donari poſſe, dum proprio nomine nondum eas donatas eſſe novit; quæ vero ſi ſunt, & *diſtinctionem hydroceles ab aliis* affinibus, imo & curationem valde intricatam ac difficilem reddunt.

Hydrocelæ extraordinariæ.

## XXIX.

*Hydrops ſcroti ab hydrocele & affinibus diſtinguitur*, quod nimirum ſcrotum æqualiter & in utroque latere, inſtar cujuſdam veſicæ intumeſcat, cutem-

Hydropis ſcroti diverſitas.



[*d*] Ut *de la Faye* ſive *Faius* in notis ad chirurgiam Dionis p. 364.

[*e*] *Sharpius* novus ſcriptor chirurg. Anglus in operat. ſuis chir. has hydroceles ſpecies negat, & non niſi duas, vulgares ſcilicet, quæ in tunica cellulari & quæ in vaginali eſt, exiſtere ſuſtinet. Quo autem jure, ipſe videat.

temque æqualiter ubique in ſcroto diſtendat, quæ inde plerumque nitet, & utplurimum *foveas digitorum* impreſſorum aliquandiu ſervat; cum in *hydrocele* veſtigia digitorum non maneant, cutiſque rugoſa ſit, venæ ſæpe valde intumeſcant, & plerumque tumor tantum ſit in *alterutro ſcroti latere*; neque ullum adhuc novi exemplum, *ubi hydrocele in utroque latere, id quod* in ſarcocele D. *Præſes ſæpe vidit*, *ſimul ſit obſervata*; licet rationem non videam, cur non eſſe poſſit: dum in utroque latere eædem adſunt partes, membranæ & vaſa, eædemque hic etiam adeſſe poſſint cauſæ. Sin vero adeſſet in utroque latere, tamen cutis cum cuticula in hydrope ſcroti æqualiter expanſæ ſunt, læves, ſplendidæ atque nitentes, cum aqua tunc in adipis tunica hæreat, unde ſæpe in eamdem tunicam, quæ penem quoque ſub cute ambit, ſe extendit, atque penem tunc valde tumidum reddit; cum *in hydrocele* majori penis *minor fiat*, & quaſi in tumorem ſe retrahat & abſcondat. *Pueros recens natos cum hydrope ſcroti ſæpius naſci* Dn. *Præſes* aliique plurimi cum eo obſervarunt.

## XXX.

Quomodo ventoſa & aquoſa differunt.

Cum denique etiam auctores, ubi de herniis agunt, *herniæ ventoſæ*, quam græce *pneumatocelen* adpellant, utplurimum quoque mentionem faciant, eamque ut herniæ aquoſæ valde ſimilem deſcribant, & quod *non niſi loco aquæ ſive ſeri*, *aër* in ſcroto contineatur, atque homines fere promiſcue omnes, qui medici aut chirurgi experti non ſunt, de *herniis ventoſis* ſæpe *loquantur*, immo plerumque, ſi vel ipſi, vel pueri eorum enterocele laborant, & flatus e ventre in eorum tumorem ingredi ſentiunt, tumoremque ſæpe inde augeri atque dolores frequentes in eorum herniis inteſtinalibus oriri, aut jam præſentes inde multum augeri precipiunt, ſe eorumve pueros *pneumatocele laborare*, ſed falſo exiſtimant, dum revera ſint herniæ inteſtinales, ubi flatus in inteſtinis multa incommoda iis concitant. Ideoque cum Dn. *Præſes* hucuſque *nullam veram ventoſam herniam viderit*, neque certum aliquod exemplum apud ullum auctorem invenerit, de ejus exiſtentia, ſicut in chirurgia ſua cap. CXXVII. p. 855. ſcripſit, adhuc & ego cum ipſo dubito. Interea tamen, cum haud *impoſſibile videatur*, *dari poſſe* pneumatocelen, ſive ejuſmodi tumores ventoſos in ſcroto æque ac in abdomine, *diſtingui* eam poſſe, ſi quæ forte aliquando alicui occurrat, exiſtimo ab hydrocele & ſarcocele, *inſigni levitate*, & forte etiam certo ſono, ſi percutitur, quia ſcrotum aëre tantum repletum, ut pila major, quam *Ballon* vocant, vel veſica aëre repleta, ſe habebit, quæ propterea neceſſario longe minus habebit pondus, quam hydrocele aut ſarcocele, ubi liquore, præſertim craſſo & glutinoſo, aut omnino corpore duro ac ſolido, repletum eſt.

XXXI.

## XXXI.

Quod ad *Prognoſin* attinet, ſciendum, malum hoc *non facile mortem inferre, attamen haud facile etiam quam valentiſſimis medicamentis cedere*, præſertim in adultis, maxime ſi jam inveteratum eſt; attamen *in infantibus ac pueris* ſubinde adhuc curari. Deinde quod, etiamſi liquor contentus *ſectione aut punctura* ſemel eductus ſit, atque ſic ignaris malum ablatum eſſe videatur, tamen ſucceſſu temporis, & quidem ſæpe intra paucas hebdomades *redit*, niſi in curatione perfecta, quæ eductionem liquoris inſequi debet, debitis remediis, eiſque prudenter adhibitis bene proſpiciatur. Adeoque *eductio* liquoris per *lanceolam vel acum triangulari cuſpide & tubulo* donatam, quæ vulgo *Troicar* vocatur non perfecta, ſed *palliativa*, temporaria & *inconſtans* utplurimum eſt, quamvis magni chirurgi vix ultra hanc progrediantur [*f*]. Præterea ſciendum, quod *hydrocele* ſæpe ſit morbus perquam *moleſtus*, præſertim quando valde magnus & gravis evadit, ſic, ut ægri difficulter incedere, atque adhuc difficilius equitare queant; interea tamen, ut jam dixi, *vitæ periculum non facile infert*, novitque Dn. *Præſes* multos, qui ceteroquin ſani cum hoc malo vixerunt, & ex parte adhuc vivunt, atque ad magnam ætatem pervenerunt: quæ incommoda tanto facilius ferenda, quia *plerumque, niſi alius ſimul morbus adſit, malum hoc eſt ſine dolore.* Attamen quia ſæpe, imo utplurimum quando valde magnum ſit, penis in tumorem vel omnino, vel ſaltem magnam partem ſe abſcondit, *coeundi & generandi potentiam minuit, aut omnino tollit*; quod juniores, aut qui liberos adhuc deſiderant, magnopere excruciat; verum in ſenibus, aut qui liberis inſtructi ſunt, tanto facilius ferendum, quia illa vis etiam ex aliis cauſſis in illis imminuitur. Præterea etiam ſi ſe penis omnino abſcondit, *urinæ quoque excretionem* in nonnullis minus commodam, imo prorſus difficilem reddit.

Prognoſis hydroceles.

## XXXII.

Mirandum quoque eſt, *ſerum hic ſæpe diu ſubſiſtere* & quieſcere *ſine corruptione*; attamen teſticulorum *tunicas, & præſertim dartum & vaginalem*, *admodum ſæpe* craſſas reddit, utpote quæ in ſano vix duarum linearum habent craſſitudinem, in ægris vero hydrocele, præſertim antiqua laborantibus, *quinque vel ſex linearum & quod excedit*, ſicut Dn. *Præſes* vidit, *craſſitudinem* induunt, ita, ut acu illa apice triangulari plerumque non niſi difficillime perforari poſſint, quando ea humores inde educere volumus, videnturque hæ tunicæ, imbibendo quaſi hunc humorem ſeroſum eo fere nutriri; &

Tunicæ ſcroti valde craſſæ fiunt.

[*f*] Retulit mihi Dn. *Præſes*, ſe aliquoties a *Ravio*, celeberrimo illo chirurgo, hanc palliativam curationem, ſed nunquam perfectam inſtitutam vidiſſe, ita & *Erndelius*, qui Regis Poloniæ Archiater poſtea factus eſt, in itinere ſuo Angl. & Batav. pag. 121. hanc operationem ab eodem ita inſtitutam deſcripſit; nullam vero perfectam unquam ab eo inſtitutam eſſe aut legi aut audivi. Ita & *Sharpius* palliativam perfectæ præfert.

& ſic intumeſcere atque craſſeſcere. Præterea etiam interdum *teſticulus ab hoc liquore male affici videtur*, quia varii notarunt, quod hydrocelen etiam *ſarcocele* & teſticulus corruptus, inde ſecutus ſit: conferri hac de re poſſunt *Hildani* obſervat. cent. IV. obſ. 64. ad obſ. 68.

## XXXIII.

Prognoſis hydropis ſcroti, & hydroſarcoceles.

*Hydrops ſcroti in infantibus*, ſi ceterum ſani, ſæpe & ſubinde facile curatur; in adultis autem, cum plerumque ſit ſymptoma alterius morbi, non, niſi curato prius morbo primario, tolli poteſt. Si *ſarcocele cum hydrocele conjuncta ſit*, ſive in hydrocele ſimul teſticulus ſcirrho corruptus adſit, ſine provida reſectione totius teſticuli, una cum tunica vaginali ac proceſſu peritonæi, haud curatur; hoc autem modo, uterque morbus ſimul, quamvis non ſine periculo, tolli poteſt.

## XXXIV.

Curatio per medicamenta.

Quod igitur ad *curationem* attinet, quia *indicatio* hic eſt, *aquam congeſtam, vel digerendam ſive diſcutiendam, vel evacuandam eſſe, hydroceles* & cumprimis *hydropis ſcroti curatio in infantibus & pueris* ſæpe obtinetur medicamentis digerentibus, diſcutientibus, roborantibus & evacuantibus. Speciatim vero in *pueris recens natis*, ubi ſcrotum ſæpe inſtar tenuis veſicæ ab aqua expanſum eſt, egregie prodeſt, ſi homo aut mulier ſana fruſtulum nucis moſchatæ dentibus aliquoties in die comminuat, atque halitu deinde hoc aromatico ſcrotum tumidum afflet; id quod etiam eodem fere cum emolumento per ſpiritum vini ore detentum fieri poteſt, exhibito ſimul infanti ſemel iterumque idoneo *purgante*, & diſſipandi ac roborandi ſcopo *pulverem aut confectionem ſeminis aniſi*, vel ſolum, vel pauxillo cinamomi addito, ita enim Dn. *Præſes* ſe plures hac ratione curaſſe, me certiorem fecit, præſertim ſi nutrix ſimul aptum victus regimen ſervat. Quodſi tamen forte aliquando hæc malum non ſuſtulerint, *aquam calcis tepidam*, qua ſplenium vel ſpongiam aliquoties in die irroravit, ſcroto applicuiſſe, atque inde optatum effectum vidiſſe. Ita & *ſpiritus aniſi* cum fructu ope ſpleniorum ſuperimponitur. Si *pueri jam paulo adultiores* hoc malo conflictantur, egregie iis benefacit, ſi externe emplaſtrum de cumino, vel etiam illud de baccis lauri calide ſcroto circumponatur, huicque ſplenium ſpiritu matricali, vel aqua anhaltina, vel & aqua calcis calida, ſale ammoniaco admiſto, imbutum ſuperimponatur, adhibitis interea *interne ſæpe purgantibus mercurialibus, decocto lignorum, eſſentia lignorum, tinctura* tartari, vel antimonii tartariſata, exſpectato ſubinde matutino tempore *ſudore in lecto*, ad ſerum in ſcroto collectum tanto valentius diſſipandum atque exſiccandum; quibus ſuperiori adhuc anno puerum ſeptem annos natum Dn. *Præſes* brevi tempore curavit. In his & magis adultis *arcanum duplicatum*, quod a cel. quondam prac-

practico *Ludovico* magnopere hoc in malo, præſertim recentiori, ut efficaciſſimum medicamentum commendatum eſt [*g*], itemque *pulverem millepedum*, nunc cum tantillo mercurii dulcis, nunc ſine eo egregia quoque deprehendit. Extus etiam, ſi laudata *emplaſtra* nihil efficiunt, *ſpiritus* modo commendati, vel *aqua calcis* ſpongia vel ſpleniis, vel *lixivia* e cineribus, præſertim ligni quercus, vel e ſapone, aut ſola, aut ſpiritu vini roborata, egregie ſubinde has aquas diſſipant. Spiritus C. C. aut liquor C. C. ſuccinatus ſæpe illitus, itemque olea carminativa a nonnullis etiam valde commendantur, ſervata ſimul ſemper *parca* & apta *diæta*, abſtinendo a craſſis, crudis, flatulentis, &c.

## XXXV.

Attamen ſi hæc aliave medicamenta non ſatis proficiunt, quemadmodum hoc ſæpe fit *in vera hydrocele*, præſertim *in adultis*, & ægri a moleſto hoc malo liberari deſiderant, ſecundum divi *Hippocratis* præceptum, *ad chirurgicas curationes*, tanquam ad ſacram anchoram, & medicorum & ægrotantium, eſt progrediendum; ubi vero mox monendum, quod duplex hæc ſit curatio, prout ſupra jam §. 31. innui, nimirum vel *perfecta* aut *radicalis*, vel *imperfecta*, quam *palliativam* etiam appellant. Duplex enim in hujus mali curatione medicorum ſcopus eſt, primo ſcilicet, ut *humor noxius e ſcroto emittatur* ſive removeatur, ac deinde, ut *nova ejuſdem* in hoc *collectio*, (quæ alias facile fit, atque ſic malum recrudeſcit,) prohibeatur. *Ad utrumque hunc ſcopum obtinendum* curatio, quæ *perfecta* dicitur, maxime *idonea* eſt; verum per *palliativam* tantum liquor ille p. n. educitur, & malum raro ſine reditus metu hac ipſa perfecte ſanatur. Interea, quia tamen *interdum ſicut nonnulli ſcriptores referunt, malum tollit* [*h*], ægris magis commoda minuſque dolorifica eſt, promtiuſque perficiatur perfecta, hæcque etiam deſiderat, ut curandi per aliquot hebdomades non ſolum domi, verum etiam in lecto ſe contineant, atque perfecta etiam majores inferat dolores, majorique periculo ægros, præſertim ſi chirurgus non rite procedat, nec *prudentem medicum*, cum ad avertenda, tum ad tollenda mala accidentia adhibet, aut curandus non ſatis apte ſe gerat, exponit, & palliativa longe facilius etiam, ſi malum recrudeſcit, abſque adeo magno incommodo aut dolore iterari ſemper poteſt, chirurgique etiam minus habiles facilius palliativam, quam radicalem perficere poſſunt, haud mirandum eſt, quod hæc modo ab ægris, modo a chirurgis perfectæ, utpote moleſtiori, magis dolorificæ & periculoſiori, ſæpe præferatur, quamvis & quandoque ab hac gravia mala obſervata ſint [*i*]. Quare & nos *hic primo palliativam* hanc deſcribemus. Curatio chirurgica.



[*g*] In miſc A. N. cur. dec. I. ann. IX. & X. obſ. 158. item in ejus operibus p. 720.
[*h*] Ut *Maſſierus*, *Sharpius*, aliique cap de hydrocele.
[*i*] Videri hoc poteſt in *Sharpii* obſervat. chirurg. cap. de hydrocele, quamvis hic magnus hujus curationis patronus ſit.

XXXVI.

Curatio palliativa quomodo fiat.

*Antiquiores* Chirurgi, ut ex *Celſo*, lib. 7. cap. 22. atque *Fabricio* ab Aquap. in operat. chirurg. patet, ſcalpello ſcrotum inciderunt, aquam emiſerunt, & poſtea vulnus denuo glutinarunt, eaque ratione multos curatos eſſe referunt. Verum hac ratione cavum plerumque non ſatis purgatur & malum facile atque utplurimum redit. Paulo recentiores, doloris forte minuendi gratia, *ſcalpello phlebotomo* Gallorum loco vulgaris, vulnuſculum parti ſcroti inferiori inflixerunt, atque vel per hoc foraminulum, vel mediante immiſſo tubulo plumbeo aut argenteo aquam contentam emiſerunt, eaque emiſſa vulnuſculum rurſus glutinarunt. Noſtra autem ætate *acus ſive clavus* teres, apice triangula, fiſtula argentea aut ferrea aut orichalcea incluſus, quem Galli *Troicar* vocant, quique in Dn. *Præſidis* chirurgia tab. XXIV. fig. I. ad 4. aliiſque variis recentioribus libris chirurgicis delineatus eſt, aquam educendi ſcopo, longe commodius in hunc finem adhibetur: quo ægro ſtanti vel in extrema alicujus ſedilis parte conſidenti, pars ſcroti inferior atque exterior caute, ne teſticulus lædatur, donec prementi chirurgo nihil reſiſtat, pertunditur, id quod ferramentum in cavum tumoris penetraſſe indicat: ubi ſimul ſciendum, quod, *quia ſcroti tunicæ hoc in malo ſæpe valde* & quidem ad tranſverſi digiti latitudinem & quod accedit, *incraſſeſcunt*, ( vid. §. 32. ) apex non nimis cito retrahendus eſt, quia alias tunicæ non perforatæ eſſent, & liquor non ſequeretur. Verum ſi ferramentum in cavum uſque ſcroti penetraſſe certo percipitur, quod uti dixi, inde cognoſcitur, ſi prementi nihil amplius reſiſtit, vel aqua juxta tubulum immiſſum fig. 4. effluit, clavus, relicta fiſtula in ſcroto, retrahitur, ita aqua eum mox ſequitur: quæ, ubi omnis effluxit, ſcrotumque collapſum eſt, etiam e vulnere retrahitur, atque ſic univerſum opus confectum eſt, ipſumque vulnuſculum ſine emplaſtris aliiſve medicamentis ſponte utplurimum coit: imo *ipſi ægri etiam* ſine omni moleſtia *ſtatim plerumque rurſus ambulare* atque negotia ſua perficere *valent*. Verum quia poſt ejuſmodi aquæ extractionem adeo ſimplicem, & præſertim duas ultimas recentiorum, ubi tam exigua vulnuſcula fiunt, per quæ cavum mali purgari nequit, nec ſolet, ſcrotum plerumque brevi, aliquot ſcilicet hebdomadum vel menſium ſpatio, ſimili humore denuo impletur, malum exigit, ut ad moleſtiam a tumore iſto removendam modo deſcripta curatio ſæpius iteretur, eaque eo magis, ne humor hic ſubſiſtens teſticulum corrumpat. Quod igitur ſi rite perficiatur, ægri hocce malo infeſtati, ſine adeo magna moleſtia ſeneſcere poſſunt. Verum quia hic modus raro iſtos homines perfecte ſanat, curatio hæc, ut ſæpe jam diximus, *palliativa & imperfecta* a medicis appellatur. Quod ſi forte in effluxu humoris *aliquid fiſtulam illam obſtruat*, ſpecillo immiſſo hoc removendum eſt. Denique adhuc hic ſciendum, quod ſi *humor effluens craſſus aut turbidus*, vel omnino *fœtidus ſit*, tempus eſſe videtur curationem perfectam

fectam inſtituere, ne teſticulus corruptis ejuſmodi humoribus quoque corrumpatur, vel omnino in *carcinoma* abeat.

## XXXVII.

Curatio perfecta ſcalpello.

Quando igitur ejuſmodi mala incidunt, vel ægri, præſertim juniores, alias ob cauſſas omnino ab hydroceles moleſtiis liberari & perfectam rurſus ſanitatem recuperare deſiderant, *quintuplici ratione hoc* obtineri poteſt. *Primus curandi modus* eſt, ut æger in ſedili ſedeat, & a miniſtris, quantum opus eſſe videtur, probe firmetur. Deinde ſcrotum circa partem ſuperiorem, ubi aqua continetur, ſcalpello uſitatiſſimo chirurgico, qualis in D. *Præſidis* chirurg. tab. I. litt. G. vel I. repræſentatur, aliove idoneo, a latere inciditur, donec ſcalpellum in cavum, ubi humor p. n. hæret, penetravit; id quod ex humoris aquoſi effluxu cognoſcitur [*k*]. Poſtea in hanc plagam immittitur ſpecillum ſulcatum, vel quod melius eſt, index manus ſiniſtræ, ſi ſatis patet, atque juxta hujus vel illius ductum immittitur quoque vel ſcalpellum vel forfex idonea, vel etiam *novacula*, eiſque *totum fere ſcroti latus uſque ad fundum aperitur*, quo fit, ut non ſolum omnis humor p. n. penitus effluat, verum etiam medicus vel chirurgus obſervare recte poſſit, utrum forte in teſticulo quoque, an alibi in ſcroto aliquod vitium ſit, & ſecundum explorata poſtea ac reperta curatio tanto rectius continuari queat; quæ in junioribus & ubi malum non adeo diu duravit, fere ſine omni periculo fieri poteſt. Si *itaque teſticulus ſalvus* & nullum aliud grave vitium in ſcroto *deprehenditur*, mox ſolis linamentorum aridorum leniter contortorum faſciculis (quos *bourdonets* vulgo chirurgi appellant,) totum hydroceles cavum modice impletur, poſtea ſplenio contegitur & faſcia firmatur. *Ante tertium diem hanc deligationem* D. *Præſes non ſolvit*, & quando tunc illud facit, nihil illorum linamentorum vi evellit, ſed tantum quicquid vel ſponte excidit, aut facili negotio tollere poteſt; labia vulneris tunc unguento digeſtivo foventur, & novis faſciculis linamentorum carptorum eodem unguento obductorum cavum denuo repletur, oræque conteguntur, ſicque alternis diebus continuatur, donec priora linamenta omnia exciderunt, id quod ſæpe poſt plures demum dies fit, quo tempore totum ſcroti cavum ſimili ratione quotidie deligatur, ita *larga ſequitur interioris tunicæ ſuppuratio*, quæ, ut bona ejus purgatio & conſtans glutinatio ſequi atque obtineri poſſit, hic valde neceſſaria eſt; nam ab hujus neglectu malum rediiſſe Dn. *Præſes* aliquoties notavit. Interea tamen, *ne ſcrotum nimis inflammetur*, fomentum ex aqua calcis vivæ cum ſpiritus vini camphorati quarta parte, addita ceruſſa & pauxillo ſalis ammoniaci, ſuperimponatur, non neglectis medicamentis internis, inflammationem & febrem vulnerariam nimis vehementem avertentibus.

 XXXVIII.

[*k*] Multi *pungendo aperiunt ſcrotum.* Rectius vero cum Dn. *Præſide* hoc *ſecando* fieri exiſtmio: quia ſic non tam facile vel teſticulus vel vaſa ſpermatica læduntur.

## XXXVIII.

Cautiones circa membtanas valde craſſas.

Quando autem *interiores iſtæ membranæ nimis craſſæ nimiſque induratæ reperiuntur*, quemadmodum plerumque in malis inveteratis, ut ſupra §. 32. a nobis dictum eſt, eſſe ſolent, unguentum digeſtivum ſolum iis exedendis & deſtruendis ſæpius non ſufficit, facies interior earum aut bene *ſcalpello*, cavendo teſticuli læſionem, *ſcarificetur*, aut *mercurius præcipitatus ruber*, una cum alumine uſto iis ſubinde inſpergatur, vel una cum unguento digeſtivo modica quantitate commiſceatur, donec tota munda ac carne rubra contecta conſpiciatur, ubi balſamo vulnerario tandem glutinatio procuretur. Quodſi inter mundificandum *corpuſcula adipi ſimilia*, ut haud raro fit, in membrana interiori conſpiciantur, vel forfice ſimul & ſemel, vel prædictis rodentibus ſenſim ſunt auferenda.

## XXXIX.

Cautiones adhuc aliæ.

Quod ſi forte deoperto ſcroto *vaſa ſeminalia* ad partem teſticuli ſuperiorem valde tumefacta deprehendantur, quidam ſuaſerunt, ut *teſticulus hic* tanquam *corruptus*, *mox reſecetur*. Verum hos minime imitari convenit; quoniam hæc, poſtquam ab onere iſto aquæ liberata ſunt, & prædicto fomento §. XXXVII. foventur, vel etiam ſponte, ſicut utplurimum fit, rurſus detumeſcunt, & ad ſtatum naturalem redeunt. Quod ſi vero *hæc vaſa una cum teſticulo valde induruerunt* ac dolent, atque carcinoma minitantur, *exſcindendus eſt*, ſicut hac de re infra mox uberius acturus ſum. Ita *ſi teſticulus*, ſcroto aperto & humore evacuato, *juſto tumidior* deprehendatur, digitis probe explorandum, *utrum ſcirrhi duritiem aſſumſerit*, *an fluctuans quædam materia*, ut quandoque etiam in eo ſub tunica nervea deprehenditur, ibidem ſentiatur. Si prius eſt, ejus curatio infra dabitur; ſin vero poſterius, *teſticulus* quoque non pro omnino corrupto, ut quidam fecerunt, mox eſt habendus, & ut varii ſuaſerunt, *extirpandus*; ſed potius ſcalpello in loco aptiſſimo *eſt aperiendus*, *humor noxius emittendus*, unguento digeſtivo purgandus & balſamo poſtea conſolidandus, ita ſæpe rurſus ſaneſcit, & officio ſuo impoſterum fungi poteſt. Sed *ſi omnino corruptus deprehenderetur*, ut inutile corpus, unde nova mala eſſent metuenda, *prout ſarcocele extirpari poteſt*. Atque hanc primam methodum plerique recentiores ſcriptores, *Sharpio* excepto [*l*], commendant ceteriſque præferunt.

## XL.

Alter curandi modus per rodentia.

Quoniam vero *multi ægri ſcalpellum nimis pertimeſcunt*, eique ſe vel prorſus

[*l*] Hic, ut ſuam ſententiam tueatur, varia exempla recenſet, ubi huic operationi, forte ob non ſatis apte inſtitutam curationem, gravia mala inciderunt; interea tamen omnes iſti ægri, quos in exemplum adducit, convaluerunt.

pus non, vel ſaltem maximo cum metu & mortis fere terrore ſe ſubmittunt, quorum vis tanta eſt, ſi veteribus atque cel. *Winslovio* credimus, qui ægrum præ metu ante calculi exciſionem mortuum eſſe aſſeverat [*m*], *alteram methodum* in horum commodum prudentiores chirurgi excogitarunt, qua nempe apto *medicamento rodente*, ſive ut græco vocabulo indicari ſolet, *cauſtico*, ſcrotum hydrocele conflictatum quam commodiſſime aperiri, & liquor peregrinus emitti poteſt. Atque hac ratione Dn. *Præſes* non ſolum & adultos & ſenes, verum etiam ſuperiori adhuc æſtate *juvenem*, *qui occaſionem mihi ad hanc diſſertationem conſcribendam dedit*, me multiſque aliis medicinæ Studioſis, aliiſque variis hominibus præſentibus, tanquam tot teſtibus, perfecte inde curavit.

## XLI.

Juvenis nimirum erat ex Principatu Anhaltino, ſedecim annos natus, cæterum ſatis ſanus, quem parentes huc ad *D. Præſidem* ab ejuſmodi hernia, qua jam per plures menſes laboraverat, ut ipſum ſanaret, miſerunt. Magnitudo herniæ ovum gallinaceum majus ſuperabat, & in figura I. noſtra *in lateri ſcroti dextro* [*n*], ſed ob tabulæ parvitatem minor multo, quam erat, exhibetur. Hunc vero juvenem non mox, ut inimici ejus aut ignari ſæpe calumniantur, ſcalpello ſive cruentæ curationi ſubmiſit, verum quia ægri, & præſertim juvenes, cæterum ſani, ſæpe medicamentis adhuc ab hoc malo liberantur, prius optima quæque tentare, qualia §. XXXIV. commendata ſunt, atque effectum eorum experiri voluit. Poſtquam vero hic æger *per hebdomades quatuor una* cum modica diæta iis uſus eſt, ea vero nihil quicquam, ut ſæpe in obſtinatiſſimo hoc morbo fieri ſolet, proficere voluerunt, parentes vero eo ob negotia diutius carere non potuerunt, ipſis itemque affinibus & ægro ſignificavit, *vix a remediis hic auxilium ſperandum eſſe*, quia tamdiu hactenus fruſtra adhibita fuerunt; verum ad *chirurgicam curationem*, ſi liberari ab hoc malo vellet, nunc progrediendum eſſe, dixit. Cum itaque huic conſilio morem gererent, die quarta Auguſti hujus anni, ſequenti modo, per rodens medicamentum curationem inchoavit.

Hiſtoria morbi.

XLII.

[*m*] Vid. Dn. *Præſidis* chirurgicæ inſtit. cap. 143. §. 13.

[*n*] *Hildanus* Cent. IV. obſ. 64. & *Palſinus* cap. de Sarcocele p. 163. volunt, *ſarcocelen plerumque in dextro*, & *hydrocelen in ſiniſtro obſervari latere*. Verum *Ulbornius*. in notis chirurgiæ *D. Præſidis* belgicæ adjectis, ſcribit, *ſarcocelen non in ſiniſtro*, & *hydrocelen non in dextro latere oriri*, p. 943. atque ex latere certam harum diſtinctionem docere vult. Imo adhuc addit, *ſi forte hydrocele aliquando in dextro latere adſit*, *certo ſarcocelen ſimul adeſſe*, adeoque monet, ut cautiſſimi hic ſimus in aqua lateris dextri per acum educenda. Verum hoc vanum eſſe, non ſolum *hic noſter caſus docet*, ſed *D. Præſes* etiam has hernias, ſicuti enterocelen, modo in hoc, modo in illo latere vidit & curavit.

## LXII.

2. Curatio per cauſticum. Nimirum emplaſtrum tres circiter pollices longum & duos latum, foramine duos pollices longo, quod digiti latitudinem habuit, externo ſive dextro ſcroti hujus lateri, dum æger in lecto decumbebat, agglutinavit, ita, ut per foramen ejus, ſpatium litt. E. F. in fig. 1. indicatum, conſpici potuerit. Huic alterum ſimile emplaſtrum ſuperimpoſuit, ut oræ foraminis altiores redderentur, ne rodens medicamentum huic ſpatio imponendum, ex eo facile decideret, eique deinde horis matutinis hoc medicamentum in tanta copia immiſit, quam ſufficere judicavit, pro tegumentis ſcroti communibus omnibus, & ex parte etiam ſpecialibus, *ad tunicam ſcilicet vaginalem uſque erodendi;* illud linamentis carptis & emplaſtro integro præcedentibus paulo majore, tegit, ſplenium ſuperimpoſuit, & faſcia quatuor frondibus firmavit, ægrumque ut per aliquot horas ſtrenue quieſcat, juſſit. Horis ſex ſeptemve elapſis, ægrum ſedili impoſuit, ligaturam ſolvit, ſplenium & emplaſtra removit, medicamentumque, quantum ſatis eſt, partes perforandas eroſiſſe, invenit, ita, ut ſi inciderentur, nullum amplius ſanguinem funderent, ægerque nullum a perforatione ſive ſectione dolorem perciperet. Itaque partem eroſam primo circa medium, ubi in fig. 1. litt. B. poſita eſt, ſcalpello obtuſo, incidit, & immiſſo poſtea digito, vulnus ſurſum & deorſum, ad litt. E. & F. ampliavit, ita *liquoris glutinoſi*, *albicantis*, *albo ovorum fere ſimilis*, quantitas trium quaſi unciarum effluxit. Cavum vulneris in quo, ut in fig. II. litt. G. H. indicatur, teſticulus litt. I. conſpici poterat, linamentis carptis probe replevit, illudque poſtea ita deligavit & tractavit, ut in præcedentibus modo §is XXXVI ad XXXVII. dictum eſt, atque ſic illud ſex hebdomadum ſpatio, ſine gravibus ſupervenientibus ſymptomatibus, niſi quod prima hebdomade febricula aliqua, diætæ tamen aliquo magis errore, quam vulneris culpa, ſupervenerit, quæ tamen ſine venæſectione, ſolis medicamentis calorem p. n. temperantibus, brevi rurſus profligata eſt.

## XLIII.

Hic modus a multis male rejicitur. *Garengeot*, quem *Sharpius* in operat. ſuis chirurg. & *Faius* in notis ad *Dioniſium* ſequuntur, *rodentium medicamentorum uſum in hoc morbo* rejicit, atque ab his multa mala pertimeſcit: quia putat, hæc medicamenta in ſcroti cavum intrare, ibidemque teſticulum arrodere, imo deſtruere &c. Verum omnes hi ſcriptores hic non ab experientia ſive ex uſu loqui, dum nullus exempla, aut obſervationes hoc probantes adducit, ſed ſe invicem tantum ſine experientia hac in re ſequi mihi videntur. Nam certum eſt, illud quod metuunt, neque in hoc, quem recenſui caſu §. XLI. & XLII. *neque in nullo alio ægro*, *quorum tamen plures*, & inter hos etiam magnates & nobiles

biles ab hoc morbo hac ratione *liberavit*, *contigiſſe*, quippe quibus nihil mali, neque in teſticulo, nec alibi in corpore ab his remediis illatum eſt, *& ſi quid forte adverſi quibuſdam chirurgis hic acciderit*, profecto id non medicamentis his, ſed potius incauto, vel perverſo eorum uſu factum eſſe cenſeo, atque ſic huic mala, quæ forte contigerunt, adſcribenda eſſe exiſtimo. Nam ſi rodens ita dirigitur, ut non in cavum uſque ſcroti partes exedat, ſed in tunica vaginali ſubſiſtat, id quod prudenti uſu fieri poteſt, teſticulo etiam nihil nocere poteſt. Imo ſi etiam aliquando forte fortuna contingeret, ut & hanc eroderet, liquor tunc impetu quaſi erumpens medicamentum rodens repellet, aut ſi quid forte etiam incideret, primo jam vis ejus rodens in exedenda cute, pinguedine, membrana darto, & tandem valde craſſa hic plerumque tunica vaginali, ut §. XXXII & XXXVIII. indicavimus, in his ægris jam valde imminuta aut deſtructa eſt, & deinde, ſi tantillum etiam cum liquore intus hærente commiſceretur, partim ab eo uberius temperatur, partim cum eo rurſus effluit, ita, ut vix ulla læſio in teſticulo inde ſit metuenda, niſi quis quam imprudentiſſime procedat, & in rodentis copia excedat. Nam *D. Præſes in recto uſu, & in hoc & aliis, nihil quicquam mali inde vidit*, & cum eo etiam præſtantiſſimus ille chirurgus Anglus *Joh. Douglas* conſentit, qui in ſyllabo operat. chirurgicar. pag. mihi 39. aperte *cauſticum ſectioni, punctioni & ſetaceo* præfert.

## XLIV.

*Tertius modus*,* quo perfectam hydroceles curationem quæſiverunt medici, eſt *ſetaceum*: quando nimirum acus, ſetaceis alias excitandis deſtinata, (quæ videri poteſt in *D. Præſidis* chirurgia tab. 18. fig. 12.) linteolum digiti latitudine & pedis circiter longitudine trahens, in latere ſcroti externo, ut verbi gratia in figura noſtra I. ad litt. E. ſic infigeretur, ut juxta litt. F. rurſus egrederetur, cavendo ne teſticulus aut vaſa ſpermatica ea lædantur, quemadmodum etiam *Scultetus* hoc figura illuſtravit in Armam. chirurg. Tab. XL. fig. I. licet de alio malo ibidem, quam de hydrocele agat, qua acu linteolum a ſcroti parte ſuperiori ad inferiorem per cavum, ubi aqua hæret, inducitur, quod in eo relinquitur, & quotidie inuncto digeſtivo unguento, ſicut in ſetaceo cervicis, hinc inde ſurſum ac deorſum commovetur, ita enim non ſolum humor vitioſus inde ſenſim educitur, verum etiam ſuppuratio ejus ope intus in ſcroto excitatur, qua, ſi per aliquot hebdomades, donec ſcilicet nihil vitioſi humoris amplius profluit, conſervatur, & ſubinde digeſtivo aliquid mercurii præcipitati rubri, cum alumine uſto admiſcetur, ita partes noxiæ inde expurgantur, ut conſtans curatio inde ſæpius ſecuta ſit; poſtquam extracto tandem rurſus linteolo, utraque vulnuſcula balſamo vulnerario glutinantur. Verum *quia hac in methodo teſticulus primo lædi poteſt, & deinde intro inſpicere*, & recte

3. Curatio per ſetaceum.

recte ſcire non poſſumus, *an cavum ſcroti ſic ſatis ſit purgatum*, itemque *utrum teſticulus ſatis ſanus ſit*, an vitium aliquot in eo lateat, ea ceteris, me judice, merito poſtponenda: quia hæc curatio valde eſt incerta, atque poſt eam, ne malum recrudeſcat, ſemper metuendum.

## X L V.

Quarta methodus Ruyſchi & Marini.

Quarta methodus *Ruyſchiana* dici poteſt, qui in Adverſ. Anatom. Dec. II. p. 22. ait. Si *curationem (hydroceles) aggrederis, aperiendo ſcrotum in parte ſuperiore ad latus, tumque vulnus turunda oblonga, unguento roſaceo, mercurio præcipitato rubro permiſto, inuncta oppleveris, donec lenis inflammatio, eique ſuccedens ſuppuratio parva, membranulas ſtillantes putrefecerit, tuque eas tenaculo eduxeris, ſæpe deinde perfecte ſanatas obſervavi.* Cum hac curandi ratione convenit fere ea, quam *Marinus* poſtea, unus ex recentioribus chirurgis italis haud adeo pridem, tanquam uſitatiſſimam, ut dicit, (*ſed forte in Italia non in Germania, neque in Gallia aut Magna Britannia*) deſcripſit, ceteriſque omnibus prætulit. „ Nimirum, præpà- „ rato prius corpore, *ſcrotum* mox ſub inguine, *in parte ſcilicet ejus ſu-* „ *periore*, ſicut *Ruyſchius incidit*, ea magnitudine, ut per plagam digitus & poſtea turunda digiti craſſitudine, & trium digitorum tranſverſorum longitudine, ex cera facta, immitti queat, cujus apex, ut ait, paululum incurvata ſit. Hæc unguento dialthææ inungitur, & per plagam cavo ſcroti immittitur; ubi, poſtquam per XXIV. horas relinquitur, pars inflammata reperietur. Aqua non evacuatur, ſed turunda ſenſim brevior efficicitur, prout ſcilicet cavum minuitur; tumor vero emplaſtro emolliente digeritur. Quando ſuppuratio bene ſuccedit, turunda unguento digeſtivo imbuitur, in ſcrotum vero unguentum roſatum immittitur. Septem diebus præterlapſis turunda oleo hyperici compoſito inungitur, ſinus bene purgatur, & tumore reſoluto vulnus ſenſim minuitur, carne impletur, & tandem turunda tollitur, ſervataque diæta vulnus glutinatur. Patet ex his *Marinum* in rebus præcipuis ſive eſſentialibus, ut aiunt, a *Ruyſchio* vix differre, niſi quod medicamenta forte præter neceſſitatem multiplicet & quod præcipiat, ne curatio hæc *ſcorpione dominante* ſuſcipiatur, quia hoc curationem valde protraheret. Verum *ad ſigna celeſtia in curationibus reſpicere velle*, hodie ridiculum, ſuperſtitioſum & medico genuino indignum, merito a prudentibus habetur, idque eo magis, quia Dn. *Præſes* ante biennium demum, virum in hoc ipſo ſcorpionis ſigno ab iſto malo, æquali temporis ſpatio, quo aliis temporibus ſive ſignis alii curantur, perfecte reſtituit. Verum circa hanc methodum adhuc monendum, *quod quidem, ubi teſticulus adhuc ſalvus, utplurimum bene ſuccedat; ſed ſi vitium in teſticulo* ſubeſſe ſuſpicamur, *vel certo adeſſe* antea ſcimus, primam vel alteram, §. 37. ad 40. deſcriptam, huic præferendam eſſe cenſeo.

X L V I.

## XLVI.

*Circumforanei noſtri* Chirurgi radicalem hydroceles curationem ſequenti ratione, ſed peſſimo conſilio, perficiunt. Nimirum *inguen & ſcrotum ſupremum eodem modo, ac ſi enterocelen vel ſarcocelen ſecando curare vellent, incidunt*, peritonæi proceſſum digitis quærunt, eumque a vicinis liberant; poſtea & *tunicam vaginalem*, in qua hæc hernia *una cum teſticulo*, ſive ſanus hic ſit, ſive corruptus, e *ſcroto* & quidem ſæpe admodum rudi & dolorifico modo evellunt; proceſſum peritonæi funiculo firmiter ligant & conſtringunt, atque ſub ligatura facta totum reſcindunt. Quidam ligaturam proceſſui peritonæi jam injiciunt, antequam teſticulum evellunt, quod fere perinde eſt. Verum, hunc agyrtarum curandi modum, quia hiſtriones illi peſſimi præter neceſſitatem ægros non ſolum evellendo teſticulum crudeliter tractant, eoque ipſo convulſiones & mortem ſæpe ægris inducunt; vel ſaltem, ſi morti ſe ſubducunt, teſticulo bono, parte ad generationem adeo neceſſaria, quæ ſervari potuiſſet, privant, in ſimplici & ordinaria hydrocele prorſus rejiciendum eſſe cenſeo: conferri poteſt *Hildani* cent. IV. obſ. 68. qui periculum hujus curationis ſatis probavit. Quintus curationis perfectæ modus.

## XLVII.

Sed ſi *hydrocele cum ſarcocele*, ſive teſticulo in ſcirrhum corrupto, combinata, vel *teſticulus* alia ratione, ut putredine vel ulcere mali moris *corruptus eſſet*, tunc omnino hæcce methodus, quamvis paululum emendata, recte adhibetur, ut ſic hac ratione & teſticulus vitiatus & tunica vaginalis, quæ ſedes eſt hydroceles, & forte quoque organum ſecretionis humoris vitioſi, ſimul tollantur; quo vero in caſu prudens chirurgus blandiori, ſecuriori & minus crudeli modo, quam rudes illi circumforanei agunt, procedere poteſt: nimirum non vi evellendo tunicam vaginalem cum teſticulo, a tunica darto, & lacerando partes annexas, valde ſenſiles & nervoſas, quæ evulſio vehementiſſimos dolores & facile inde ſequentes convulſiones ac mortem concitat; ſed potius, majore ſcroti inciſione, & deinde cauta tunicæ vaginalis a ſcroto per ſcalpellum & forficem ſeparatione, qua dolores inducuntur minores, & ſic etiam leviora utplurimum ſequuntur ſymptomata, atque curatio ſic facilius, certius ac citius obtinetur. Hydroſarcoceles curatio.

## XLVIII.

Denique adhuc monendum, quod maxima ſemper cautione opus ſit, *ne forte hernia ſcroti inteſtinalis ſive enterocele pro hydrocele habeatur*, & pro hac ſcalpello incidatur: quia ſic inteſtina imprudenter facile diſcinderentur, Monita quædam.

& ægri ex imprudentia ejuſmodi chirurgi interficerentur. Præterea *ne curatio perfecta facile in ſenibus decrepitis*, aut *alias valde debilibus inſtituatur;* quia in his ſymptomata ſupervenire poſſunt, quibus æger interimitur. Adeoque ſuadeo, ut in his chirurgi malum vel intactum relinquant, quia multi cum ejuſmodi herniis ad magnam ſenectutem perveniunt, vel ut ſolum cura palliativa per intervalla eos tractent, quo ad tempus a moleſtiis nimis magnæ hydroceles eos liberent, atque negotia ſua promtius peragere poſſint. Ita enim *Ulhornius* viro *nonagenario*, ut ſcribit, aquam hoc modo feliciter, trium menſurarum pondere, acu cannulata eduxit, loco cit. p. 944. *ſic in pueris etiam haud facile curatio perfecta eſt inſtituenda*; eaque omnium minime cum teſticuli extirpatione, ut agyrtæ ſæpius facere ſolent; quia *palliativa eis ſæpe ſufficit*, eaque haud raro curantur.

## XLIX.

Curatio hydroceles in proceſſu peritonæi.

Tandem etiam de ea hydroceles ſpeciei curatione, *quæ ſecundum nonnullos ſupra illud ſeptum tranſverſum tunicæ vaginalis*, in proceſſu peritonæi, juxta inguina, hæret, quamvis a *Dn. Præſide* nondum ſit viſa, & a recenti ſupra citato chirurgo Anglo *Sharpio* nimirum, ut alias jam dixi, (p. 25.) prorſus negetur, verbum addam. Scilicet, *ſi hanc ſpeciem hydroceles certo adeſſe cognoſcimus*, atque evacuantibus ac reſolventibus ſupra §. XXXIV. laudatis, cedere recuſet, incidi eo in loco debet, ubi humor p. n. hæret, & per factum vulnus emitti, locus vacuus poſtea, ſicut de tunica vaginali purganda ſupra §. 37. & 38. diximus, mundari & poſtea glutinari. Verum hic rurſus, prout §. 48. docuimus, quam maxime eſt proſpiciendum, *ne bubonocele* ſive hernia inteſtinalis in inguine hærens, loco ejuſmodi hydroceles incidatur aut acus punctura aperiatur, ob periculum & rationes ibidem modo indicatas.

## L.

Si aqua in pluribus cellulis.

Poſtremo ſi hydroceles *materia in diverſis cellulis continetur*, prout *Palfinus* in chirurgia, cap. de hydrocele, aliique ſe vidiſſe ſcripſerunt, ſic, ut una aperta tantum pars ejus effluat, cæteræ vero ab humore diſtentæ maneant, *hæ quoque ſeorſim ſunt aperiendæ*, donec omnes depletæ ſint; hunc vero in finem *Palfinus* medicamentum rodens ferro præfert: quia illo omnes cellulæ, ut exiſtimat, ſimul aperirentur [o]. Aut, ſi, ut *Fajus*

[o] Si pluribus in cellulis hydrocele hæreret, *morbus hic forte magis erit in tunica, quæ cellularis vocatur*, *quam in tunica vaginali*: quia haud manifeſtum eſt, quomodo in vaginali, quæ unicum tantum cavum habet, plures cellulæ eſſe poſſint, & nullus adhuc ejuſmodi cellulas ex cadaveribus inciſis probavit.

*Faius* tradit, *aqua tam infra, quam ſupra ſeptum illud* proceſſus peritonæi tranſverſum collecta ſit, *tam tunicam vaginalem in ſcroto, quam proceſſum peritonæi in inguine aperiendum* eſſe docet l. c. p. 395. Verum quia de purgatione horum locorum nihil dicit, curationem tantum docet *palliativam.* Itaque ſi *radicalis* deſideratur, non ſolum erunt aperienda, ſed etiam purganda, atque tunc demum rurſus conſolidanda, obſervatis probe illis cautionibus, quas §. XLVIII. circa inciſionem herniarum aquoſarum dedimus. Quodſi *rupto clauſtro illo proceſſus peritonæi*, tam hic, quum vaginalis tunica repleta ſit aqua, unica quidem punctura circa partem inferiorem tota cavitas, ut *Faius* ait, evacuari poteſt; ſed cum quoque de perfecta curatione taceat, *totum cavum aperiendum* atque purgandum eſſe, ut in vulgari hydrocele, exiſtimo. Atque hæc optima mihi eſſe videntur, quæ de hiſce herniis hodie optimis medicis atque chirurgis ſunt perſpecta.

F I N I S.

DISSER-

Tab. XX.




Disp. Chirurg. Tom. III. HEISTER DE SARCOCELE. pag. 357.

LXXVI.

# DISSERTATIO
# MEDICO-CHIRURGICA,
# DE SARCOCELE.

*Quam Præſide*

## D. D. LAUR. HEISTER,

*Tuebatur*

CHRISTIAN. DANIEL HEISE,

*OBISFELDA-MAGDEBURGENSIS*

Helmſtad. 15 Junii anno 1754.

§. I.

ANte omnia vero, ut ordinatim procedam, dabo primum *Definitionem* illius mali, de quo hic agere & quod exponere conſtitui. Eſt itaque *ſarcocele* (quæ ortum habet a græco vocabulo Σὰρξ caro & χήλη hernia) ſpecies herniæ, quæ conſiſtit in incremento nimio unius vel utriuſque teſticuli, ejuſque vehementi duritie abſque inflammatione, & plerumque etiam ſine dolore, ab *obſtructione pertinaci ejus minutiſſimorum vaſorum ſeminalium.* Dixi plerumque abſque dolore: adſunt tamen etiam ſubinde dolores, iique præſertim valde magni, ubi ſolo quandoque pondere hos concitare poſſunt. Definitio mali.

§. II.

Speciem herniæ hoc vitium dixi, quia herniarum, ut in proæmio jam dixi, dantur variæ ac multæ: quæ melioris diſtinctionis cauſſa primo in *veras* & *ſpurias* dividuntur a ſcriptoribus rerum chirurgicarum. Sub *veris* intelliguntur proprie illæ, in quibus aliquid, quod in ventre ſive abdomine naturaliter hærere vel exiſtere debet, per quemcumque aliquem locum ventris cum moleſtia eaque magna hominis ægri, ex abdomine procidit, vel vi quadam expellitur. Explicatio definitionis hujus

§. III.

Partes vero, quæ in veris herniis expelluntur, ſive prolabuntur, utplurimum ſunt inteſtina & ſpeciatim tenuia, itemque *omentum* ſive *epiploon*, & ſæpius etiam cum prioribus *meſenterium*; atque hinc a parte prolapſa herniæ *vel inteſtinales*, vel *omentales* appellantur. Loca autem, ubi hic prolapſus ſive procidentia fit, ſunt plerumque *annuli muſculorum abdominis*, per quos vel in inguina tantum propelluntur, & tunc *inguinales* dicuntur, græce *bubonocele*; vel ad ipſum ſcrotum procidunt, & tunc *herniæ ſcrotales* audiunt, græce *oſcheocele.* Quandoque etiam ſub arcu illo tendineo, ſub quo arteriæ & venæ femorum e ventre exeunt, quæ *crurales*, rectius tamen *femorales* vocantur: quia pars illa, ad quam procidunt inteſtina & omentum, per hunc locum, femur proprie dicitur, non *crus*; quia *crus* ſive *crura tibias* proprie ſignificant & indicant, circa quas vero, quia hæ partes ſunt infra genua, ejuſmodi herniæ non oriuntur, neque pertingunt, ſed in ſuprema femoris parte & generantur & ſubſiſtunt. 3. Procidunt etiam ſæpe modo dictæ abdominis partes *in vel circa umbilicum*, & hæc mala *herniæ umbilicales* dicuntur. 4 oriuntur etiam ſubinde tumores *circa alia loca ventris*, in quibus etiam inteſtina & omentum colliguntur, quæ preſſæ diminuuntur, imo prorſus evaneſcunt; quando autem digiti ſive manus removentur, mox redeunt, quæ vero ceteris rariores ſunt. Partes quæ hernias faciunt.

§. IV.

§. IV.

Quænam ſint herniæ ſpuriæ.

Verum morbus ille, de quo agere hic conſtitui, non eſt ex hac herniarum verarum claſſe, ideoque de his etiam hic uberius non acturus ſum; verum eſt ex illa, quas *hernias ſpurias* appellare ſolent, in quibus nulla viſcera ex abdomine procidunt, ſed in ipſo ſcroto generantur & adoleſcunt. Quarum potiſſimum tres ſunt ſpecies; & prima vocatur *hydrocele* ſive *hernia aquoſa*, quæ a ſeri congeſtione in ſcroto & ſpeciatim in *tunica vaginali teſticuli* colligitur. Altera, *varicocele*, vocatur, quæ oritur ex vaſis ſpermaticis & præcipue venis a ſanguine congeſto & ibidem hærente, præter naturam diſtentis, & ſæpius magnum tumorem in ſcroto excitantibus; & tertia eſt *ſarcocele*, cujus deſcriptionem jam in §. I. dedimus. Quidam adhuc quartam ſpeciem addiderunt, quam *pneumatocelen*, latine *herniam ventoſam* appellant, quam a flatibus ſive vento in ſcroto collecto deducunt. Verum quia hæc ſpecies a multis & ſpeciatim a Dn. *Præſide* negatur, vel ſaltem hic de ea dubitat, quia talem primo nunquam vidit, & deinde quia talem a probato ſcriptore viſam, aut deſcriptam non invenit. Adeoque plura de eo hic non dicemus, ſed meliorem ejus probationem vel demonſtrationem expectabimus.

§. V.

De ſarcoceles natura

Intimius vero nunc naturam & indolem *ſarcoceles* ſive *herniæ carnoſæ* perſcrutabor, ut tanto melius de ipſius curatione agere poſſim. Dictum jam eſt §. I. quod hæc ſpecies conſiſtat *in tumore admodum duro*, plerumque unius teſticuli, & quandoque etiam utriuſque, a vaſculorum ſeminalium obſtinatiori obſtructione orto, qui ægris partim propter pondus, dum ſæpius libram ſuperant, partim propter magnitudinem, ingreſſum & *ambulationem*, potiſſimum, vero *equitationem* & *vectionem*, imo & coitum impedit, eoque eo magis, quo majus pondus & molem acquiſiverunt, & propterea §. I. dixi, quod ſæpe ſit abſque dolore, quandoque vero, præſertim ſi valde magni, vehementer quoque dolent & moleſti ſunt.

§. VI.

Diagnoſis ſæpe difficilis.

Non adeo facile a multis cognoſcitur ac diſtinguitur ab aliis quibuſdam ſpeciebus herniarum affinibus, id quod tamen ad bonam curationem ſumme neceſſarium eſt: attendendum itaque probe eſt ad ſigna variarum herniarum. Nam ab *hernia ſcroti vera*, ab *inteſtinis* orta, ſive enterocele, quando inteſtina præſertim fæcibus aut cibis aut flatibus valde infarcta, ſarcocele difficulter, ut multi ſcriptores notarunt, revera ſæpe diſtinguitur; imo & *ab hydrocele*: dum ſerum intus copioſe collectum ſæpe vehementiſſime ſcrotum diſtendit, ſic ut adeo durum fiat, ut vix ab aliis, quam probe, imo opti-

optime in hac re exercitatis, diſtingui a ſe invicem poſſint; dum præſertim Excellent. Dn. *Præſidi* ſæpius ejuſmodi caſus ſeſe obtulerunt, ubi plures medici hydrocelen pro ſarcocele aut enterocele & vice verſa, veram *ſarcocelen* pro *hydrocele* vel *enterocele* agnoverunt & habuerunt, imo nonnulli *hydrocelen* & *enterocelen* ſimul adeſſe declararunt: ubi poſtea in curatione ſive operatione ſarcocelen invenit; & contra ubi *ſarcocelen* adeſſe putarunt vel *hydroſarcocelen* ſimul, ſolam *hydrocelen*, ſicuti prædixerat, adfuiſſe invenit.

## §. VII.

Speciatim vero *ſarcocelen* adeſſe cognoſcitur & diſtinguitur ab *enterocele* & *hydrocele* 1 majori vel *maxima duritie*, quæ durior eſt, quam *hydroceles* atque *enteroceles*, & 2 *majoris ponderis ſenſu*. *Enterocele* vero ab his diſtinguitur, ex aliquo *inæquali ſcroti tumore*, atque *minori renitentia*, quam in ſarcocele, minorique pondere. In *hydrocele* & *ſarcocele* æqualior plerumque eſt tumor, & *hic tumor nunquam in ventrem repelli potuit*, neque adhuc poteſt, neque ſponte intus remeavit. Verum *enterocele ſcrotalis* ab initio parva plerumque eſt, & tumor in decubitu, præſertim veſperi in lecto ac ſomno, quem inteſtina elapſa concitarunt, diſparet: quia in ventrem inteſtina & omentum in hoc ſitu ſæpiſſime remeare ſolent, vel etiam ex voluntate vel ægri vel medici in ventrem retundi manibus poſſunt, ſcrotumque tunc fit vacuum: quæ prolapſa viſcera, poſtquam in ventrem refuſa ſunt, vinculis his herniis dicatis, in ventre contineri poſſunt. Verum ſerum ſive aqua in hydrocele nunquam in ventrem repelli, neque faſciis vel vinculis in eo contineri poteſt; ſed tumor ab eo concitatus ſucceſſu temporis ſemper lente creſcit atque augetur ad pugni, imo capitis quandoque magnitudinem; qui tamen digitis preſſus aliquomodo cedit, licet inſignem duritiem prementi oſtendat, & initio tumor fuit mollior. Diagnoſis ſpecialior ab enterocele.

## §. VIII.

*Sarcocele* autem initio paulo majore mole & duritie, quam naturaliter eſſe ſolet, ſe manifeſtat, ſenſim vero & *magnitudo* & *durities* & *pondus* ejus augentur, & tumor hic nunquam ex ſcroto in ventrem repelli poteſt, ſicuti nec hydrocele: unde ſimul cognoſcitur, tumorem hunc non *eſſe herniam veram*, ſive inteſtinalem aut omentalem, in quibus etiam tumor quidam ab annulo muſculorum abdominis in ſcrotum uſque percipi poteſt, qui *vero tumor* neque in *hydrocele* neque in *ſarcocele ſimplici* adeſt; interdum tamen, quod probe notandum, in ſarcocele etiam a tumido uſque teſticulo per funiculum ſeminalem ſive ſpermaticum *tumor* quidam ſe extendit, qui indicat vaſa ſeminalia etiam in funiculo ſeminali ab humoribus viſcidis & craſſis, æque ac teſticulum ipſum, eſſe infarcta, quod vitium *ſarcocele complicata* (ſcilicet cum tumore vaſorum ſeminalium in funiculo ſeminali) dici poteſt, qui Signa ſarcoceles ſpecifica.

tumores etiam in ventrem refundi nequeunt; quod etiam malum longe gravius eſt, quam ſarcocele ſimplex, ſicut infra pluribus exponam.

§. IX.

Cauſæ ſarcoceles *Cauſæ* hujus vitii ſunt tam internæ, quam externæ. Internæ ſunt humores craſſi, ſpiſſi, viſcidi omnis generis, quæ vaſcula tenuiſſima teſticuli ſeminalia obſtruere apta ſunt: qui oriri & generari poſſunt ac ſæpe ſolent a cibo vel potu valde craſſo ac viſcido, a nimio otio ſive quiete, vita multa ſedentaria, cum modo dicta diæta combinata. *Externæ* cauſæ autem eſſe poſſunt omnis generis læſiones & *contuſiones* unius vel alterius teſticuli; in nonnullis etiam ab humoribus labe venerea infectis, & ſpeciatim a gonorrhoea maligna imprudenter & præmature per adſtringentia remedia ſive interna ſive externa adhibita, a quibus ſæpe hæc ſubtilia vaſcula obſtruuntur, & ab horum obſtructione tandem ſcirrhus oritur, in cujus eſſentia *ſarcocele* conſiſtit.

§. X.

prognoſis Prædictio pro varietate magnitudinis, ætatis, durationis & habitus ægri admodum varia eſt. Si enim *malum recens*, vel ſaltem non adeo diu duravit, atque æger adhuc juvenis ac ceterum ſanus, ſectione ſæpe non opus eſt, quemadmodum D. *Præſes* ejuſmodi ſanavit, ſed ſubinde adhuc remediis reſolvi & curari poteſt, eis ſcilicet quæ in chirurgia ejus eum in finem propoſita ſunt, quorſum brevitatis ſtudio lectorem remitto; cumprimis vero decoctis lignorum diaphoreticorum, tincturis antimonii, eſſentiis lignorum & remediis mercurialibus efficacibus, juncto regimine diaphoretico imo ſudorifero. Quando vero malum jam diu duravit atque inveteratum eſt, aut diuturno uſu illorum medicamentorum malum reſolvi & curari non potuit, *ad ferrum* ſive *ſcalpellum confugiendum* eſt, & teſticulus ejuſmodi, qui ut inutile membrum ac moleſtiſſimum pondus tunc conſiderandum, prudenter excidendum eſt. Quam enim nonnulli *per cauſtica ſive rodentia remedia* teſticulum auferendi modum propoſuerunt, nimis dolorificus, longus & periculoſus mihi videtur. Conf. hac de re *Mich. Erneſt. Etmuller*. Progr. A. MDCCXXIII. Lipſ. de ingenti quodam ſcroti tumore pag. penultima.

§. XI.

Curatio *Curatio* etiam, *quæ ſcalpello fit, non eſt abſque omni periculo*; partim propter exquiſitum ſenſum, quem teſticuli obtinent, partim *propter inſignes nervos & vaſa ſanguifera*, quæ ad ipſum excurrunt, quæ non ſolum reſecare, verum & ob ſanguinis magnam jacturam evitandam, filis ſive vinculis ligare oportet; unde quandoque & ſpaſmi & febres incidunt ſymptomaticæ, quæ ſubinde, præſertim apud immorigeros & diætam negligentes ægros oriun-

oriuntur; partim etiam ob ſanguinis profuſiones largiſſimas, quæ ſæpius incidunt, ita ut ægri inde ſummam debilitatem ac virium proſtrationem ſentiant; quibus ſi non in tempore efficaciſſimis auxiliis occurramus, ægri ſecti in vitæ periculum incurrere poſſunt. Attamen ſi medicus novit malis hiſce in tempore per bona remedia & aptam victus rationem mederi, ægrique etiam ſuum faciunt officium, fere omnes conſervari poſſunt.

§. XII.

*Curatio per ſectionem* in eo potiſſimum conſiſtit, ut ſcrotum in latere exteriori teſticuli vitioſi longa inciſione, ab inguine lateris læſi per *cutem ad funiculum* ſeminalem ſive proceſſum peritonæi (cujus ſitus rite debet eſſe cognitus) & *teſticulum læſum caute incidatur*; ac deinde hicce funiculus & teſticulus a partibus, quibus adhærent, ſcalpello & forfice ſenſim cauteque ſeparentur. Curatio per ſectionem quid generatim deſideret.

§. XIII.

Hac in re vero *duplici* modo procedere hodie ſolent chirurgi, dum quidam illum funiculum una cum teſticulo læſo ſimul ſeparant; quidam vero initio ſolum funiculum hunc ſolvunt, eumque primo filo robuſto ſimplici vel duplici, quod ſæpius, circumjecto prius linteolo, ne filum partes ſubjectas diſrumpat, & fluxum ſanguinis concitet, circumducunt, probe conſtringunt, ut ſic conſtrictis in eo contentis vaſis & nervis & ſenſus doloris minuatur, quando poſtea teſticulum ipſum a ſcroto ſolvunt. Verum quamvis nervi teſticuli hoc modo conſtricti ſint, tamen hac ex ligatura nervi ſcroti non conſtringuntur, adeoque ut uſu & experientia edoctus eſt Celeb. D. *Præſes*, ſenſus doloris non omnis tollitur, ſed adhuc ſatis acutus ab ægris percipitur, quem vagitibus & clamoribus ſuis ſatis indicant. Interea tamen priori modo hunc præferendum eſſe cenſeo. Duplici ratione hoc fieri poteſt.

§. XIV.

Quidam hunc funiculum ita, ut modo poſui, ligant. Verum quia ſæpius obſervatum eſt, ejuſmodi ligaturam, ob circumpoſitam robuſtam proceſſus peritonæi tunicam arterias ſæpe non ſatis fortiter ea conſtrictas fuiſſe, ſcirrhoſo teſticulo, ab hoc funiculo reſecto, ſæpius magnam harum arteriarum hæmorhagiam ortam eſſe; hinc alii acum duplex filum trahentem per medium hunc funiculum & proceſſum peritonæi tranſmittunt, & altero filo dextrum, altero ſiniſtrum latus, circumjecto quoque, ut ſupra dictum eſt, linteolo conſtringunt, atque hiſce probe conſtrictis, reliqua parte horum filorum quoque totum funiculum adhuc probe conſtringunt, ut ſic tanto magis ſenſus teſticuli obtundatur, & hæmorrhagia ſive profuſio ſanguinis me- Adhuc alius modus

lius, reſecto tandem teſticulo, avertatur, præſertim ſi hic funiculus pollicis latitudine ſupra teſticulum ſcirrhoſum reſecetur.

§. XV.

Deligatio ægri prima.

Ablato ſic teſticulo, extremo funiculi ſeminalis ſpleniola, duo vel tria, ſenſim ampliora imponuntur probe appreſſa; deinde multis linamentis carptis in glomeres contortis ſive convolutis, ſcrotum hoc vacuum ſenſim repletur, eaque omnia vola manus probe contra finem funiculi reſecti apprimuntur, ut ſic ora arteriarum ſpermaticarum reſectarum melius comprimantur; poſtea ſplenia duo vel tria craſſa convenientis magnitudinis, ut ſcrotum cingere poſſint, circumponuntur, & faſcia quadam, quæ a littera T nomen habet, quales in Cel. D. *Præſidis* inſtitutionibus chirurgicis, vel & in germanica ſua chirurgia Tab. XXXVIII. fig. VI, VII, VIII, IX, X, XI, & XII indicantur, probe firmantur, & quieti in lecto commodo traditur.

§. XVI.

Deligationes ſequentes.

In tali ſtatu per duos treſve dies quietùs relinquitur, àtque ordinatur ipſi moderatus ac tenuis victus, potuſque aquatus, vitando omnia calefacientia, & præſcribuntur ipſi remedia temperantia ad febrem ſive calorem p. n. avertendam, præſertim in forma potiunculæ. Quando vero denuo deligatur, ſolvitur faſcia, removentur ſplenia & linamenta, quæ ſponte quaſi vulnus relinquunt, una cum ſanguine effuſo, ac ſordibus omnibus, nova unguento digeſtivo imbuta una cum recentibus ſpleniis, fomento ex aqua calcis vivæ ℔*j* & ſpiritu vini camphorato ℥*iij*, adjecta ceruſſa ℥*i* & ſale ammoniaco ℥ß calide, & faſcia injiciuntur, atque ſic continuatur, donec non ſolum linamenta carpta omnia exciderint, ſed vulnus quoque rite purgatum appareat.

§. XVII.

Cautelæ.

Ne vero hæcce mea doctrina ac diſſertatio de curatione hujus herniæ nimis prolixa fiat, ſi omnes cautelas, quæ in ea obſervandæ ſunt, hic deſcribere vellem, proponam nunc potius obſervationes & exempla de hiſce malis, & quidem graviſſimis, quæ *D. Præſes* in ſuis prælectionibus chirurgicis referre ſolet, atque ſimul aliquot exempla maximarum ejuſmodi herniarum, quas delineari & æri incidi curavit, eaque ex communicatione *D. Præſidis*, quomodo in his exſtirpandis, proceſſerit, hic curam cum variis ſymptomatibus & cautionibus deſcribam, & *icones variam* ſubnedam.

§. XVIII.

## §. XVIII.

Primum notabile exemplum deſcripſit *Celeb. D. Præſes* jam in ſuis ſuperiori anno lingua vernacula noſtra evulgatis obſervationibus medicis, anatomicis & chirurgicis p. 121. obſ. 70. quod in latinam linguam translatum ita ſe habet. Die ultimo Julii anni 1709, quo *Tornacum*, urbs illa Gallorum tunc in Flandria munitiſſima, ſe Fœderatis illius temporis, ſub imperio fortiſſimorum duorum ducum *Eugenii & Marlborugii*, reddebat, præfectus militum præſidio urbis *Audenardæ* (ubi illo tempore noſocomium caſtrenſe Hollandorum erat, qui *Majoris* titulo & functione tunc ibidem ornatus erat, quadraginta annos circiter natus, cæterum ſanus & robuſtus, tempore matutino ad ipſum veniebat, qui jam a biennio *teſticulo ſcirrhoſo* ſive *ſarcocele* laboraverat, pugni fere magnitudine; verum neque inflammatus, neque dolens, ſed tantum quando ambulare aut equitare volebat aut debebat, moleſtias ipſi haud leves concitabat; qui multorum & medicorum & chirurgorum auxilia ac remedia pro eo reſolvendo & imminuendo jam adhibuerat; verum quæ omnia nihil profuerant. Cum itaque & *D. Præſidem* hanc ob cauſſam conſuluiſſet, atque auxilium ab ipſo petiiſſet, rebus probe perpenſis, ipſi dixit, nullam amplius ſpem eſſe ſcirrhum ſive malum hoc ſuum inveteratum adhuc remediis diſſolvi, ſed *ſcalpello illud, tanquam membrum corruptum & inutile, reſecandum* eſſe, & hoc ſolo ipſum ab eo liberari poſſe, ſeque illud, præſente D. de *Quavren*, qui primarius tunc exercitus Hollandici erat chirurgus (*General Chirurgien*) & ibidem tunc etiam degebat, auferre velle. Quoniam vero æger hic ab hoc vitio liberari valde deſiderabat, & tam multis jam remediis diſſolventibus fruſtra uſus eſſet, in extirpationem ejus conſenſit. Pro præparatione itaque ad hanc ſectionem *D. Præſes* ipſi mox ſuaſit, ut hoc mane adhuc ſanguinem ſibi ex brachio detrahi curet, & ſomni tempore ipſi pilularum polychreſtarum ſuarum ſcrup. 1. deglutiendas dedit, atque promiſit, ſe perindie, qui dies altera Auguſti erat, actionem hanc ipſam ſuſcepturum eſſe.

Exemplum primum.

## §. XIX.

Curavit itaque poſtea pro hoc die, ut chirurgorum unus ex noſocomio caſtrenſi hujus loci apparatum conficeret: ut faſciam litteræ T figuram obtinentem, linamenta carpta multa, ſplenia linea & ſpongiam; ipſe vero ſimul neceſſaria ad hunc actum remedia, & ſpeciatim potiunculam roborantem interne, & ſpiritum ſimilem pro uſu externo ordinavit. *Scalpellum* vero ſuum, *forficem bonam*, & *acus curvas* ſibi ipſi præparavit, atque prædicto die mane hora decima, una cum *Dno. de Quavren*, & quatuor chirurgis ex prædicto noſocomio ad eum accedebat, poſtquam æger

Præparatio adhunc actum

paulo antea ex ejus ordinatione juſculum aliquod roborans aſſumſerat, atque tunc in ædibus ægri hujus curabat, ut per famulos apta menſa in medio cubiculi verſus feneſtras collocetur, ita ut ibidem ſatis clara lux pro actione hac rite perficienda eſſet, atque tegumentum aliquod una cum pulvinari quodam huic menſæ, eumque veſtibus, induſio excepto, detractis, eidem ipſum imponi juſſit, ita ut pulvinar capiti ejus fuerit ſuppoſitum, atque jubebat poſtea, ut æger utrinque manu una menſam probe comprehenderet, & ſe in hac firmaret; duo autem chirurgorum utrinque una manu pedem juxta genu, & altera manu eumdem circa malleolos; tertius & quartus vero pectus una cum brachiis firmabant: quibus ſimul ordinavit, ut quando ſectionem inchoaturus ſit, ægri faciem mantili tegerent, ne ipſam ſectionem curandus inſpiceret, & forte terrore inde nimio afficeretur. Hæc cum ita aptata & ſpongiæ etiam præſto eſſent, extrahebat ex armamentario ſuo chirurgico portatili bonum ſcalpellum parvum & forficem, una cum acu curva; quæ filum duplex ceratum trahebat, ægrum blande compellebat ac monebat, ut ſe virum præſtet, ſe ipſum vero omne ſtudium & diligentiam adhibiturum eſſe ut actum hunc chirurgicum, quantum tuto fieri poſſit, cito ad finem perduceret.

## §. XX.

Actio ipſa deſcribitur.

His omnibus ita ordinatis *D. Præſes* comprehendebat cutem ſuprà teſticulum tumidum in inguinis ægroti altero latere, in altero autem latere jubebat quinto adjutori, ut eodem modo cutem indice & pollice ſuo comprehenderet, eamque ſicuti ipſe *D. Præſes* in altum elevaret, cutem vero hanc elevatam medio in loco ſcalpello incidebat, ſicut in herniis incarceratis alias fieri quoque ſolet; quæ vero inciſio his in caſibus minorem curam requirit, quam in herniis incarceratis: quia hic nulla inteſtinorum læſio a ſcalpello pertimeſcenda eſt, ut in hernia incarcerata; dum in teſticulo ejuſmodi corrupto nullam noxam concitare poteſt. Quo facto cutem & pinguedinem ad duorum vel trium digitorum latitudinem ad teſticulum uſque morboſum diſſecabat, & poſtea inciſionem hanc ſuam, ſurſum & deorſum, ſupra teſticulum hunc extendit uſque ad annulum fere muſculorum abdominis, atque uſque ad inferiorem teſticuli ſcirrhoſi partem. Speciatim vero poſtea funiculum etiam ſeminalem ſpatio trium circiter digitorum ab annulo prædicto a vicinis partibus aliquomodo ſeparavit; ut filo cerato hic probe eum circumdare, ac poſtea probe conſtringere poſſit.

## §. XXI.

Et hic continuatur.

Hoc facto, *acu curva funiculum hunc medium perforabat*, filum, quod ulnæ noſtratis longitudinem habebat, ad dimidiam partem traducebat, acum poſtea a filo reſecabat; & alterum fili extremum manu ſiniſtra, alteram

terum dextra arripiebat, alteroque extremo dextrum funiculi latus, altero ſiniſtrum ambiebat, & ſuper linteolo contorto ſubjecto fila hæc duo nodis firmiter in uno latere conſtringebat, alteroque filo in altero funiculi ſeminalis latere idem faciebat. Denique linteolum digiti latitudine circa hanc primam ligaturam circumducebat, & filis illis aliquoties adhuc totum funiculum circumdabat, altero in interiori, altero in exteriori funiculi ſeminalis latere, ut ſic arteriæ ſpermaticæ tanto firmius una cum nervis conſtringerentur, ac tanto melius ac certius poſt amputationem teſticuli ſcirrhoſi fluxus ſanguinis per ora arteriarum reſectarum præcaveatur, & ob nervos probe conſtrictos ſenſus doloris, quando teſticulum vitiatum e ſcroto ſolveret, minueretur. Poſtquam hæc peracta erant, totum hunc teſticulum vitioſum e ſcroto partim ſcalpello, partim forfice, prout ipſi commodiſſime viſum eſt, ſeparavit, eumque tunc digiti ſpatio ſupra hunc teſticulum forfice reſecavit, partemque cutis ſcroti, quæ nimia videbatur, forfice quoque amputavit, & cavum ſcroti reliquum linamentis carptis ac contortis probe replevit, ſpleniis obtegit multis, & faſcia T hæc omnia firmavit, ægrumque in lectum ſuum collocari juſſit.

## §. XXII.

Vulneris curatio.

*Tertio die primum faſciam hanc ſolvit*, ſplenia & linamenta carptà, quæ ſoluta erant, inde removit, & vulnus a ſordibus ac ſanguine purgavit. Nova vero poſtea linamenta, unguento digeſtivo imbuta, in eorum locum ſubſtituit, eoque hoc vulnus, ſicuti alias vulnera mundari ſolent, quotidie per quatuor hebdomades, ſub bono regimine ac diæta, deligavit, & poſtea loco hujus unguenti balſamum copaivæ per duas hebdomades, denique vero linamentis aridis vulnus glutinavit, nullo gravi ſymptomate ægrum noſtrum invadente.

## §. XXIII.

Caſus & exemplum alterum.

Anno MDCCXXI, die trigeſimo Auguſti, *molitor quidam* ex oppido Obisfeld in ducatu Magdeburgico ſito, quod tria milliaria germanica ab Helmſtadio diſtat, & patria mea eſt, huc Helmſtadium ad *D. Præſidem* in curru quodam vehebatur, quia a prægreſſis multis doloribus ita debilitatus erat, ut ambulare vix amplius potuerit. Hic ipſi narrabat, ſe jam ultra anni ſpatium alterum teſticulum naturali longe majorem & duriorem ſenſiſſe, & contra hoc malum varios chirurgos paganos conſuluiſſe, qui varia remedia, neſcio quæ, ipſi adhibuerint; quibus vero malum non diminutum, ſed potius ſemper auctum eſſe ac doloribus tandem accedentibus in ulcus mali moris degeneraſſe, cute ſcroti lateris læſi variis in locis perrupto, ita ut teſticulus hic faciem aliquo modo induxerit *cancri mammæ exulcerati*, ſanie fœtida multa quotidie effluente, quo ita, ut modo dixi,

dixi, debilitatus eſt, & in miſero tali ſtatu auxilium abs *D. Præſide*, & quidem per medicamenta, ſi fieri poſſit, deſideravit; verum hic ipſi reſpondit, nullum ab his hoc in malo gravi ſperandum vel exſpectandum eſſe, præſertim quia valde impurum corpus haberet: ſed unicam ſalutis ſpem in ſcalpello adhuc eſſe poſitam. Itaque huic curationi ſe ſubmittere & hic curationis cauſſa manere velle concludebat.

## §. XXIV.

Præparatio hujus ægri.

Igitur *D. Præſes* pro peſſimo ejus corporis habitu & ſanguine vitioſo, quantum fieri potuit, corrigendo, ipſi ſuaſit, I. *ut* corpus *a craſſis humoribus* evacuante quodam idoneo liberetur, & XV pilularum ſuarum polychreſtarum proxima nocte aſſumeret; *veneſectionem* vero hic omittebat, ne jam debilis, ſanguinis miſſione adhuc magis debilitetur. II. Ut pro *ſanguine corrigendo* per XV dies decocto ex radicibus & lignis purificantibus uteretur, quod conſtabat:

Rec. Rad. ſarſaparill & chinæ aa. ℥*iß*
Raſ. Ligni ſaſſafr. & guajac aa ℥ß.
M. Conciſ. cr. mod. D. ad Chart.

de quibus ſingulo mane & veſperi pugillus in libra una aquæ leniter per aliquot momenta coquebatur, aqua poſtea decocta, ut decoctum coffee, pauco ſacharo admixto, ab eo bibatur.

III. ℞. Tinct. antimon. tartariſat.
Eſſ. lignor. aa. ℥*j*.

M. D. ad vitr. & hujus mixturæ guttæ 50 vel 60 ſemper cum primo hauſtulo decocti hujus aſſumat; reliquum vero poſtea ſenſim intra horæ dimidiæ ſpatium bibat, ſuperinjuncto poſtea regimine diaphoretico, præſertim mane, cum bona diæta.

IV. Sequens pulvis
℞. Milleped. ppt.
rad. ononid. aa. ℥*j*.
cinam. acut. cardamom. aa. ʒ*jj*.
merc. dulc. ʒ*j*.
M. f. pulv. d. ad. ſcat.

de quo mane & circa veſperam ʒ*j*. ſumebatur.

V. ℞. aq. calc. viv. libr. j.
Spirit. vin. camphor. ℥*iij*.
Ceruſſ. ppt. ℥*j*. M. d. ad. Vitr.

pro

pro fomento calide ter quaterve quotidie cum ſpleniis craſſis loco læſo applicando. His uſque ad medium Septembris uſurpatis, progrediebatur *D. Præſes* d. XVI. Sept. ad *curationem chirurgicam*, nimirum ad extirpationem teſticuli hujus corrupti & quaſi cancroſi, qui videri poteſt in fig. I. noſtra, poſtquam interea bona diæta etiam vires aliquomodo rurſus collegerat, & á chirurgo hunc in finem neceſſaria requiſita pro hac curatione, menſam ſcilicet & lectum, linamenta carpta, ſplenia, faſciam aliaque ad hanc actionem neceſſaria, quæ antea in §. XV. & XVI indicavi; attamen quia hic æger longe erat debilior, quam præcedens §. XVIII, præter juſculum bonum mane aſſumendum, *potiunculam* etiam & ſpiritum *roborantem* & *analepticum* ipſi præſcripſit, ut de ea aliquot cochlearia ante, in & poſt operationem ſubinde aſſumeret, pro viribus blande reſocillandis, & animi deliquiis, quæ alias facile his in malis gravioribus ſupervenire ſolent, avertendis.

## §. XXV.

*Curandi vero actionem ipſe*, poſtquam æger menſæ idoneæ impoſitus erat, *D. Præſes* perficiebat ad normam illam, quam apud præcedentem obſervavit §. XX. ea ſolum variatione, ut, id, quod in illo caſu chirurgi in ægro continendo & firmando perfecerant, hic ſtudioſi medicinæ, qui illo tempore hic fuerunt, præſtiterint, & in ſanatione vulneris eadem etiam ratione proceſſit, ſive ut alias in vulneribus ſanandis in univerſum fieri ſolet. Attamen ad curationem in debiliori hoc ægro, cui ſanguis longe magis corruptus erat quam in illo §. XVIII, ſequentes herbas pro vulnerario potu aliquoties bibendo ei præſcripſit. Operatio & curatio ipſa.

℞. Herb. agrimon. ſaniculæ aa. Mj.
Lign. ſaſſafr. ℥ß.
ſantal. citr. ʒij
Sem. aniſ. ſtellat. ʒi. M. Cont.

d. ad. Scat. S. *Herbæ vulnerariæ* ad modum herbæ theæ mane & circa veſperam cum ſaccharo calide bibendæ. Præterea in hac curatione etiam ipſi bonam victus rationem ordinabat, eique pro debili corpore roborando & viribus conſervandis, imo & augendis, pro cibo maximam partem bona juſcula parabantur: quibus ſucceſſu temporis fructus horæi cocti, pruna, poma & pyra aliaque vegetabilia leniora, imo & molliores carnes & ova ſorbilia addebantur; ſed pro potu, præter decoctum illud vulnerarium, cerevisia tenuis initio ipſi concedebatur; circa finem vero paulo magis nutriens: quo factum eſt, ut intra duos menſes ſanatus domum reverſus ſit.

## §. XXVI.

Caſus & exemplum tertium.

Anno MDCCXXVIII die Januarii XXVIII Wolfenbutela rhedarius *Dn. Hertelii*, qui Sereniſſimo Duci noſtro a Conſiliis atque Bibliothecæ Auguſtæ ibidem præfectus primarius erat; *D. Præſidi* curandus hic mittebatur, qui magna ſarcocele atque diu ſimul febre intermittente laboraverat; unde adhuc ex pallido flaveſcentem, febrilem habebat faciei colorem, venterque ejus aliquomodo erat tumidus, attamen ciborum appetentia ipſi adhuc erat bona, & vires etiam adhuc ſatis conſtabant, ſic ut pedibus iter Wolfenbutela huc fecerit, quod quatuor eſt milliarium germanicorum, atque a moleſto illo ſcroti tumore liberari ab ipſo deſiderabat.

## §. XXVII.

Præparatio ægri

Itaque illum ad operationem præparavit, *præmiſſo purgante* ex pilularum polychreſtarum ſuarum ſcrupulo uno, omiſſa ſanguinis detractione, ob rationes §. XXIV datas: cui poſtea ſubjunxit remedia febrium intermittentium reliquiis deſtruendis apta, & nominatim ſeqq.

I. ℞. Herb. card. Bened.
Heder. terreſtr.
Flor. Chamomill. aa. Mj. M. conciſ.

craſſ. mod. d. ad Chart., quibus ut thee bis vel ter quotidie utebatur cum pauxillo ſacchari.

II. ℞. Eſſ. Abſinth. compoſ. ℥j.
Cort. aurant.
Caſcarill aa. ʒij. M.

d. ad vitr. de qua mixtura mane, circa meridiem & veſperam guttas 60 cum thea illa aſſumebat.

III. ℞. Tartar. vitriolat.
ſal. abſint. aa. ℥ß.
arcan. dupl. ʒij. M. d. ad ſcat.

Hujus pulveris veſperi hora quarta & ante cubitum ʒß. cum aqua card. benedicti aſſumebat., & modica diæta ipſi ordinabatur.

## §. XXVIII.

Ipſa curatio chirurgica.

Poſtquam his remediis per octiduum uſus erat, atque æger ſatis bene ſe habebat, *D. Præſes curationem per ſcalpellum* in eo, præſentibus multis

tis medicinæ ſtudioſis & aliquot chirurgis eadem ratione perficiebat, ut in præcedentibus; attamen dum ſcrotum incideret, *aliquot unciæ ſeri effluebant*, quibus emiſſis ſcroti vulnus ſurſum & deorſum, ut in præcedentibus, ſcalpello ampliabat, funiculum ſeminalem ligabat, *magnum ſcirrhoſum teſticulum* a partibus annexis ſeparabat, reſecabat atque ægrum ſicuti præcedentes, deligabat, lecto committebat, & *potiunculam analepticam* ordinabat, de qua parum ſingulo bihorio vel trihorio ad vires roborandas aſſumebat. In ſequentibus deligationibus eadem ratione ægrum tractavit, ut præcedentes, per integras quatuor hebdomades, quibus tam bene ſe habuit, ut jam rurſus in cubiculo ſuo, imo etiam in domo, ubi hic habitat, circumambulaverit. Sed cum in fine quartæ hebdomadis ancilla hujus domus ignem in fornace ſui cubiculi alere neglexerat, ipſe hoc facere voluit: dum vero hoc faceret, & pronando lignum immittere vellet, hoc agendo *fragorem* ſive *crepitum* peculiarem atque inſolitum in ventre ſuo ſenſit, & poſtquam hoc facto rurſus in cubiculum ſuum remeavit, inopinatam in ſe percepit virium ſubitaneam jacturam ac debilitatem, quam quidem mox D. *Præſidi* ſignificari curavit, cui etſi roborantia remedia mox optima oppoſuit; tamen vires reſtitui non potuerunt, ſed poſt altero tertiove die, & ſic quinta hebdomade poſt operationem mortuus eſt. *Die ſubſequente cadaver ejus*, præſentibus rurſus omnibus medicinæ & chirurgiæ ſtudioſis, *aperuit*, apertoque ejus ventre, ipſum pure valde repletum deprehendit, & cum in originem hujus rei inquireret, in meſenterio magnam glandulam, capitis infantis quaſi magnitudine circa vertebras lumborum invenit duram, in qua magnum erat cavum, in quo pus hoc ortum erat. Hoc vitium itaque erat *hydroſarcocele*, cum *abſceſſu magno in meſenterio complicato, qui cauſſa mortis hujus ægri fuit*, & *non ſarcocele*; neque operatio hujus cauſſa inſtituta; atque *teſticulus* hic ſcirrhoſus *decem* fere habuit *uncias*, ejuſque magnitudo & facies fig. II. videri poteſt; ipſum etiam, ut ex eadem figura patet litt. A. incidit, ea ſpe fore, ut vaſcula ſeminalia magna & valde diſtenta ſint appariturа; ſed æque parva erant, ut in ſano & naturali teſticulo eſſe ſolent, id quod mirandum in tanta teſticuli diſtenſione.

## §. XXIX.

Caſus quartus & ejus curatio

Quartus caſus, qui D. *Præſidi* curandus oblatus eſt, fuit vir nobilis XXXVI annos natus, qui *in latere dextro ſarcocele* affectus fuit ovi gallinacei circiter magnitudine (vid. fig. III) & qui poſtquam per ſatis longum tempus remedia malum hoc diſſolventia adhibuerat, & malum non minui obſervaverat, a *Præſide*, ut illud ſcalpello excideret, anno 1743 die 27 menſis martii deſideraverat. Igitur quia ante paucos dies alvum evacuante remedio uſus erat, die 28 ſectionem mox ipſam Præſes, præſente egregio & primario legionis chirurgo, eadem ratione perfecit, ut præcedentes; niſi quod *teſticulum non mox amputaverit*, ſed ſecundum hujus ſententiam,

 quaſi

quaſi hoc ſanguinis profuſionem certius præcaveret, funiculum ſeminalem tantum ligavit, eumque cum teſticulo vitioſo ſpleniis, fomento calido p. 17 §. XVI involutum, hoc die ac nocte inſequente relinqueret. Cum vero circa meridiem *pulſum* & *calorem* p. n. in ægro hoc perciperet, *potiunculam temperantem* ei præſcripſit, ut de hac aliquoties hoc die & nocte cochlearia duo aſſumeret, & 2. *ſanguinis* ℥viij e brachio ipſi detrahi curavit: id quod in prioribus, quia debiliores & ſeniores hoc erant, & nulla ratio hoc exgebat, non fecit, quibus febricula hæc altero die rurſus profligata fuit. Sed cum æger hoc die circa veſperam dolores circa partes *læſas ſentiret*, interne *emulſionem* anodynam ipſi præſcripſit ſequentem.

℞. Amygdal. dulc. recent ℥*j*.
ſem. papav. alb. ℥*ß*.
amygdal. amar. ʒ*ij*. *M*. & F. cum decoct.
hord. libr. *iß*. l. a. *Emulſio*: adde poſtea
ſacch. perlat. ʒ*j*,
ſyrup. papav. alb. ʒ*ij*. M. D. ad vitr. de qua ſingulis horis ſumat hauſtulum ℥*j*. ad ℥*ij*.

*Externe fomentum* illud modo laudatum cum ſpleniis *ſcroto* & *teſticulo*, quovis bihorio, calide circumpoſitum eſt, ſervata diæta tenui & hauſto potu aquato.

§. XXX.

Sympto-mata quædam

*Noctem* primam & ſecundam hic æger inſomnem & ſub doloribus tranſegerat, imprimis vero dolores circa lumbos & os ileum dextrum erant magni; quibus vero antea, ut retulerat, ſæpius obnoxius fuerat, ſed hac nocte & hodie mane ſolito vehementiores erant. Die 29 Martii mane cum adhuc urgerent, D. *Præſes* judicavit, eos a tractione ponderis teſticuli vitioſi cum vaſis ſpermaticis, arteria aorta & vena cava adhuc cohærentis oriri. Hinc ipſe & chirurgus adjutor judicarunt *conſultum eſſe teſticulum hunc trahentem omnino reſcindere*; id quod etiam, injecta adhuc altera ac nova ligatura in eodem loco funiculi ſpermatici, ubi prior hærebat, pro hæmorrhagia ejus vaſorum tanto certius avertenda; & hoc facto teſticulum hunc forfice, digiti ſpatio infra ligaturam reſecavit; vix guttula una aut altera tunc effluente. Superimpoſuit poſtea chirurgus his vaſis linamenta & ſplenia multa, atque faſcia T duplici ea firmavit. His vero non obſtantibus, poſt aliquot horas *æger ſenſit ſanguinem faſciam penetrare*; qui, poſtquam hoc nobis indicavit, venimus & vidimus magnam ſanguinis copiam inter ejus femora effuſum. Igitur deligationem ſolvere neceſſarium eſſe judicavimus, & linamentis ablatis deprehendimus ſanguinem ex arteriola quadam funiculi ſeminalis diſſecti profluere: quare hanc filo, ope acus curvæ circumjecto ligavimus, ac denuo ægrum deligavimus: quo facto ſanguis hic quievit, & dolores etiam in dorſo & oſſe ilei remiſerunt. Ordinavit poſtea, cum circa veſperam levem rurſus febriculam ſentiret æger, pulverem temperan-

perantem hora quinta & nona ad ʒß ſumendum, & potum ex decoct. hordei citrato pro potu ordinario; ita ſequente nocte per aliquot horas dormivit. Die 31 Martii his continuavit, & quia æger mane *incommoda a flatibus* ſentiret D. *Præſes* ipſi ordinavit.

℞. Eſſ. Cort. aurant.
Carminat. Wedel. aa. ʒij.

M. D. ad vitr. de his guttis cum Thea, circa meridiem cum juſculo gutt 50. hodie & ſequentibus diebus aſſumeret; ſic nocte hac bene dormivit: die 1 Aprilis mane melius ſe habuit, atque in prandio etiam paululum comedit.

## §. XXXI.

Die altero Aprilis, quia *alvus hucuſque fuerat clauſa*, *clyſma* emolliens & carminativum ipſi dari curavit, ſic tertio Aprilis die optime ſe habuit. Attamen veſperi poſt cænam cum tormina in ventre paulo acerbiora denuo experiretur æger, ſequens ipſi ordinavit remedium admodum egregium Alia adhuc ſymptomata

Rec. pulv. antiſpaſm. Stahlii ℈j.
auri fulminant. grj. M. & D.

ex ſeq. vehiculo

Rec. aq. flor. chamom. ℥*ij*.
Meliſſ. ℥*j*. vit. Mathiol. ℥*ß*.

M. de qua mixtura, etiam *ſi tormina brevi non ceſſent*, quavis hora cochleare ſuperingerat, ita *ſenſim & tormina hæc ceſſarunt*, & *ſummo mane ſponte larga ſecuta eſt alvi evacuatio*, atque hora octava altera, quarto autem & quinto die Aprilis æger optime ſe habuit. *Deligatio* vero quotidie *bis facta* eſt ungu. digeſtivo & fomento illo ex aqua calc. viv. & ſpirit. vin. camph. §. XVI; quo etiam die 6. Aprilis loco ptiſanæ *cereviſiam tenuem* bibere deſideravit: quam, quia ſatis bene hodie ſe habuit, ipſi modice conceſſit, & optime inde ſe habuit. D. X. Aprilis *ligatura funiculi ſeminalis* cecidit, & ſic ſenſim melius ſemper ſe habuit, ut *ſurgere e lecto* & in cubiculo circumambulare potuerit. D. XX. vulnus loco unguenti digeſtivi *balſamo copaivæ*, quod vulnerarium egregium eſt, quotidie deligari juſſit; ſic ſanatio bene ſucceſſit. Die XXViij. Aprilis extra ædes prodeambulare cepit, & die X. Maji vulnus omnino conſolidatum, ipſeque omnino ſanatus erat. Hujus caſus paulo prolixiorem hic dare volui deſcriptionem, ut inde cognoſcatur, quomodo cum his ægris & cumprimis nobilioribus, ſi ſymptomata ut ſæpe fit, incidunt, agendum ſit.

## §. XXXII.

A. MDCCXXXXIX. d. XIX. Sept. alius nobilis ex Saxonia ſuperiori huc ad D. *Præſidem* perveniebat, *majori longe ſarcocele* eoque valde dolorifico oneratus, quam præcedentes fuerunt, ejuſque curationem per ſcalpel- Caſus quintus

lum ab ipſo efflagitabat, quia omnia remedia, quæ a medicis & chirurgis ibidem, quos conſuluerat, malum haud minuere multo minus diſſolvere ac tollere potuerunt; nec ullus eorum etiam curationem, quæ ferro fit, in tanto malo perficere auſus eſt. Annos XXVIII æger habebat, ſed ob diuturnos & vehementes dolores perpeſſos, *valde emaciatus ac pallidus.* Die XX. Sept. ei potiunculam laxantem mannatam pro præparatione cum modica diæta ordinavit, quæ etiam d. XXI. ventrem ejus probe evacuavit; ſanguinem vero ipſi non detraxit, quia jam ſatis debilis & emaciatus erat, ſed potius poſtea ei *potiunculam roborantem*, ut de hac craſtina die ante, in & poſt operationem ſubinde cochleare unum vel duo aſſumeret. Die autem XXII ipſam hanc actionem mane in ipſo eadem ratione ſuſcepit, ut in ægro præcedenti, relicto ſcilicet, & non mox reſecto, teſticulo probe ligato, eumque eodem quoque modo deligavit.

## §. XXXIII.

Symptomata hujus

Veſperi autem faſcia & *ſplenia ſanguine imbuta erant;* attamen quia ſanguis jam coagulatus, & æger non debilior, quam antea erat, faſciam non ſolvi voluit D. *Præſes;* ſed ſuaſit, ut æger ſe tantum quietum contineret, eique *emulſionem* eamdem, quæ p. 31. deſcripta eſt, ordinavit, ut de hac ſæpe pro ſiti & pro lubitu hauſtum ſumeret, & noctu chirurgum ac ſtudioſum apud ipſum reliquit, qui vigilias agerent; quo facto *ſanguinis fluxus ſubſtitit*, & ſatis bene hac nocte dormivit. Die XXIII Sept. faſciam primam caute ac blande removeri curavit, vulnus a cruore ſpleniis & linamentis carptis, quæ ſoluta erant, purgari, atque nova linamenta ac ſplenia loco remotorum applicari, eaque rurſus nova faſcia firmari juſſit. Nocte ſubſequente & die 24. Sept. teſticulus adhuc cum funiculo ſuo cohærebat, ſed *cruor aquoſus adhuc nova ſplenia* penetraverat, unde æger valde debilitatus erat: attamen ab emulſione illa, de qua libras duas ad tres his ſingulis diebus conſumſerat, egregie rurſus roboratus eſt. Die 25. faſcia non eſt ſoluta, quia ſanguis ſtetit, eoque die non niſi emulſione illa uſus eſt, ubi vero ob ſitim magnam tres ad quatuor libras magna cum voluptate bibit, ſine ullo indicio alicujus ſtuporis vel ſomni præter naturam; ſed hilaris & alacris hoc die fuit, nihil tamen aliud comedere aut bibere voluit, quam hanc emulſionem: atque hac nocte bene ac naturaliter dormivit, & mane robuſtiorem ſe rurſus ſenſit. Die 26. Sept. faſcia rurſus eſt ſoluta & ſplenia cum linamentis omnibus e vulnere remota ſunt; ubi demum teſticulum hunc corruptum ſcalpello a funiculo ſeminali reſecavit D. *Præſes*, & quamvis hic vaſa ſanguifera ſupra ligaturam valde fuerint tumida, tamen ne cochleare ſanguinis e funiculo hoc diſſecto effluxit, præſertim cum antequam teſticulum reſecuerit, adhuc novam ligaturam eo in loco, ubi prior erat, cum filo robuſto duplici ei injecerit, & poſtea vulneri novis linamentis ac ſpleniis proſpexerit. Emulſionem illam hoc die adhuc ad quatuor libras uſque, quia eam

am amabat & valde ſitiebat, bibere continuavit, atque ſuavitatem ejus ſemper laudavit; ſequente nocte optime dormivit, & mane lætus ac hilaris fuit, ſine ullo ſopore aut ſomnolentia præter naturam: unde D. *Præſes*, quia alias jam idem notavit, *ſemen hujus papaveris* albi, cujus ſuccum ſive lac in emulſione intra quinque dies ex integra circiter ſeminis libra aſſumſerat, & nullum etiam ſomnum præter naturam huic ægro induxerat, ſed egregie ipſum ſemper refecerat, non adeo noxium eſſe medicamentum judicavit, quam multi perhibent, & nullam vim narcoticam ipſi jure adſcribi poſſe, hoc rurſus exemplo vidit: quod propterea cumprimis hic notare voluit, quia quidam medici in uſu hujus ſeminis in emulſione adeo timidi fuerint, ut in conſultationibus cum ipſis ne quidem ℥ß admittere voluerint & ultra ℥ij. aſcendere noluerint; cum tamen temperando, roborando & nutriendo egregias vires hic exeruerit. Die XXVII. faſciam non mutavit, quia neque ſanguis, neque ſerum, aut aquoſi liquoris aliquid eam penetraverat, & interea temporis etiam nihil febrilis ſenſit, ſed bene ſe habuit, & continuando emulſionem die XXVIII. Sept. tam bene ſe habuit, ut mane ſolus e lecto ſurrexerit, & ultra horam in ſedili ſedere potuerit, ubi etiam denuo deligatus eſt, & ſic etiam die XXIX, qui octavus erat ab operatione, ubi deprehendebatur fila, quibus ligatura funiculi ſeminalis facta erat, ſponte decidiſſe, ſine ulla hæmorrhagia aut alio incommodo: & funiculum hunc, qui antea ſemper adhuc ſolito craſſior erat, ita detumuiſſe, uti in ſtatu naturali alias eſſe ſolet.

## §. XXXIV.

*Continuata* itaque eſt deligatio *ope unguenti digeſtivi & fomenti ſupra memorati.* Die XXX autem Sept. per totum fere diem extra lectum ſine omni incommodo manere potuit, atque cum primis ſex diebus ſola emulſione pro cibo & potu ex propria voluntate uſus eſſet, die ſeptimo & octavo juſculis pro cibo & aqua pro potu uſus eſt; die nono phaſeolos etiam recentes & duas aviculas comedit. Poſtea ſingulis diebus ita deligatus eſt uſque ad diem octavum Octobris, a quo tempore *alternis* tantum deligatio iterata, & fomentatio, quia nulla amplius aderat inflammatio, omiſſa eſt, atque ſicca tantum ſplenia ſuper impoſita ſunt. Die XII. Octobr. tam bene jam ſeſe habuit, ut in publicum prodeambulaverit, id quod poſtea quotidie ita fecit. Die vero XVI. Octobris *loco ung. digeſtivi*, cum vulnus probe mundatum videretur, *balſamo copaivæ* & emplaſtro de minio camphorato deligatum eſt, uſque ad finem Octobris; ubi vulnus maxima ex parte glutinatum erat; & tunc pro vulnere exſiccando *linimentis* carptis aridis & prædicto emplaſtro; quibus circa medium Novembr. omnino glutinatum erat; & qui ſumme debilis, cum huc veniſſet, & initio etiam curationis fuerat æger, die XX. Novembris ſanus & vegetus domum reverſus eſt. Curatio vulneris

§ XXXV.

## §. XXXV.

De ſarcocele cum funiculo ſeminali ſcirrhoſo.

Poſſem nunc adhuc etiam agere de *illis ſpeciebus ſarcoceles complicatis*, ubi ſimul totus funiculus ſeminalis in ſcirrhum mutatus eſt, & ſic durities a teſticulo ad annulum, vel ipſum abdominis cavum ſe extendit, quales aliquot etiam vidit D. *Præſes*; & ego jam ſupra p. 12. de eo dixi; verum quia hos caſus pro maxime periculoſis habet, eoſque nunquam curandos ſuſcipere voluit, ego etiam de his plura hic non dicam.

## §. XXXVI.

Deſcribuntur etiam a quibuſdam *alia vitia*, ubi totum ſcrotum valde magnum & durum factum eſt pro *ſarcocele*, ſicuti ejuſmodi exemplum prodigioſum in actis Acad. Scient. Pariſ. a. 1711 indicatur, quod 60 libras pependit in homine malabaro in India viſum, & Pariſios tranſcriptum; quod vero deinde etjam *Dioniſius*, chirurgus Gallus celebris, altera & hanc ſequentibus editionibus operationum chirurgicarum, ubi de ſarcocele agit, retulit, & in *icone* hunc caſum ſimul delineatum exhibuit. Alium valde magnum ultra genua dependentem *Ettmullerus* filius 1723 in programmate quodam, quod Lipſiæ edidit, delineavit, etiamque rurſus *Waltherus* in Act. Erud. Lipſ. 1725. p. 492 deſcripſit, cui pondus quadraginta librarum; & *Cheſeldenus* Anglus in anatomia ſua edit. III. quoque ejuſmodi exhibuit p. 285. Quæ vero num veræ ſarcocelæ ſive teſticuli ſcirrhoſi fuerint D. *Præſes* dubitat, ſed *pro ſcroti peculiaribus morbis* habet: cumprimis quia pleraque aut nullum horum malorum vel in vivis, vel in mortuis, *Waltheriano* excepto, inciſum, & eorum natura rite explorata eſt.

## §. XXXVII.

Ita etiam varii & cumprimis quoque *Dionis* loco citato, ſarcoceles *non pro ſcirrhis teſticulorum* habere, ſed *pro excreſcentiis* ex teſticulis, quæ inæquales eſſent, & ex inæqualitate ac duritie has cognoſci, atque a ceteris herniis diſtingui vult; cum tamen teſticuli ſcirrhoſi longe frequentiores ſint excreſcentiis e teſticulis: & deinde etiam ſarcocelæ pleræque non gibboſæ, ſed vel rotundæ vel ovatæ & æquales ſint, ſicuti ex figuris noſtris & ex ipſis ejuſmodi exſectis teſticulis videri poteſt. Nihil etiam plus hic de *abſona illa curatione ſarcoceles Dionis dicam*, qui ſcrotum potius *cauſticis* aperiri vult, quam ſcalpello; cum tamen ſarcocele vix & nonniſi centuplo majoribus doloribus cauſticis e ſcroto tolli poſſit, quam ſcalpellum facit.

EXPLI-

## EXPLICATIO TABULÆ ÆNEÆ.

*Fig.* I. eſt teſticulus ſcirrhoſus & exulceratus §. XXIII. deſcriptus, in quo pars ejus ſuperior & anterior A B C D præcipue exulcerata erat. E F funiculus ſeminalis tumidus ac diſſectus, in quo vaſa ſpermatica conſpiciebantur aperta. G H I pars ejus inferior magis integra.

*Fig.* II. Teſticulus ſcirrhoſus major exciſus §. XXV ad XXVIII expoſitus, tranſverſim hic poſitus. B C D E indicant tunicam ejus celluloſam, qua adhuc maximam partem cinctus eſt; a a a a a a tunicam ejus propriam ſive albugineam. A A inciſionem ſtudio factam, ad interiorem teſticuli hujus ſubſtantiam vaſculoſam explorandam.

*Fig.* III. Teſticulus ille ſcirrhoſus, §. XXIX deſcriptus tranſverſim quoque ſitus. A B C teſticulus ipſe nudus alba tunica ſolum cinctus. D E F involucra exteriora ei adhuc adhærentia.

*Fig.* IV. Teſticulum ſcirrhoſum maximum inter hos repræſentat §. XXXII explanatus. A B C D corpus & figura ejus fere ſphærica. D E funiculus ſpermaticus, cum vaſis ſuis conſpicuis.

## LXXVII.

# CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED

## *PROGRAMMA.*

## DE NECESSITATE EXTIRPANDI HERNIAS SPURIAS MAJORES IMPRIMIS HYDROCELEM ET SARCOCELEM VEL HYDROSARCOCELEM.

Jenæ 19 Octobris anno 1749.

---

Tumores abdominis ab inteſtinis vel omento prolapſis oriundos vocari hernias veras & diverſa vel ab umbilico, vel a ſcroto vel ab inguine, in quibus maxime oriuntur, ſortiri nomina, in vulgus notum eſt. Nec latet, eas hernias, quæ non ab inteſtinis vel omento prolapſis proveniunt, ſed aliam cauſam in ipſa parte affecta hærentem agnoſcunt, ſub ſpuriarum nomine venire. Inter has hydrocele ſarcocele pneumatocele & varicocele referendæ, ubi nimirum humores extravaſati vel caro luxurians imo ſcirrhus vel aer contentus aut venæ ſpermaticæ dilatatæ ejuſmodi tumores hernioſos edunt. Arctioribus circumſcripti cancellis in diverſiſſimas earum vel internas vel externas vel utraſque ſimul præſentes cauſas inquirere nec inſtituti ratione adducimur, cum tot etiam ſolidiſſima proſtent ſcripta, quæ ſatis clare ac perſpicue herniarum hiſtoriam & curam tradunt.

Ex noſtro inſtituto hoc ſaltem invitationi ſolemni præmittere volui, ut quædam moneam de neceſſitate extirpationis ejuſmodi herniarum ſpuriarum majorum aquoſarum vel carnearum per operationem chirurgicam.

Quam plurimæ mihi obvenere ejuſmodi herniæ ſpuriæ in praxi chirurgica, quæ multos antea & medicos & chirurgos deceperunt, ut neſcii, ad quam herniarum ſpeciem referri debeant, in diverſas abierint ſententias ægroſque animo fluctuantes triſteſque reliquerint.

Nec mirum: tantam enim ejuſmodi herniæ ſpuriæ majores quandoque monſtrant duritiem, ut ſagaciſſimo etiam practico difficile ſit cognitu, an a contentis aquis an a latente aere vel ſcirrho, aut carne luxuriante tenſio integumentorum & tumor proveniat: cum autem aer contentus nunquam tenſione ſua tantam mentiatur duritiem ac humores extravaſati, utraque ſpecies autem pelluciditatem herniæ rariſſime amit-

amittat, expertum magis practicum fugere non poteſt facultas diſcernendi herniam & aquoſam & ventoſam inter ſe & eaſdem a ſarcocele, vel hydro-ſarcocele, in qua nimirum ultima ſcirrhus vel caro luxurians cum humoribus extravaſatis ſimul latent, quæ nimirum omni pelluciditate ſunt deſtituti. Accedit & hoc, quod in hernia carnoſa nunquam ſuperficies ab omni parte tam æqualis ſit, ac in hernia aquoſa vel ventoſa. Quæcumque autem in cognoſcendis atque dijudicandis differentiis herniarum intercedat difficultas, etiam ſine intimiori perſcrutatione extirpationem hanc ſuſcipiendam eſſe, neceſſitas poſtulat. Aut enim ſcirrhus in hernia majore latet, hic nullam admittit aliam medelam, quam operationem chirurgicam. Tot ubique annorum experientia comprobatum eſt, omnem ſcirrhum, etiam per longiſſimum temporis ſpatium morigerum, tandem in cancrum degenerari, carnemque luxuriantem in ulcus fætidum abire, niſi extirpatio prævenerit, quis ergo neceſſitatem hujus negaverit? Et aquoſam ejuſmodi herniam ubi tamen ſtatum cachecticum vel hydropicum, & hinc hydrocelen ſymptomaticam excipio, quippe quæ & extirpata ægro ſanitatem nondum promittit, operationem poſtulare ſeu potius extirpationem, inde concludo. Quoties ejuſmodi hernia ſibi fuit relicta, corruptio humorum extravaſatorum dira produxit ſymptomata, id quod a priori etiam patet, cum humores ſeroſi & lymphatici tardius quidem corruptioni ſint obnoxii ſtagnantes, nunquam tamen ab ea vacui. Et quamvis decies tentata fuerit paracentheſis in hernia aquoſa, ita tamen recruduit, ut ſaltem quod aiunt, palliative levamen ægro acceſſerit, nunquam hydrocele radicitus fuerit fugata. Toties igitur aliorum ſiniſtre ceſſorum exemplorum diſcrimine monitus & experientia edoctus ſuadeo, ut majores ejuſmodi herniæ ſpuriæ, ſive carnoſæ ſive aquoſæ, operationi committantur chirurgicæ, ne fruſtra tentatis aliis remediis tempeſtivæ extirpationi aptum conſumatur tempus, ac mora intempeſtiva debita præripiatur medela. Hinc, etſi ſupra adducta ſigna evincere poſſint, qua æger laboret hernia, dubium tamen etiam medicum neceſſitas extirpationis non fugiet, cum utrique extirpatio optimam & certiſſimam ſpondeat curam. Duo extirpatorum ejuſmodi teſticulorum ſchemata exhibere volui, ubi hydro-ſarcocele operationem poſtulavit, quorum minorem ante 5. ſeptimanas extirpavi, ægrumque curatum ante 14. dies ſanatum dimiſi.

*F I N I S.*

# EXPLICATIO FIGURARUM.

## Fig. A.

*Exhibet teſticulum, cujus pondus libram unam cum dimidia fere ſuperat.*

A *Significat aperturam ante extirpationem factam, per quam aquarum contentarum eduxi uncias VI.*


B *Innuit ligationem proceſſus peritonæi.*

## Fig. B.

*Monſtrat teſticulum fere totum aquoſum ante aliquot ſeptimanas extirpatum, ubi vaſa admodum turgida in ſuperficie delineata neceſſitatem extirpationis oſtendunt, imminente nimirum inflammatione.*

DISSER-

Tab. XXI.




*Disp. Chirurg. Tom. III. KALTSCHMIED DE NECESSITATE EXTIRPANDI HERNIAS. pag. 380.*

LXXVIII.

# DISSERTATIO

## *MEDICO-CHIRURGICA*

DE

NECESSARIA IN PRÆTERNATURALI

PARTU INSTRUMENTORUM APPLICATIONE.

*Quam tuebatur*

JOAN. ANDREAS DEISCH,

*AUGUSTANUS.*

Argentorati 9 Aug. anno 1740.

§ I.

DE partu præternaturali diſſerenti incumbit, deſcriptionem partus naturalis præmittere, ut eo melius partus p. n. concipi queat. Eſt autem partus naturalis ille ſitus infantis, ubi caput, pedes vel nates, tali modo orificio uteri, aperturæ ſuperiori pelvis & vaginæ incumbunt, ut contractione diaphragmatis, muſculorum abdominis, uteri, mole & motu fetus ſtimulatorum, ruptis membranis, excluſio illius abſque adjumento manus obſtetricantis, una cum ſecundinis fiat.

§. I I.

Pelvis vocatur illa cavitas ab oſſibus coxæ, oſſe ſacro & coccygis, partim ſymphyſi cartilaginoſa, partim ſymphyſi oſſificationis cum ſe invicem connexis formata. Utraque oſſa coxæ componuntur, a tribus oſſibus, in infantibus ſymphyſi cartilaginoſa, in adultis vero ſymphyſi oſſificationis inter ſe junctis. Quæ in facie externa ſuo concurſu acetabulum oſſis femoris, in interna vero maximam partem pelvis conſtituunt. Hæc oſſa ſeorſim ſumta, ſub nomine oſſium ilei, iſchii & pubis veniunt. Os ſacrum eſt illud os, partibus oſſium ilei lateralibus ſymphyſi cartilaginoſa junctum, & figuram trianguli referens; in quo notandum baſis ſeu pars ſuperior, vertex ſ. inferior, facies anterior ſ. concava, facies poſterior ſ. convexa; in infantibus ex quinque componitur oſſibus, adultis in unum ſymphyſi oſſificationis coalitis; in parte inferiore ſeu vertice invenitur os coccygis e quatuor vel quinque oſſiculis partim ligamentis, partim ſymphyſi cartilaginoſa & oſſificationis inter ſe junctis, conflatum. Eam ob cauſam aliquo motu gaudet, præſertim in partu. Prolixior horum oſſium deſcriptio videatur apud *Winslow Traité des oſſets N.* 508. *ad N.* 517. *& N.* 573. *ad N.* 605. & *Deventer in novo lumine obſtetricant. Edit. Lugd. Batav. pag.* 14. *& ſequent.*

§. I I I.

Dividitur autem pelvis in partem ſuperiorem ſeu largam, ſolummodo a parte ſuperiore oſſium ilei formatam, & in inferiorem ſ. fundum ab oſſibus, ilei, iſchii, pubis, ſacro & coccygis compoſitam. In arte obſtetricia ad meliorem ſitus infantis cognitionem, aliter adhuc dividi poteſt pars inferior ſ. fundus pelvis, nempe ( 1 ) in aperturam ſuperiorem, ubi notanda poſterius ( a ) portio ſuperior ſ. baſis oſſis ſacri; ad latera ( b ) linea prominens a ſymphyſi cartilaginoſa oſſium ilei cum oſſe ſacro, uſque ad eminentiam obliquam ſymphyſi oſſificationis oſſis ilei & pubis formatam tendens, & partem largam pelvis a fundo diſcernens. ( 2 ) In partem pelvis mediam poſterius

por-

portione media oſſis ſacri, ad latera baſibus oſſium ilei & corporibus iſchii, una cum eorum ſpinis, anterius vero corporibus & angulis oſſium pubis conflatam. (3) In aperturam inferiorem, poſterius a vertice oſſis ſacri, ad latera tuberoſitatibus oſſium iſchii, anterius ramis iſchii & pubis compoſitam.

§. IV.

Ad meliorem pelvis cognitionem ejus differentia ſpecifica cum pelvi virili adhuc præmittenda erit. Differunt autem oſſa pelvis muliebris ab oſſibus pelvis virilis in eo, (1) os ſacrum mulierum magis retrorſum inclinatur, (2) oſſa ilei magis a ſe invicem diſtant, (3) apertura pelvis ſuperior (§. 3. n. 1.) aliquomodo ad figuram ellipticam accedit. (4) Tuberoſitates oſſium iſchii non tantum introrſum verſæ ſunt, uti in viris, ſed extrorſum, eo majorem pelvi capacitatem conciliantes. (5) Rami iſchii & pubis majorem arcum formant & magis a ſe invicem recedunt, uti hoc facile in omnibus ſceletis obſervari poteſt.

§. V.

Hæc oſſa interdum in partu difficili in junioribus a ſe invicem recedunt, & capacitatem pelvis adaugent; uti hoc *Riolan. Antrop. lib. VI. cap. XII. Spigelius de hum. corp. Fabric. lib. II. cap. XXIV. Paræus lib. XXIV. cap. XI. Guillemeau lib. II. cap. I. Thom. Bartholin. anat. lib. IV. cap. XVI. Harvejus de generat. animal. exercitat. LVII. Stalpart van der Wiel obſerv. centur. I. obſerv. LXVI. Diemerbrock anat. lib. IX. cap. XVI. Deventer obſerv. ſur les accouch. cap. III. & Peu pratique des accouchemens cap. XII. Verdieux abregé de l'anatomie du corps humain pag.* 106. *& ſequent.* deſcribunt; ego ipſe quod hunc caſum concernit, obſervavi una cum experientiſſimo D. Dr. *Saſchio*, Rei obſtetriciæ Argentinenſis adjuncto meritiſſimo, fautore meo omni honoris cultu proſequendo, in cadavere puerperæ in theatro anatomico diſſecto, menſe Decembri anni præterlapſi, oſſa pubis ad tres circiter lineas a ſe invicem diſtantia, ita ut digitis facile introrſum & extrorſum premi potuerint. Negari attamen haud poteſt, horum oſſium receſſus facilius & ſæpius, in rachitide laborantibus Gallice nouées, quam in aliis ſubjectis contingere.

§. VI.

Ex hac pelvis deſcriptione (§. 2. 3. 4.) malam oſſium pelvis conformationem facile detegere licet; oſſe enim ſacro in facie concava nimis introrſum verſo, oſſibus ilei, tuberoſitatibus ramiſque oſſium iſchii & pubis nimis introrſum poſitis, capacitas pelvis ita imminuitur, ut capiti infantis nullo modo exitus concedatur, neceſſarioque partus præternaturalis, ex hac mala conformatione oriatur.

§. VII.

§. VII.

Variæ interim partes in hac pelvi locantur. e. g. veſica urinaria, ad faciem internam angulorum oſſium pubis ſita, uterus, ejus ligamenta, ovaria, tubæ Fallopianæ, vagina inter veſicam & inteſtinum rectum ſita; inteſtinum rectum cum ſuis muſculis, vaſa tam arterioſa, quam venoſa, nervi, muſculi.

§. VIII.

Omnes has partes (§. 7. ſpeciatim deſcribere nimis prolixum foret, itaque de utero, ejus vagina, ut & de partibus cum illis connexis, quarum cognitio in arte obſtetricali maxime neceſſaria, aliquid dicendum erit.

§. IX.

Eſt autem uterus corpus cavum, molle, pulpoſum, copioſiſſimis vaſis inſtructum, facile extenſile, valde elaſticum, in pelvi inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum, in non gravidis, ſatis libere abſque firmiore adnexu ligamentoſo ſitum, nec multum preſſum, dum expanſa peritonæi membrana defenditur. Gaudet figura turbinata, membranis & fibris ſubſtantiam quandam ſpongioſam formantibus, quibus vaſa ſanguifera copioſiſſima intertexta ſunt, ita ut uterus præprimis in gravidis totus quantus vaſis conſtare videatur. Vaſa arterioſa accipit uterus partim ab arteriis ſpermaticis, partim vero ab hypogaſtricis ſ. iliacis internis, ut & nonnullos ſurculos ab arteria pudenda externa a crurali proveniente. Vaſa venoſa oriuntur vel a venis ſpermaticis vel a venis pudendis externis, quoad maximam partem vero a venis hypogaſtricis ſ. iliacis internis ſub nomine venarum pudendarum hypogaſtricarum venientia, copioſos inflexus, anaſtomoſes & plexus reticulares uti arteriæ formantia, valvuliſque carentia, cum venis hæmorrhoidalibus internis ac per conſequens cum vena portæ communicantia. Nervi ad uterum tendentes proveniunt a lumbaribus, ſacris, & plexu hypogaſtrico, a nervo ſympathetico magno ſ. intercoſtali formato.

§. X.

Dividitur uterus (1) in fundum (2) partem mediam ſ. corpus, & (3) cervicem ſ. collum uteri. Fundus uteri eſt pars ejus concava craſſa, in qua notandæ fibræ circulares a Cl. *Ruyſchio* pro muſculo habitæ, vid. ejus tractatum de muſculo in fundo uteri reperto. Corpus ſeu pars media, ſitum eſt inter fundum & cervicem maximam partem cavitatis uteri conſtituens. In ſuperficie ſua interna inveſtitur membrana valde tenui, multis foraminulis pertuſa. Magnitudo hujus cavitatis in virginibus uti rima apparet, in gravi-

dis vero valde adaugetur. Cervix ſ. collum uteri, eſt ejus pars inferior, cum parte vaginæ ſuperiore connexa; in qua notandum (1) orificium uteri, cum fiſſura tranſverſali, & labris nempe inferiore & ſuperiore, dividitur itidem in orificium internum cavitatem uteri reſpiciens, circa quod parvæ lacunæ & granula globoſo glanduloſa, humorem mucoſum ſecernentia reperiuntur & in externum ad vaginam uteri tendens (2) globus tanquam pars a vagina circumducta, ubi monendum, quod majorem aream in parte poſteriore quam anteriore conſtituat.

## §. XI.

Ligamentorum uteri vulgo duo paria numerantur, nempe lata & rotunda; ligamenta uteri lata ſunt, duplicatura ſubſtantiæ membranaceæ peritonæi, ſubſtantia cellulari intertexta, adnectuntur parti laterali uteri, & portioni muſculi pſoas ad corpora vertebrarum lumbarium reſpicienti. Inter duplicaturam horum ligamentorum locantur ligamenta rotunda, quorum fabrica congeriem ſiſtit vaſorum cum vaſis, uteri communicantium, adeoque improprie ligamenta vocantur. Tubæ Fallopianæ ſunt duo canales molliuſculi, conici & vermiformes, in hemicyclos flexi, duabus extremitatibus gaudentes, altera valde anguſta, angulo fundi uteri in quovis latere adnexa & orificio vix ſetam admittente, in cavitatem uteri hiante; inde augetur gradatim diameter tubarum, deſinuntque hæ tubæ in alteram extremitatem multo latiorem, orificio amplo gaudentem, fimbriiſque membranoſo carneis circumpoſitis ornatam, & utrinque verſus ovarium recurvatam. Ovaria, teſticuli quoque muliebres dicta, ſunt duo corpora albicantia, ovalia, complanata, & longiuſcula, ad latera uteri ſita, uteroque per duo valida ligamenta ad diſtantiam binorum circiter pollicum in duplicatura pinnæ poſterioris ligamenti uteri lati annexa. Componuntur texto ſpongioſo admodum ſtricto, pluribuſque ſphærulis ſ. veſiculis valde pellucidis, hicque apparatus totus quantus involvitur membrana quadam communi. Dictæ ſphærulæ reperiuntur potiſſime in ſuperficie ovariorum, quorum ſubſtantiæ ſpongioſæ ita adnectuntur, ut hæc illis corticem quaſi ſ. ſpeciem alicujus calicis ſpongioſi largiatur, cui ſphærulæ inſident; hæ ſphærulæ repletæ ſunt humore lymphatico ad ignem inſtar albuminis ovi concreſcente, atque duabus gaudent membranulis concentricis, ſibi invicem arctiſſime nexis. Adhærent calice ſuo extremitatibus minutiſſimis vaſorum, §. 9. enumeratorum; atque fere non niſi poſt uſum veneris apparent, (cum in fœminis a mare penitus ſeparatis & in vetulis vix conſpiciantur) dein intumeſcunt ſenſim ſenſimque & magis pellucent, hinc craſſiores evadunt, & in formam papillæ ſic dilatant membranam ovarii, ut ovula ultra ejus ſuperficiem emineant, a pedunculo ſuo pendeant, ac poſtmodum ab ovario ſeparentur, in cujus ſubſtantia, effracta membrana, cicatriculam cavam ſenſim iterum coaleſcentem relinquant.

§. XII.

Vagina uteri eſt canalis membranoſo-muſculoſus, a partibus genitalibus externis ad cervicem ſ. globum uteri inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum tendens, in virginibus longior & anguſtior, in mulieribus vero brevior & largior exiſtens; ſitus ejus eſt aliquomodo obliquus, ita ut magis elevata ſit in parte poſteriore & interna, quam anteriore & externa. Extremitas ſ. pars poſterior unitur corpori ſ. globo uteri (§. 10.) ubi adhuc notandum, quod paries vaginæ inteſtino recto incumbens magis ab orificio diſtet, quam ille paries ad veſicam ſitus. Corpus ſ. pars vaginæ media conflatur textura ſpongioſa multis vaſis ſanguiferis intertexta, in ipſius concavitate multæ inveniuntur rugæ plus minus tranſverſales, propria membrana inveſtitæ; in convexitate vero plexus vaſculoſi rete mirabile æmulantes. Extremitas anterior format introitum vaginæ, infra orificium urethræ & ſupra foſſulam commiſſuræ inferioris alarum ſ. labiorum vulvæ ſitum. Circa has partes multæ adſunt lacunæ liquorem mucoſum & ſebaceum pro lubricatione vaginæ excernentes.

§. XIII.

Ad partes in arte obſtetricali ſcitu neceſſarias etiam referuntur perinæum, labia ſ. alæ pudendorum, pubes, frænulum, foſſula navicularis, orificium urethræ, hymen, clitoris, nymphæ, carunculæ myrtiformes, placenta uteri, funiculus umbilicalis, membranæ.

§. IV.

Perinæum eſt ſpatium inter orificium ani & commiſſuram alarum inferiorem. Labia ſ. alæ pudendorum ſunt productiones cutis, textura ſpongioſa & adipe compoſitæ, a pube verſus perinæum tendentes, & ſinum ſ. cavitatem longiuſculam a parte media & inferiore pubis, uſque ad perinæum formantes; concurſus harum alarum vocantur commiſſuræ, quæ iterum dividuntur in commiſſuram ſuperiorem & inferiorem. Pubes eſt eminentia larga in parte inferiore regionis hypogaſtricæ; frænulum eſt ſpecies ligamenti membranacei, a commiſſura alarum inferiore formati, foſſulam navicularem cum partibus vicinis conſtituens. Foſſula navicularis eſt cavitas a frænulo & introitu vaginæ formata; hæ duæ partes frænulum & foſſula navicularis poſt primum partum evaneſcunt. Clitoris eſt eminentia glandem referens, ſita infra commiſſuram labiorum ſuperiorem, cum præputio ſuo a replicatione cutis alarum internæ formato. Nymphæ ſunt replicationes prominentes cutis internæ alarum, a præputio clitoridis ad utraque latera introitus vaginæ tendentes; orificium urethræ eſt prominentia in intervallo nympharum & infra clitoridem ſita; hymen eſt membrana modo circularis, mo-

do ſemilunaris, in virginibus introitum vaginæ coarctans, a concurſu membranæ internæ vaginæ cum membrana ſ. cute interna alarum formata. Carunculæ ſunt partes irregulares dilacerati hymenis; ſpecialiorem deſcriptionem harum partium dedit *Winslow Traité du bas ventre N.* 624. *& ſeq.*

§. XV.

Placenta eſt corpus innumerabilibus arteriis, venis, vaſis & folliculis lymphaticis compoſitum, utraque ſua ſuperficie a chorio tectum, dividitur in partem convexam ordinarie fundo uteri adnexam, & concavam, e cujus medio vena umbilicalis & düæ arteriæ ejuſdem nominis proveniunt; funiculus umbilicalis eſt chorda e medio placentæ ad umbilicum infantis tendens; componitur e duabus arteriis ab arteriis fetus hypogaſtricis, & una vena e medio placentæ provenientibus, vaginæque a chorio & amnio formatæ incluſis, cujus longitudo variat. Membranæ ſunt continuationes tunicarum ovuli, placentam in utraque ſuperficie inveſtientes, & ſaccum quendam, fetum & ejus aquas continentem formantes. Dividuntur communiter in duas laminas, externam chorion, internam amnios vocatas.

§. XVI.

Partus præternaturalis vocatur impedita fetus excluſio, ubi quidem dolores vehementiſſimi adſunt, attamen aut ob malam oſſium pelvis formationem (§. 6.) aut ob ſitum infantuli perverſum, ingreſſum capitis, pedum vel natum in pelvim a linea recta deflectentem, vel ob ipſam fetus defigurationem, ille nullo modo naſci poteſt, niſi auxiliatrix manus obſtetricans ei certis encheiriſibus exitum conciliet.

§. XVII.

Situs infantis in utero debitus partum felicem & naturalem efficiens eſt, quando infans capite orificio uteri & aperturæ pelvis in recta linea incumbit humeri verſus oſſa ilei ponuntur, pedes vel nates pelvim in linea recta ingrediuntur. In his jam memoratis caſibus infans naſci poteſt, in omnibus vero aliis his contrariis infans naturaliter i. e. ſine adjumento artificiali naſci non poteſt. Ex hac deſcriptione facile patebit quod, quo magis ſitus perverſus (elucet enim hic, contraria ſi conſideremus) a ſitu naturali recedit eo difficilior ſit partus præternaturalis.

§. XVIII.

Cauſæ hujus ſitus dependent maxima parte a ſitu uteri obliquo, ſitus vero hic obliquus non dependet a ligamentis propter facultatem extenſivam

laxa-

laxatis uti Cl. *D. Deventer in jam citato libro Cap. XI.* dicit, alias in talibus gravidis omni tempore graviditatis uterus obliquus neceſſario etiam ſitum infantis obliquum, & partum præternaturalem efficere deberet, quod tamen experientiæ contrariatur; inveniuntur enim mulieres, quæ jam aliquot infantes partu naturali in lucem ediderunt, interim a ſitu infantis obliquo & partu præternaturali non immunes vivunt; cauſa igitur hujus mali in alio loco quærenda erit.

## §. XIX.

Eſt autem cauſa ſitus uteri obliqui probabiliter hæc: ovulum coitu prolifero animatum, ab ovario ſeparatum (§. 11.) in cavitatem uteri per tubam Fallopianam allatum, cum calice ſuo contractione uteri æquabili, fundo illius implantatur & accreſcit, ex quo placenta uteri una cum funiculo umbilicali oritur, hac placenta in medio fundi uteri hærente, ob ejus gravitatem uterus in ſitu erecto tenetur, etſi gravida motibus corporis ſui uterum gravidum in unum vel alterum latus pellat, & ſitum obliquum aliquomodo illi conciliet, in hoc tamen permanere nequit ob pondus placentæ in medio uteri ſitæ; hoc calice ovuli impraegnati vero, vel ob contractionem uteri inæqualem, vel ob ſitum impraegnatæ ſtatim poſt coitum inquietum, non fundo ſed lateri cuidam uteri implantato & accreſcente, uterus ejus orificium una cum infante, creſcente placenta, a linea recta ad ſitum obliquum perducitur, neceſſario tempore partus caput infantis vel oſſi pubis vel oſſi ſacro, vel lineæ prominenti oſſis ilei (§. 3. N. 1.) apprimitur, eo ipſo exitus infantis difficilis imo impoſſibilis redditur, niſi manus obſtetricans hunc efficiat.

## §. XX.

Auxilium a manu obſtetricali in caſibus (§. 16.) annotatis proveniens, eſt duplex vel ſine vel cum inſtrumentis. Sine inſtrumentis hoc fieri poteſt, quando partes infantis nondum tali modo a doloribus in pelvim coactæ ſunt, ut immiſſio manus in uterum eo interdicatur, in hoc enim caſu infans verſione adhuc extrahi & a matre liberari poteſt; in altero vero caſu ubi introductio manus in cavitatem uteri a partibus infantis in pelvim preſſis penitus impeditur, ut & in defiguratione infantis, abruptione ejus capitis, applicatio inſtrumentorum, neceſſario requiritur ad conſervandam matris vitam.

## §. XXI.

Primus itaque caſus applicationem inſtrumentorum neceſſario requirens à mala formatione pelvis (§. 6.) tantum, vel etiam capitis infantis de-

pendet. Signa hujus mali ſunt ſequentia : infans, ſicuti in partu naturali, cum capite apparet, dolores adſunt, membranæ rumpuntur, aquæ contentæ exeunt, interim tamen caput infantis ſemper hæret ad aperturam pelvis ſuperiorem, ſine partus progreſſu, quando digitis tangitur, percipitur caput ab impedimento quodam retardari, & in exitu ſuo impediri, dolores interim adſunt modo vehementiores, per primum, ſecundum, tertium imo quartum diem durantes, attamen caput ſemper in exitu retardatur, vires parturientis proſternuntur, ſudores, lipothymiæ, convulſiones, imo ipſa mors accedunt, niſi infans a matre ſeparetur.

## §. XXII.

Cauſæ hujus mali quærendæ ſunt, ut jam dictum eſt, vel in mala pelvis formatione, vel in nimia capitis magnitudine (§. 21.); capite enim nimis magno exiſtente, citius illud a corpore diſcerpitur, quam extrahitur. Hæc extractio vero manu peragi non poteſt, capite jam totam pelvis capacitatem occupante, manuſque introductionem impediente; etſi hæc introductio poſſibilis eſſet, interim tamen caput per pelvim ob malam formationem tranſire nequit, itaque ad inſtrumenta confugiendum erit.

## §. XXIII.

Ad hanc extractionem (§. 22.) varia ab authoribus commendantur inſtrumenta, qualia ſunt hamuli vario modo incurvati, inſtrumentum a Mauriceau *tire-tête* vocatum; attamen omnia hæc inſtrumenta partim ob difficiliorem applicationem, partim etiam ob accidentia tali operationi ſupervenientia merito rejiciuntur. A vehementi enim adhibenda vi, in extractione capitis, magnitudine ſua nec apertione nec excerebratione cranii imminuti, facile contuſiones uteri, vaginæ, rupturæ perinæi, colli veſicæ, imo mors ipſa, ſuperatis multis doloribus parturienti cauſantur.

## §. XXIV.

Merito ab optimis rei obſtetricalis ſcriptoribus apertura & excerebratio cranii commendantur; hac enim encheireſi, magnitudo capitis multum imminuitur, partes non tam valide premuntur, inflammationes uteri, contuſiones vaginæ, rupturæ colli veſicæ & perinæi præcaventur. Ad hanc itaque operationem *Deventer l. c. pag.* 272. vulgarem cultrum inciſorium ſufficere exiſtimat, ſingularique inſtrumento non opus eſſe; van *Horn. in libello Siphra & Phua pag.* 201. aperturam cum forcipe & cultro communi, quorum apices abrupti erant, tentavit; la *Motte* cum cultro inciſorio vaginæ incluſo. Attamen omnia hæc inſtrumenta non tam ſecure applicari poſſunt, quia inſufficientem aperturam cranii, multo adhuc cum labore

labore efficiunt; ea ex cauſa artis obſtetricalis Magiſter & Practicus feliciſſimus *Dn. D. Fried.*, Patronus & Præceptor meus honoratiſſimus, inſtrumenta longe aptiora ſibi fabricari curavit. Sunt vero horum inſtrumenta tria; primum vulgo *trois-quarts* vocatum, eſt inſtrumentum, enſis laminæ ſimile, vaginis duplicibus orichalceis incluſum, quarum una mobilis, altera vero immobilis, lamina adnectitur vaginæ mobili mediante trochlea, ita ut apprehenſo quatuor digitis inſtrumenti manubrio, & applicato prominentiæ vaginæ mobilis pollice, lamina ad latitudinem quatuor vel quinque pollicum extrudi poſſit: longitudo hujus inſtrumenti cum ejus manubrio vix pedis longitudinem ſuperat, latitudo laminæ vero quinque circiter lineas habet. Secundum inſtrumentum eſt lamina ſeu ſerra manubrio inſtructa, longitudo hujus inſtrumenti quindecim pollices habet, ita ut manubrium ſex, lamina vero novem pollicibus gaudeat, in parte laminæ anteriore circiter ad 4. pollices adſunt dentes ſerrati, pars vero poſterior glabra & lævigata exiſtit; latitudo hujus laminæ e quinque lineis conſtat, denſitas vero ex duabus. Tertium inſtrumentum eſt cochlear in parte ſua concava dentibus in modum ſerræ poſitis inſtructum, longitudo ejus cum manubrio quatuordecim habet pollices, quorum decem manubrium quatuor vero cochlear componunt, latitudo hujus cochlearis duobus, altitudo uno cum dimidio gaudet pollicibus.

## §. XXV.

Non ſolum ad hanc extractionem (§. 22.) apta inſtrumenta, ſed etiam ſitus parturientis aptus requiritur. Hic ſitus vero ita ſe habeat, parturiens ponatur tranſverſaliter ſupra lectum, tali modo ut os ſacrum una cum tuberoſitatibus criſtarum oſſium ilei, margini lecti, culcitris firmioribus bene munito, incumbat, capite aliquo modo erecto, cruribus à ſe invicem ſeparatis & tali modo curvatis, ut plantæ pedum parturientis, femoribus, ad utraque latera obſtetricantis, aſſidentium, crura femoraque parturientis firmiter tenentium, nimiamque jactitationem corporis impedientium, innitantur; ſcapulæ & caput parturientis pulvinaribus & culcitris firmioribus probe muniantur, a tertia perſona, cujus utræque manus claviculis & pectori imponantur in eodem ſtatu conſerventur, ſimulque interdicatur, ne pars ſuperior corporis moveri queat. Parturiens ſic poſita obtegitur adhuc lodice duplicata à regione epigaſtrica uſque ad plantas pedum pendente, partim ad debitam verecundiam ſervandam, partim vero ad impediendum, ne aſſidentes videant, quomodo hæc operatio peragatur.

## §. XXVI.

Adhibitis his omnibus (§. 25.) obſtetricans locum ſuum inter has duas perſonas aſſidentes occupet, & bene obſervet, ut introitus vaginæ & brachium

chium ſuum in linea recta conſtitutum ſit, hoc enim non animadvertens nimis cito defatigatur, eoque ipſo in operatione impeditur; quod ſellam cui inſideat, attinet, probe attendat, ne nimis magna exiſtat, ut facile pedibus ad & ab ſe removeri poſſit, obſervatis etiam his, obſtetricans, digitorum tactu, ſitu infantis explorato, iiſque ad fontanellam ſeu verticem relictis, altera manu inſtrumento *trois-quarts* vocato (§. 24.) cum omni attentione per vaginam uteri ad caput allata aperiat cranium, in hanc aperturam immittat ſerram (§. 24) & mediante ea aperturam ampliet in forma trianguli, cujus baſis ſuperius, apex vero inferius ſit; triangulo hoc, pollice, in cavitatem cranii depreſſo, tentet digitis meninges dilacerare, quando vero meninges ob firmiorem ſuam texturam digitis dilacerari non poſſunt, introducat cochlear (§. 24.) parte concava, dentibus inſtructa ad volam manus verſa, in cavitatem cranii, cum hoc enim facile meninges dilacerare & cranium excerebrare poterit; excavato cranio, ejus oſſa ad ſe invicem comprimantur & caput, imminuta ejus magnitudine, una cum corpore extrahatur, extracto corpore infantis, ſeparatio ſecundinarum ſimul intendatur, qua peracta, puerpera in lectum puerperii, cortinis, ad arcendum lumen, bene munitum, ponatur; in primis tribus vel quatuor diebus omnes confabulationes interdicantur; ægrota juſculis carnium tenuiorum ſine pane nutriatur; partes genitales tumefactæ cataplaſmatibus reſolventibus & lenientibus tractentur; fluxus lochiorum promoveatur. His omnibus bene obſervatis ſpe lactari poſſumus, puerperam ſanam e puerperio reſurrecturam eſſe, uti hoc vidi in puerpera 22. annorum ob malam pelvis formationem & dolorum vehementiam convulſionibus correpta, a celeberrimo *D. Dr. Fried.*, Præceptore meo omni obſervantia colendo, præſentibus ſuis auditoribus in noſocomio hujus urbis civili, per operationem deſcriptam ab infante 1739. die 6. Januarii liberata, & intra ſpatium quinque hebdomadum integra reſtituta.

## §. XXVII.

Attamen aliquis mihi objiciet, eſne de morte infantuli certus necne? Infante enim adhuc vivente, eum operatione trucidas, homicidiumque committis. Antequam ad hanc objectionem reſpondeam, neceſſarium erit hanc quæſtionem formare: liceat ne ad conſervandam matrem caput infantis aperire; caput enim aperiendo, infans vivus adhuc exiſtens neceſſario trucidatur. Reſponſio objectionis invenitur in tractatu titulum gerente *Pratique des accouchemens par Mr.* Peu, *maitre chirurgien à Paris* 1694. *p.* 364. & 365. ex quo, reſponſum Doctorum Facultatis Theologicæ Collegii Navarræ Pariſiis huic diſſertationi inſeram: doctores ſubſignati prædictum remedium nefas capitale eſſe cenſent, cum directe tendat ad fetus animati occiſionem, ſicque etiam cooperetur innocentis neci, quod intrinſece malum eſt. Actum in Collegio Navarræ 25. Aprilis 1648.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Verum hoc eſt, & contra omnes leges tam Religionis quam Summorum Imperantium militat, infantem de cujus vita adhuc certa adſunt ſigna ad ſalvandam matrem occidere; interim in hoc caſu ſigna de vita infantis tam incerta ſunt, capite enim pelvim ingreſſo, aquiſque effluxis, infans a contractione uteri tali modo premitur, ut non amplius ſe movere queat; & licet ſe moveret, a matre partim ob dolorum vehementiam, partim ob convulſionum præſentiam non percipitur; introductio manus vero ad funiculum umbilicalem palpandum, a capite in pelvim firmiter preſſo in totum impeditur, arteriis enim umbilicalibus in ſyſtole & diaſtole adhuc conſtitutis, de ejus vita certi eſſe poſſumus, ſed in hoc caſu experiri non licet; alia vero ſigna valde dubia ſunt. Aggreditur itaque obſtetricans inſtrumentis, non infantem de cujus vita certus eſt, & ſicut in jure inculpatæ tutelæ permittitur, aggreſſorem mortem nobis minitantem, niſi depelli aliter poſſit, e medio tollere, cur non obſtetricans infantem tanquam aggreſſorem matris, non aliter depellendum, de cujus vita inſuper incertus eſt, ad vitam matris ſalvandam, e medio tollat.

§. XXIX.

Ad eumdem caſum (§. 22.) annumerari debet, caput infantis abruptum in utero remanens. Abrumpitur vero caput, quando infans pedibus vel reliquis corpuſculi ſui partibus prius naſcitur, caput vero ob malam pelvis formationem (§. 6.) aut ob ejus nimiam magnitudinem per cavitatem pelvis exire non poteſt, vel ob mortem infantis in utero jam prægreſſam, per adhibitam aliqualem vim in extractione a trunco ſeparatur. Ad hanc operationem, irritis omnibus adhibitis lenioribus encheireſibus, varia inſtrumenta ab autoribus deſcribuntur. Nonnulli forcipes in parte interna dentibus ferreis inſtructos, vel glabros ad caput extrahendum, uti *Puiſſeaux*, Palfin, alii vero ſicuti Amand & Gregoire ſacculum e filo ſerico fortiori in forma retis paratum, quinque annulis, in quibus reſticula ſerica, contractionem hujus ſacci promovens, inſtructum, cum inſtrumento hamo aliquomodo ſimili & inde *Hameçon* vocato, vid. *Amand Obſervations ſur la pratique des accouchemens à Paris.* 1714.; adhuc alii uti Mauriceau & Waldgrave faſciam cujus longitudo aliquot ulnas, latitudo vero quatuor digitos tranſverſales implet, ſuadent; tandem Dionis hamulos vel orbitæ vel foramini occipitali, vel auribus applicandos commendat.

## §. XXX.

Interim mox enarrata inſtrumenta minus apta ſunt magnitudinem capitis imminuendam, itaque van *Horn* & alii practici ſuadent, & quidem melius, apertionem capitis circa fontanellam, mediante cultello vel inſtrumento *trois-quarts* vocato (§. 24.) eam ob rationem, ut cerebrum ab oſſibus cranii preſſum exire, eo ipſo vero magnitudo capitis imminui poſſit; digitis faucibus immiſſis, pollice reliquæ parti colli applicato, extractio tentanda, ſi vero ob majorem reſiſtentiam, illa minus procedat, tunc fontanella, apertura oſſium cranii, in forma trianguli ſerra amplietur, depreſſa parte exſecta, in ipſam cavitatem cranii ne uterus lædatur, duobus digitis huic aperturæ immiſſis, iterum extractio tentanda, irritis etiam his encheireſibus, hamulus duabus curvaturis inſtructus, in canthis oculorum majoribus eſt firmandus, quando vero hamulus in canthis oculorum firmari non poſſet, major apice obtuſo inſtructus in aperturam cranii immittendus, oppoſita interim in eodem loco altera manu, ne hamulus perfracto oſſe, uterum ipſum lædat, cumque eo extractionis periculum faciendum eſſet. Capite adhuc exitui renitente, forceps a Buiſſeau inventa & facie interna dentibus ferreis inſtructa, adhiberi debet, vel plenaria capitis diſſectio, cultello tanquam hamulus incurvato, largiorique manubrio inſtructo, quæ diſſectio vero rarius requiritur.

## §. XXXI.

Non ſolum mala (§. 22.) recenſita, ſed etiam ſitus capitis ad marginem oſſis ilei vel pubis flebile hoc auxilium expetit. In hoc enim ſitu infans cum capite pelvim ingredi videtur, & niſi bene tactu diſtinguatur, obſtetricantibus, illud tantum per ſubſtantiam globi uteri tangentibus, facile imponit, partum ingreſſione infantis in pelvim abſolutum iri; interim parturiens per duorum vel trium dierum ſpatium laborat ſine fetus excluſione, & quod adhuc magis attendi meretur, primis nonnunquam diebus dolores maxime vigent, ita ut irritis defatigata laboribus, infanti animam inſcienter extinguat parturiens; cujus mortis cauſa imperitiæ obſtetricantium adtribuenda eſt; obſtetricantes neceſſario in hoc caſu non cum uno modo digito, ſed cum duobus aut tribus per vaginam in cavitatem uteri immiſſis digitis ſitum capitis explorare debent, ut illud leniore digitorum preſſione ab oſſibus pubis retrahant, quando vero hoc impoſſibile vel capitis plures quam tres partes ſupra oſſa pubis hærerent, verſione infans extrahendus, & ita mater cum infante in vita conſervare poteſt. Si autem hic tactus circumſpectus ab obſtetricantibus negligatur, tum caput retroflexum una cum brachio vel humero tali modo in cavitatem pelvis premitur, ut ad vitam matris conſervandam, nullum aliud remedium ſuper-

ſuperſit, quam extractio infantis cum inſtrumentis, vid. *Devent. l. c. cap. XL. XLVI. XLVII. & XLVIII.* & van *Horn. l. c. Part. II. cap. III. & X.*

§. XXXII.

Hiſce §. 22. 29. 31. memoratis annumerari meretur, ille partus ubi infans cum capite quidem in linea recta cavitatem pelvis ingreditur, & uſque ad introitum vaginæ pervenit, humeri vero male ſiti, unus ad oſſa pubis, alter vero ad os ſacrum plenarium exitum infanti non concedunt, ſi in tali itaque caſu cavitas pelvis magna, caput infantis aliquo modo parvum & manus obſtetricantium puſillæ ſint, ut introductio earum in vaginam & cavitatem uteri fieri poſſit, ad extrahendum illud brachium circa os ſacrum verſum, tum circumactio (*Herumdrehung*) infantis & ejus extractio locum habet, infanſque ac parturiens liberantur; cavitate pelvis vero tam parva, capite autem tam magno exiſtente, ut introductio manus interdicatur, nulla alia via ad conſervandam parturientis vitam ſupereſt, quam apertio & excerebratio cranii, oſſiumque ejus ad ſe invicem compreſſio, ut manus in cavitatem uteri immiſſa, brachium ad os ſacrum verſum arripere & extrahere poſſit vid. van *Horn. l. c. pag.* 309. *& ſeqq.*

§. XXXIII.

Nec minus ſitus perverſus, ubi brachium infantis ſecundum ejus longitudinem extra vaginam propendet, imperitia obſtetricantium pejor adhuc redditur, hoc magis magiſque ad ſe trahendo, pectus cum abdomine firmius in cavitatem pelvis pelluntur, aditus & introductio manus ad debitam infantis verſionem impediuntur, tali modo ut irritis adhibitis omnibus encheireſibus, introductio manus in cavitatem uteri impoſſibilis ſit; ſine hac introductione vero nulla fetus excluſio ſperanda eſt, itaque ad ſalvandam parturientem, plurimi autores ſuadent abſciſſionem brachii, uti Paræus, alii vero hanc ſupervacaneam cenſent, ſolummodo brachium linteo obvolvunt, & cum manibus in parte humero proxima brachium arripiunt, illudque rotando & torquendo a corpore ſeparant, ſeparato brachio, pectus vel abdomen cultello, vulgo *trois-quarts* vocato, aperiunt, viſceribuſque exemtis, corpuſculum in duas vel plures partes mediante cultro inſtar hamuli incurvato dividunt, & partes diſciſſas, aut manibus, aut hamulis extrahunt; interim hæc operatio non ſemper parturientis vitam conſervare valet, uti van *Horn. l. c. pag.* 267. *& ſequent.* teſtatur.

§. XXXIV.

Capite vero una cum pedibus vel brachiis pelvim ingrediente, niſi ſtatim ab initio infans vertatur, antequam caput cum his magis magiſque in

eam prematur, ita ut introductio manus in totum impediatur, neceſſario cranium aperiendum & excerebrandum erit, ut infans extrahi queat, quod tamen in principio facillime infantis verſione impediri potuiſſet.

## §. XXXV.

Ad partus, ob defigurationem infantis, præternaturales (§. 16.) pertinet hydrocephalus. Eſt vero hydrocephalus accumulatio humoris ſeroſo-lymphatici in capite; locus ubi hic humor coarcervatur, diverſus exiſtit nempe (1) hic humor ſtagnat inter oſſa cranii & integumenta communia (2) inter cranium & meninges, (3) inter meninges & cerebrum. In primo caſu ubi humor inter integumenta & cranium ſtagnat partus adhuc fieri poteſt, integumenta enim ab humore ſatis expanſa facilius rumpuntur; in duobus ultimis vero caſibus hæc ruptura ob reſiſtentiam oſſium contingere nequit; igitur cranium mediante inſtrumento *trois-quarts* vocato aperiendum, ut humor exeat, & magnitudo capitis minuatur; hæc cranii apertura tantummodo requiritur, quando hydrocephalus prius quam reliquæ partes cavitatem pelvis ingreditur; in eo vero caſu, ubi pedes infantis pelvim ingrediuntur, infans circa lumbos duabus manibus apprehenſus, cum pectore brachiis & capite, uti in partu naturali non ſemel & ſimul extrahi poterit, ſed uno brachio poſt alterum extracto, una manu maxilla infantis inferior, altera vero ejus collum in parte poſteriore arreptum librando quaſi, germanice *ſchvanckend*, ad ſe trahitur; ſi verus hydrocephalus aderit, hac encheireſi maxima occipitis pars & tota facies (quia intra oſſa faciei & integumenta raro vel nunquam humor ille invenitur) extrahatur; reliqua vero capitis pars hoc modo in lucem edenda: digitis inſtar hamuli incurvatis, utrique oculi cantho majori immiſſis, altera vero manu collum comprehendenti, aliquali vi attamen quaſi librando trahendum, ita ut humor intra oſſa cranii contentus per ſuturas cranii exire cogatur, tegumenta acuminentur, & caput ad plenariam extractionem aptum evadat.

## §. XXXVI.

Abdomen aquis repletum inſtrumentis non indiget ut *Dionis Traité général des accouchemens pag.* 296. & *Mauriceau Lib. II. cap. XVIII. pag.* 304. ſuadent ut abdomen cultro acuminato aperiatur, ſed conſilium de la *Motte Lib. IV. cap. XI. pag.* 609. mihi melius videtur, quia applicatio inſtrumentorum in partu p. n. tam diu quam diu fieri poteſt differri debet. Eum in finem commendat, ut capite jam nato, ſi reliqua corporis pars exire nequeat, (hoc enim eſt ſignum aſcitis præſentis diagnoſticum) brachia, unum poſt alterum, non hamulis applicatis, ne frangantur, ſed duobus ſupra humerum ad flexuram cubiti allatis & ad ſe tractis digitis liberantur,

apprehenſis dein utriſque brachiis librando quaſi totum corpus ad ſe trahatur, hac encheireſi vero humores in abdomine ſtagnantes hinc inde diſtribuuntur, & fortiori tractione in partem abdominis infimam coacti, eam diſtringunt, ut exire poſſint, magnitudineque abdominis imminuta extractio plenaria facile ſuccedat.

§. XXXVII.

Monſtroſa fetus formatio interdum uſum inſtrumentorum requirit, uti hoc *Mauriceau Traité des maladies des femmes groſſes pag.* 368. indicat, & jam laudatus in arte obſtetricali celeberrimus Magiſter D. Dr. *Fried.* propria ſua praxi in fetu monſtroſo expertus eſt. Attamen in hoc caſu inſtrumenta non ſemper neceſſaria ſunt, uti hoc teſtatur exemplum partus fetus bicipitis ad pectora conati, vid. D. *Alberti Haller Deſcriptio fetus bicipitis ad pectora conati Hanoveræ* 1739. *ut & diſſert. phyſ. medic. Forenſ. inaug. de fetu monſtroſo duplici, Marburgi Cattorum, reſpondente C. J. Wolfart.*

§. XXXVIII.

Membranæ fetus (§. 12.) nimis denſæ interdum etiam inſtrumento aperiundæ ſunt, præſertim in illo caſu, in quo placenta non in fundo uteri ſed ad ejus orificium internum adnata eſt, in tali enim caſu imminente partu, dilatatione orificii uteri vaſa orificio adnata divelluntur, aperiuntur, hæmorrhagiæ ſupervenientes, niſi debita extractione fetus impediantur, matrem & infantem jugulant. Ne autem hoc fiat, obſtetricans tactu digitorum locum in quo placenta minus adhæret, quærat, eo invento manum ſuam in cavitatem introducat, & cum unguibus membranas dilacerare tentet; interim quia decoro obſtetricantium contrariatur, in ſuis digitis ungues, ungulis aquilæ ſimiles perferre, unguibus abſciſſis membranæ præſertim doloribus expanſæ, interdum rumpi nequeunt; ad hunc igitur finem acus vaginæ incluſa ab Honoratiſſ. meo præceptore D. Dr. *Friedio*, inventa eſt, quo cum facillime membranæ rumpuntur, ut infans debita verſione extrahi queat.

XXXIX.

Antequam huic diſſertationi finem imponam, nonnulla adhuc dicenda erunt de ſectione cæſarea. Sectio cæſarea eſt illa operatio chirurgica, qua mediante abdominis muſculi & uterus inciſione uſque ad ejus cavitatem penetrante, aperiuntur, ad extractionem fetus, nulla alia via poſſibilem peragendam. Unica modo ex cauſis partum p. n. formantibus, (§. 16.) nempe mala conſtitutio oſſis ſacri & pubis, aperturam pelvis ſuperiorem tali modo anguſtans, ita ut introductio manus obſtetricantis penitus impediatur, hanc operationem in vivis requirit. Autores valde diſſentiunt an hæc operatio abſolute lethalis ſit nec ne? *Mauriceau* & *Guillemeau* eam abſolute letha-

lem ob majus uteri vulnus cenſent, vid. *Mauric. l. c. pag.* 353. *la Motte* autem *l. c. pag. 622. & ſeqq.* contrarium duobus exemplis probat, & lethalitatem abſolutam hujus operationis ex vulneratione uteri refutat. Nec minus ille caſus ſclopeto armentario vulneratæ abunde teſtatur, vulnerationem uteri non abſolute lethalem exiſtere. Vid. diſſert. *de utero gravido una cum fetu vulnerato* Argentorat. 1735. autore Reichardo habita, in qua varii caſus allegantur.

§. XL.

Ad hanc operationem peragendam in fæmina adhuc viva inciſio cruciata fundum uteri ſimul penetrans, ad longitudinem quinque vel ſex pollicum, cultello, Gallice *Biſtouri* vocato, & non cum novacula; (uti nonnulli nomen chirurgorum præ ſe ferentes tentare auſi ſunt) ad latus lineæ albæ fiat; peracta inciſione infans cum ſecundinis extrahatur, vulnus abdominis vero ſutura interciſa, Gallice *l'entre coupée*, conſolidetur, adhibitis debitis remediis, injectionibuſque; uterus vero contractione labia ſua ſeparata ad ſe invicem premit, & ſic conſolidationem promovet. In mortuis autem abdomen una cum utero ſectione ſufficientis magnitudinis aperitur, infanteque extracto, ſutura iterum clauditur.

§. XLI.

Negari interim nequit omnes has operationes, illas ſi excipias a mala formatione plevis & fetus provenientes (§. 16.), verſione infantis debito tempore inſtituta evitari poſſe. Obſtetricantibus igitur intereſt omnibus viribus anniti percepto infantuli ſitu perverſo, eum jam memorata verſione e periculo liberare, quod alias non ſolum infanti matrique, ſed ſimul obſtetricanti imminet; applicatio enim inſtrumentorum niſi ſumma cum circumſpectione adhibeatur, multa & dira mala ſecum ducit, & inſtrumenta in imprudentis manu, ſunt uti gladius in manu furibundi. Creator vero benigniſſimus, omnibus parturientibus præſertim his enarratis caſibus laborantibus, calamitatum ſuarum felicem concedat

FINEM.

DISSER-

LXXIX.

# DISSERTATIO
## *MEDICO-CHIRURGICA,*
DE
# NON DIFFERENDA
## SECUNDINARUM ADHÆRENTIUM EXTRACTIONE.

*Quam Præſide*

## D. D. JO. CASPARO KUCHLERO.

*Tuebatur*

## JO. VALENTIN. HARTTRAMFFT,

*LIPSIENSIS.*

Lipſiæ 23 Decembris anno 1735.

## §. I.

### *Inſtituti ratio.*

IN portu naufragia fieri, & ſummum quandoque rerum diſcrimen incurrere in ipſo operis fine eos, qui rem peractam autumant, ubi coronis impoſita nondum fuit, quotidiana experientia loquitur. Cum primis id fati genus experiuntur, qui curam uteri hominiſque naſcentis ſuſcipiunt, obſtetricantes medici, utpote qui, fetu in lucem edito, propitia etiam Lucina, probe norunt, totius partus negotium abſolutum tunc nondum eſſe, quin potius non levem oboriri difficultatem, reſtitantibus ſecundinis, perſentiſcunt, quo ipſo verum eſſe cognoſcunt Philoſophi effatum:

Ἁι δευτεραί πως Φροντίδες σοφωτέραι.

*Secundæ meditationes ſapientiores* [ *a* ]. Idem & ego ſenſi, ex quo difficillimum artis obſtetriciæ campum ingreſſus ſum, magnamque ſemper habui habeboque magiſtris meis, imprimis vero Argentoratenſi, gratiam, qui me attentum fecerunt ad ea, quæ, edito partu, cum matre, maxime quod ſecundinas attinet, fieri adſueverunt. Majori rerum uſu, cum practicam vitam agerem, edoctus ſum, cum omnia tranquilla eſſe putarentur, gratulationes de felici enixu matrum haud raro in lamentationes verſas fuiſſe, ob ſupervenientia, remanentibus ſecundinis, gravia & lethalia quandoque ſymptomata. Hanc difficultatem ſine dubio antiqui noverant, quibus felix ſecundinarum extractio tanti momenti viſa eſt, ut Deam partus poſterioris præſidem conderent, Genetam appellatam, prout autor eſt *Plutarchus* [ *b* ]: Δαίμων ἐςὶ ἡ γενείτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν Φθαρτῶν.

Nec ultimo inter Deas partuum, Hecaten, Genethyllin, Proſam, Poſtverſam, Lucinam, Junonem aliaſque loco habitam [ *c* ]. Quapropter non tantum obſtetrices meæ inſtructioni traditas de rei iſtius dignitate deque manifeſto vitæ matris periculo monui, ſed & me adeo exercitatum in arte nunquam credidi, ut non novas ſubinde ediſcendi occaſiones ex hoc capite habuerim. Maxime vero haud ſemel edoctus fui, ſecundinas fortius, quam fieri ſolet, adhærentes majorem operam & laboris diuturnitatem feciſſe, quam difficiliores quidam ſituum embryonis pravorum caſus. Obſervationum, quas hocce in negotio inſtitui, nobilitas me induxit, ut hanc materiam publice pertractandam ſuſciperem. Equidem magnifice de me nunquam ſentio facileque perſpicio, quemcumque alium elegantius ſpeculari, dicere & commentari de hac materia poſſe, non inutilia tamen aut incongrua prorſus me allaturum, confido, memor regulæ, quam apud exercitatum

in

[ *a* ] *Eurip.* Hippol. cor. v. 436. ex edit. Barneſii Cantabrig. 1694. fol. p. 233.

[ *b* ] *Plutarchus* in quæſtion. roman oper. T. 2. edit. Wechel. 1620. fol. p. 277.

[ *c* ] Conf. *Thomam Bartholinum* antiquitatum veteris puerperii ſynopſi. Amſtelædam. 1676. 12.

in arte mea Celeberr. *Peu* [*d*] invenio: *Autorem, qui de re obſtetricia ſcribere ſuſcipit, ex propria experientia loqui decet nec ſecundum autorum opiniones.*

## §. II.

### *Ordo tractandorum.*

Sponte adeoque ex prædictis innoteſcere arbitror, ſpecialius eſſe iſtud, quod pertractandum ſuſcepi rei obſtetriciæ momentum, nec conſiderationem iſtam eamdem cum retentionis ſecundinarum declaratione futuram, quandoquidem perinde non eſt, utrum retineantur, an vero fortiter adhæreant ſecundinæ. Probe novi de retentione ſecundinarum jam ante me actum eſſe a plurimis [*e*], verum me non latet, vulgatiores plerumque retentarum ſecundinarum cauſas allegari, prout ſunt, clauſura orificii uteri interni a neglecta ejus cura, funiculus umbilicalis in uterum relabens; quod ne fieret, ridiculam habent nonnulli chordæ cruri parturientis alligandæ conſuetudinem [*f*]. Legimus hinc inde de enormi placentarum magnitudine, aut contingente inter duas quandoque in gemellis coalitu; plura dicuntur de remanente ſecundinarum particula vel membranarum portione, deque ancipiti rerum ſtatu, in quo tunc puerperæ verſantur. De prudenti manuum opera, tot tantaque jam proſtant in obſtetriciæ artis libris; ut, quamvis etiam de hoc negotio quædam nova afferri poſſint, parum tamen mihi addendum videatur. Verum quilibet mecum ſentiet, illam retentionis ſpeciem, quæ adhæſio dicitur, curatiori paulo indagine dignam eſſe, utpote de qua plurimi omnino nihil, pauciores parum & inſufficienter ſcripſerunt. Credideram Cl. *Deventerium* [*g*], quem cæteroquin inter obſtetricantes medicos principem facile arbitror, & quem minutiarum etiam ſtudioſum fere ſemper deprehendas, lumen mihi accenſurum fuiſſe, verum obſcurius & vix tribus verbis adhæſionem ſecundinarum attigiſſe eumdem comperi, reliquos omnes ſimplici retentionis titulo hancce dignam peculiari recenſione cir-

[*d*] Quand un Auteur écrit des accouchemens, il en doit parler par raport à ſa propre expérience, & non pas ſelon les opinions d'Auteurs &c. La pratique des Accouchemens par M. *Peu* Pariſ. 1694. 8. lib. I. §. 20. p. 211.

[*e*] Catalogum Autorum qui de retentis ſecundinis earumdemque noxis egerunt recenſet, *Matth. Moronus.* Directorium med. pract. Francof. ad Mœnum 1663. 4. p 407. Celebriores diſſertationes de eadem materia, quantum earum videre mihi hactenus licuit, ſunt. Diſſertatio ægram retentione ſecundinarum laborantem ſiſtens, præſide *Jo. Hadrian.* Slevogt. reſp. Chriſt. Erneſt. Seyffartho, Jen. 1704. De ſecundinarum poſt partum excernendarum retentione *Martinus Hurte* Altorff 1672.

[*f*] Mos ille fuit antiquorum, prout videndum ex *Albucaſi* de affect. mulier. c. 78. apud *Iſrael Spachium Gynæciorum* lib. Argentin. 1597. fol. p. 447. *Avicenna* lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. Baſil. 1556. fol. p. 720.

[*g*] *Henric. a Deventer* novum lumen obſtetric. Lugd. Batav. 1725. 4. p. I. p. 129 130.

circumſtantiam allegaſſe novi. Oppido raram hanc appellat *Siegemundin* [*h*] ac plerumque lethalem, & ſi poſt alios de meo quidpiam addere licet, retentas ſecundinas plures, adhærentes pauciores habui. Uſus ſum recepto termino adhæſionis, quo firmitatem & nexum placentæ uterique inter ſe denotare autores ſolent, prout apud *Harvæum* [*i*] invenitur adhæſionis & connaſcentiæ notio ſynonymice uſurpata, ſenſu tamen prorſus phyſiologico. Hoc eſt illud ſtadium, in quo decurrere decrevi, & ſicut theoriæ praxeoſque inſeparabilis debet eſſe nexus, ita duo agenda mihi videntur capita, alterum varios adhærentis ſecundinæ modos, alterum cautelas practicas rationali methodo ſuperſtructas comprehendet. Unicus mihi erit ſcopus & primaria intentio, a qua pio prudentique medico recedendum nunquam eſſe arbitror, unica quam ſemper mihi præfixam habui meta, regia via unica & una omni exceptione major regula: *Non differenda eſt, quam fortiter etiam adhæreant, ſecundinarum extractio, nihilque in ambigua iſthac re vel expectationi medicæ, vel ſpontaneo naturæ operi, vel caſui fortuito tribuendum.*

## §. III.

### *Adhæſionis ſecundinarum definitio.*

Priuſquam autem ad uberiorem rei declarationem perveniamus, formanda erit totius tractationis brevis & ſuccincta explicatio. Definiamus ſcilicet adhæſionem, & ſi quid in onomatologia monendum eſt, addamus. Adhæſio ſecundinarum nobis eſt ſtatus præternaturalis placentæ uterinæ, & quandoque membranæ chorion, quo vel una, vel altera, vel utraque ſimul cavitati uterinæ arctius nectitur, & ob varias cauſas proximas æque ac procatarcticas ab eadem nec ſponte, nec leviori obſtetricantium conatu abſcedit, varia habens vel concomitantia plus minuſve gravia ſymptomata, vel proxime ſubſequentia mala, quæ matrem, edito fetu, affligunt. Vi exhibitæ hujus definitionis, quæ paulo poſt dicenda ſunt in compendium quidem colligere tentavimus, per ſe autem innoteſcit, de adhæſione ſecundinarum, antequam in lucem editus embryo fuerit, cogitandum non eſſe, multo minus de earum ſolutione inſtituenda. Datur caſus hærentis ante orificium uteri internum ſecundinæ, quæ partum ipſum, quo minus fieri poſſit, impedit, hocque ipſo videtur ſtabilita eſſe oborta quandoque neceſſitas ſecundinarum ante partum in ſtatu adhæſionis obſervandarum; Scilicet quotieſcumque, prout certus & determinatus ſedis ſecundinarum in utero locus nullus eſt, ovulum maternum ſeſe juxta ipſum uteri orificium internum [*k*] agglutinat,



[*h*] *Juſtin. Siegemundin Brandenb. Hof-Webe-Mutter*, *Berlin* 1723. 4to. p. 257.
[*i*] *Guilielmi Harvæi* exercitat. de generatione animalium, Lond. 1651. 4to. p. 284.
[*k*] Deprehenſa fuere ovulorum ſimulacra circa cervicem uteri ad mentem D. *Martin Naboth* differt. de ſterilitate, Lipſ. 1707. §. 13. ſeq. quæ ſi ovula vera eſſent, difficilis quæſ-

nat., toties, ſubſequente ejus incremento viam partus præcludit, imo nullam aperturam, qua vel embryo explorari, vel ejus exitus adjuvari poſſit, relinquit: qui rerum ſtatus eo periculoſior mihi ſemper viſus eſt, quo imponere magis imperitioribus ſolet, qui eo tempore neſciunt, an membranas aqua turgidas, an partem quamcumque aliam fetus obviam habeant; verum ſicut in hoc phænomeno rariori ſecundinæ naturaliter plerumque adhærent, hinc extracto embryone, ubi vel per mediam placentam terebrando, vel a latere deglubendo via [l] facta fuit, ſponte ſecedunt; ita ſtatum & conditionem ſecundinarum plane coalitarum, de quibus nobis eſt ſermo, nec tangit, nec ſubvertit adductus caſus. Quodſi cuidam videatur allatus in prædicta definitione terminus adhæſionis æquivocus eſſe, utpote, qui de naturali placentæ cum utero unione ad partus terminum uſque ſubſiſtente prædicari non minus ſoleat, illi præter uſum vocis auctoribus, qui de hoc negotio aliquam mentionem fecerunt ſolemnem, nihil regerere audemus, probe perſuaſi, notiones quaſdam alias, quæ ſtatum immobilitatis inferunt, cohæſionis ſcilicet, radicationis, coalitus, ſyſtomoſeos, συνιζήσεως, διαπηδήσεως, quæ voces *Boerhavio* ſolemnes [m] ſunt, non leviorem ſignificandi valorem habituros. Verum uſus vocum tyrannus in rebus maxime practicis ſicut alibi, ita & hic non levem ſibi auctoritatem arrogavit.

## §. IV.

### *Adhæſionis ſecundinarum differentia.*

Sicut autem in definitione cauſam formalem adhæſionis collocavimus in immobilitate earumdem ex ſede ſua, quam occupant; ita non leves dantur differentiæ, quæ morboſam hancce unionem deſcribunt, quas allegandas eam ob rationem duximus, quandoquidem & cauſarum cognitio & indicationes, quibus ad agendum deſtinamur, luculenter exinde proveniunt. Prima diverſitas, quæ ad praxin ipſam haud mediocriter ſpectat, deſumpta eſt a termino partus, neque enim ſaltem maturi fetus placenta in utero moram nec-

quæſtio non foret, qua fiat ut placenta, quæ ovuli pars eſt, orificio interno uteri accreta deprehendatur. Verum ſicut iſta ſententia ſuos patronos non invenit, Conf. *Mich. Erneſt. Ettmulleri* epiſtolam problem. ad *Fred. Ruyſchium* de ovario novo Amſtelædam. 1715. 4to. ſic deſcenſum ovuli per tubas fallopianas malumus ad mentem recentiorum definire, ejuſdemque arbitrariam adhæſionem deducere ex motu quodam fibrarum motricium ſive muſculorum uteri juxta mentem Cl. *Herm. Boerhavii* inſtit. med. Lugd. Batav. 1727. 12. §. 675. Hoc de negotio plura legi poſſunt in diſſertatione de partu præternaturali ob ſitum placentæ ſuper orificium internum uteri Autore *Jo. Dan. Erhard. Brunnero*, Argentorat. 1730.

[l] Exempla ſecundinarum orificium uteri internum ex parte tegentium. Vid. apud *Pierre Amand nouvelles obſervations ſur la pratique des Accouchemens. Paris* 1715. 8vo. *obſ.* 20. p. 119. itidemque *Traité complet des Accouchemens par de la Motte*, *Paris* 1722. 4to lib. 3. c. 16. obſ. 233. p. 408.

[m] Inſt. med. §. 721. 723.

nectit, ſed & qui ante terminum abortivi ſunt, ſecundinas ſuas adhærentes poſt ſe relinquunt, nec leve exinde negotium obſtetricanti faceſſitur. Et quamvis ſecundinæ abortivorum fetuum videantur ſuo jure uti, quando, utpote immaturæ, locum derelinquere detrectant, nihilominus eo majoris momenti res eſt, quod ſecundinæ iſtiuſmodi parvum volumen efformantes, facilius & cum majore puerperarum detrimento a contrahente ſeſe utero retineantur. Leges ſane, quæ obſtetrices obſtringunt, imperant, ne ſecundinæ abortuum temere relinquantur. Contradicentem habemus exercitatiſſimum *Dionis* [*n*] qui periculum ſubeſſe, ſi adhærentes uti ſolent tenacius, ob immaturitatem ſecundinæ abortivæ remaneant, quandoquidem fieri poſſe exiſtimat, ut duorum vel trium menſium fetus placenta, ſalva matre non compareat, nec ullum ejus veſtigium paulo poſt deprehendatur. Nolo tanti viri autoritati, quæ in contrarium obſervata ſunt, opponere, ſufficiet relegaſſe lectorem ad ea, quæ habentur in eruditiſſimo, qui ſuperiori anno in Anglia prodiit, libello, artis obſtetriciæ compendium exhibente Clar. *Edmund Chapmann* [*o*], qui ſecundinarum iſtiuſmodi remanentium impunitatem in dubium vocavit, adjectis ſententiæ ſuæ argumentis. Antiquius hoc effato eſt Clar. *de la Motte* de hac materia judicium, qui periculoſiores adhæſiones ſecundinarum in illis, quæ uno ſaltem alterove menſe gravidæ ſunt, exemplo declarat [*p*]. Equidem incruentos prodiiſſe abortus quoſpiam, manifeſto indicio ſecundinas earumdem non fuiſſe ſeparatas, novimus, monente *Paulo Portalio* [*q*]. Verum ſicut exempla non probant ſed illuſtrant, ita dubium non eſt, parvas ſecundinas pro menſura mediocris cavitatis uterinæ mediocria equidem, ſed tamen non omnino nulla ſymptomata producturas, quin imo conſuetas puerperarum abortientium affectiones, lipothymias, hæmorrhagias, convulſiones aliaſque, non minus in unius aliquotve menſium embryonis retenta ſecundina, quam ſi adultior fuiſſet, comparituras. Illa ſaltem ratione praxeos utrinque intercedit diverſitas, quod grandioris fetus adhærens ſecundina manum facilius admittat pro ſuſcipienda ſeparatione, quam ſi puſillus fuerit. Alia non minoris momenti differentia, adhæſionibus placentæ intercedens, eſt, quæ numerum placentarum concernit. Extra dubium enim poſitum eſt, plus negotii faceſſere adnaſcentes gemellorum placentas, quam, ſi ſimplex quæpiam in hoc violentiæ ſtatu verſetur. Difficultatem in eo poſitam deprehendunt practici, quod majus in uteri cavitate ſpatium utraque gemellorum ſecundina prope ſe invicem collocata adimpleat; quinimo beneficio naturæ factum eſſe intelligimus, quod lege quaſi naturali placentæ iſtiuſmodi tenacius ſedi ſuæ affixæ deprehendantur, ne ſcilicet, interea, dum partu alterius occupata

 eſt

[*n*] Traité general des Accouchemens par *Dionis*, Paris 1718. 8vo liv. 3. c. 6. p. 226.

[*o*] *An eſſay* on the improvement of Midwifery by Edmund Chapman, Lond. 1733. p. 43.

[*p*] L. c. lib. 5. obſerv. 383. p. 734. 735.

[*q*] La pratique des Accouchemens par *Paul Portal*. Paris. 1685. 8vo p. 18.

eſt obſtetricantis manus, alterius ſubſecuturi fetus placenta facile diſcedens, per ſe laborioſum nixus officium, matri, embryoni & adminiſtranti tædioſum & periculoſum efficiat. Licebit ea, quæ anatomiam iſtius momenti ſpectant, brevibus addere. Equidem haud unicam raro gemellis placentam contigiſſe *Thomas Bartholinus* [r] autor eſt, itidemque *Thomas Wartonus* [s]. Trimellorum unam placentam treſque diſtinctos membranis loculos refert *Riedlinus* [t]. Media incedunt via, qui autopſia ubertim declarante gemellorum placentam duplicem equidem, ſi ortum funiculi umbilicalis reſpicias, habent, lineam tamen intervenientem, qua utraque ſeſe mutuo tangit, haud raro id efficere, ut pro una agnoſci poſſit, afferunt, ſi forte, prout apud *Portalium* [u] extat, inter ſe coalitæ deprehendantur, vel ſi, prout *Needhamius* [x] exponit, placentarum vaſa in ſeſe alternatim mutuo inſerantur. Utroque in caſu, quem tamen inter rariores eſſe arbitror, ſeparationem placentarum difficilem fore facile judicandum. Advertendus etiam eſt animus ad varios immobilitatis gradus, qua ſecundinæ ſedem ſuam tenacius ſervant, quandoquidem ipſa obſtetricantis manus in eo haud leve artificium collocatum eſſe perſentiſcit, ſi reſiſtentes placentas, prout hunc vel illum quietis ſuæ gradum ſervaverint, ingenioſe, durius molliuſve, prout res poſtulaverit, tractet. Intime connatas ſecundinas, nam connaſcentiæ termino jam uſum fuiſſe *Harvæum* [y] intelligo, equidem in praxi nunquam habui, magnæque felicitatis loco reputabo, ſi nunquam habuero, id tamen ſalva aliorum in arte magis exercitatorum ſententia, ſalviſque, quarum poſſibilitas neganda non eſt, obſervationum auctoritatibus, pro certo æſtimo, prava obſtetricum encheireſi, neglecto & peſſumdato tempore, quo attingendæ erant ſecundinæ, præcipitantia etiam & ignorantia earumdem, fieri, quod coalitæ quæpiam cum uteri fundo ſecundinæ, cum non ſint, perhibeantur. Reliqui gradus firmitatis tactu potius explorari quam intelligi poterunt.

§. V.

*De relatione mutua ſuperficierum placentæ & cavitatis uteri.*

Dictum jam fuit alibi, formalitatem adhæſionis placentæ conſiſtere in ſuperficierum duarum, quæ ſeſe ſine interveniente ſpatio tangunt, combinatione. Jam cum obſtetricantem deceat ſollicitum eſſe integritatis partium quarum curam ſuſcepit conſervandæ, merito ſuboritur quæſtio: quales ſint iſtius

[r] *Thom. Bartholoni* anatome, Lugd. 1677. 8vo lib. I. c. 36. p. 304.
[s] *Thom. Whartonus* adenographia. Lond. 1636. 8vo c. 35. p. 237.
[t] *Viti Riedlini* lineæ medicæ anni 1695. menſis Decembris obſerv. 17. Auguſt. Vindelicor. 8vo.
[u] L. c. obſerv. 65. p. 280.
[x] Diſquiſitio anatomica de formato fetu a *Gualtero Needham*, Lond. 1667. 8vo. p. 34.
[y] L. c. p. 284.

iſtius in uterina cavitate loci, cui placenta adhæret, affectiones, quaque ratione concava ejus ſuperficies poſſit convexum placentæ hemiſphærium ita ſuſcipere, ut non tantum durante geſtationis tempore nexus utriuſque perſiſtat, ſed & aliquo poſt partum ſpatio continuetur, & quid demum ſit iſtud, quo vel uteri ipſius ſeſe contrahentis & remotionem ſecundinarum tentantis, vel adjuvantis manus officium eluditur. Res clara eſt, modus ſuis difficultatibus laborat. Qui negotium deſumptis ex mechanica terminis declarare ſuſcipiunt, firmitatem ſecundinæ fortius adhærentis illuſtrare ſatagunt ex doctrina hemiſphæriorum planorum ſibi apte incumbentium, vel concavi aut convexi [z] ſe proxime attingentis, cui ſententiæ non leve robur addere videtur, rara omnino ſed & veritati conſentanea obſervatio: fortiſſimum eo tempore placentæ & cavitatis uterinæ nexum eſſe, quando funiculus umbilicalis in centrica placentæ parte eſt collocatus, id quod præceptor omni pietate devenerandus *Schacherus* in diſſertatione [a] de placentæ uteri morbis, ubertim declaravit. Sicut enim verticaliter diſtracta hemiſphæria nullo robore a ſe invicem ſecedunt, ſic, niſi obliquitatem quampiam in ſitu ſuo ſervaverit funiculus umbilicalis, removeri placide ſecundina vix ac ne vix quidem poterit. Nulla ſupereſſet dubitandi ratio negotium prædicto modo declarari poſſe, dummodo plana vel convexitatis placentæ vel concavitatis uterinæ eſſet conformatio. Equidem probe novi, obſervationibus auctorum ſatis ſuperque id confirmantibus [b], haud raro fundum uteri, ſi ex diametro in averſam partem trahatur placenta, everti, ejuſque partem vel integrum etiam orificii interni æque ac externi limites egredi, id quod prædictam de planis huc adplicandam doctrinam ſtabilire videtur; verum, ſicut a legibus motuum & circuli humorum recedendum temere non eſt phyſiologo æque ac practico in declarandis morborum ætiologiis, ſic conſtanter aſſero, nudam appoſitionem cum excluſione ſpatii ex doctrina de vacuo non ſufficere, quo appareat modus adhærentium ſecundinarum. Clarius id futurum arbitror, ſi meditari quæpiam de figura, quam placenta & uteri cavitas invicem ſervant, voluerimus. Uterus, ſicut in ſtatu vacuitatis ſuæ interiorem ſuperficiem rugis lineiſque aſperioribus diſtinctam imprimis in cervice habet [c], ita, ſi plenus fuerit, de hac interiore ſui aſperitate non tantum nihil dimittit, ſed auctiorem potius obtinet inæqualitatem, eouſque, ut tuberculis obſitus undique deprehendatur intus, cujus uteri conditionis rationem exhibet elegante adpoſito Icone *Abrah. Vaterus* de utero

[z] *Frederici Ruyſchii* adverſariorum anatomico-medico chirurgicarum dec. 2. Amſtel. 1720. 4. p. 30.

[a] D. *Gottlieb Polycarpus Schacherus* de placentæ uterinæ morbis reſp. Dn. *Chriſtian. Jacob. Seylero*, practico apud Lipſienſes feliciſſimo patrono magnopere colendo, Lipſ. 1709. 4. §. 7.

[b] *Pierre Amand.* l. c. obſ. 40. p. 160. *Dionis* l. c. p. 221. 222. aliique paſſim practici.

[c] *Regner.* de *Graaf* oper. omn. Amſtel. 8vo c. 8. p. 186.

ro gravido diſſertatione [*d*]. Huic inæqualitati ſuis eminentiis ex diametro opponitur iiſdemque ſeſe appoſite inſinuat placentæ convexitas, cujus ſegmenta lineis interdiſtincta membranaceis majoribus æque ac minoribus tuberculis aſpera efficiuntur, mutuaque ſuſceptione cum uteri parietibus conjunguntur, qui nexus mutuæ immerſionis pro phænomeno adhærentium præter naturam ſecundinarum declarando ex parte ſufficit. Quodſi iſtius placentæ convexitas irregularem indepta ſit figuram, qualium plures adducuntur a *Peu* [ *e* ], fieri ſane aliter non poterit, quam ut major juſto firmitas ſecundinis adhærentibus concilietur. Spectant huc ſuo modo informes quæpiam placentarum figuræ, quas *ſuygers* ſeu ſuctrices appellant Belgæ, de quibus *Kerkringius* eleganter commentatus eſt [*f*], quarumque deformitas molarum nomen iiſdem conciliavit. Harum funeſta adhæſio & monſtroſum in utero incrementum feminas plerumque in vitæ diſcrimen adduxit. Equidem mitior videri poterat nec inſuperabilis iſte adhærendi modus, verum non levioris difficultatis rem eſſe ſeparationem ejuſmodi utero immerſarum ſecundinarum, praxis declarat.

## §. VI.

*De membranacea ſecundinarum cum parietibus uteri adhæſione.*

Major ſecundinis in ſede ſua firmitas majorque reniſus conciliatur ex earumdem cum uteri parietibus ſynhymenoſi, quotieſcumque ſcilicet, quæ extima eſt tunicarum, chorion, eo in loco, ubi ex peripheria placentæ circuli in modum enaſcitur, ſubſtantiam etiam uteri ſimul attingit, eamdemque ſecum conjunctiſſimam efficit, cujus rei ratio ex mente eorum, qui ſecundinas pro ovuli materni cruſta agnoſcunt, reddi poteſt, ob peculiarem chorii ſtructuram, cujus productum eſt placenta docente *Graafio* [*g*]. Rei veritatem uberius confirmat *Harvæus* [ *h* ] qui aliquot poſt conceptum diebus chorion ſine placenta ſubſiſtere, adeoque liberum in utero fluctuari aſſerit, prout in ſuibus, equis, aliiſque quibuſdam, teſte præmemorato auctore, per totum geſtationis tempus contingere aſſuevit. Fieri adeoque poteſt, ut eadem, qua placenta, lege, chorion radiculas nonnullas in uteri ſubſtantiam ſpargat, iiſdemque firma teneatur, prout id ipſum inter cauſas adhærentis placentæ allegavit *Drelincurtius* & *Palſyn* [ *i* ]. Modum vero iſtius unio-

[*d*] Wittebergæ, 1725, 4.

[*e*] L. c. lib. I. c. 4. p. 26.

[*f*] *Theod. Kerkringii* ſpicilegium anatomicum ext. c. op. omn. anatom. Lugd. Batav. 1717. 4to. obſerv. 38. p. 81.

[*g*] L. c. c. XV. p. 282.

[*h*] L. c. p. 285.

[*i*] *Jo. Drelincurtius* de tunica chorion animadv. ext. in *Jo. Jac. Mangeti* theatr. anat. l. II. p. II. c. 3. p. 89. Genév. 1717. fol. *Jean Palſyn anatomie du corps humain*, Pariſ 1726. p. I. p. 197. *Paul. Portal.* l. c. obſ. 76. p. 329. Prælaudatus Dn. D. *Schacherus* in diſſert. de placentæ uterinæ morbis, hoc phænomenon propria experientia confirmavit. §. 8. p. 14.

unionis a villis tenuiſſimis ex chorion oriundis definit *Amos Lambrecht* [*k*] cujus rei eo major fides eſſe debet, quandoquidem totius placentæ convexitas villoſa uteri ſubſtantiam ſubeunte lamella, quæ chorii propago eſt, ſecundum *Ruyſchium* [*l*] obducitur. Si recte intelligo, quo de la *Motte* uſus eſt agglutinationis terminum *l'arriere faix étoit comme collé avec la matrice* [*m*] nobiſcum ſentire videtur. Status enim ſecundinæ illius, quam allegato in caſu fortiter adhærentem extraxit, talis fuit conditio, ut incertus hæreret ob uniformem cum utero coalitum, quo in loco ſeparationis initium faciendum eſſet. Manifeſtas radicum membranacearum inſertiones, deprehendi, quæ ex ſubſtantia uterina extractæ eſſe inter ſeparationis adminiſtrationem videbantur. Inde haud raro fieri ſolet, obſervante *Petro Amand* [*n*], ut, integra etiam prodeunte placenta, membrana chorion in utero relinquatur, quas membranas adhærentes & ſuperſtites periculoſiores eſſe, ipſa placenta in utero relicta, declarat, addita ratione, quandoquidem putredine ſolida membranarum ſubſtantia, reſolvi non poſſit. Suffraganeum habet hujus ſuæ ſententiæ *Peu*, qui non tantum hunc adhærendi modum eleganter deſcribit [*o*] aſſerens: *membranas immerſas & quaſi agglutinatas fundo matricis & a plicis quibuſdam vel angulis ejuſdem retentas vaſorum orificia claudere*, ſed & oriunda exin ſymptomata, convulſiones [*p*] & alia mala, appoſite deſcribit, quapropter non leviorem difficultatem infert portio membranæ relicta, quam ſi placentæ fragmentum remanſerit. Animadverſione quoque dignum eſt, relictas ejuſmodi in utero membranas naturali majus volumen indipiſci, & ſanguine congrumato repleri, pugnique magnitudinem æquare, imo ſæpius ſuperare, quo ipſo fit, ut novis interdum conatibus pro peregrinis iſtis corporibus educendis opus ſit, cum manifeſta virium in puerpera proſtratione.

## §. VII.

### *De adhæſione ſecundinarum per inoſculationem vaſorum.*

Inter cauſas formales adhæſionis ſecundinarum, quibus nexum earumdem cum utero declarare ſuſceperunt autores, non ultimum locum occupat vaſorum uteri æque ac ſecundinarum firmior inoſculatio, qua diutius quam par eſt ſubſiſtente, ſecundinæ ſpontaneo motu dehiſcere non poſſunt. Cl. *Ruyſchius* [*q*] contra antiquorum æque ac modernorum & ipſius autopſiæ fidem inoſculationem vaſorum mutuam prorſus negat, non novam hoc ipſo pro-

[*k*] *Amos Lambrechts* manuductio obſtetricantium. Amſterdam, 1731. 8vo p. 45.
[*l*] Theſaur. anatom. V. No. 41.
[*m*] L. c. lib. V. c. 2. obſerv. 386. p. 739.
[*n*] L. c. p. 38.
[*o*] L. c. liv. 2. c. 15. p. 504.
[*p*] Ibid. p. 499.
[*q*] Theſaurus anatomic. 2. aſſ. 4. No. 12. ſeqq. p. 55.

proponens ſententiam, ſed quam ante eum *Hieronymus Fabricius* ab Aquapendente [ *r* ] aſſeruerat, qui continuitatem equidem horum vaſorum non admittit, contiguitatem vero, ſive appoſitionem lubens concedit, quo ipſo eumdem nobiſcum conſentientem habemus, utpote, quibus pro demonſtrando vaſorum nexu, ut exinde firmitas & cohæſio præmemorata ſubſequatur, perinde erit, an continua ſit uterina in ſecundinam uſque arteria, an vero ab ejuſdem termino novum quodpiam vaſorum genus exoriatur, quod celluloſum eſſe ex ſecta per medium uteri ſubſtantia videri poteſt; negari tamen nequit, oſcula, quæ ſub interiore uteri membrana oblique hiant [ *s* ] cum principiis venularum umbilicalium per ſecundinam diſperſarum conjunctiſſima eſſe, id quod ſuo jam tempore *Hippocrates* agnovit, oſculorum in matricem dehiſcentium, mentionem faciens [ *t* ]. In vitulis hanc inoſculationem eleganter deſcripſit *Nicolaus Hobokenius* [ *u* ]. Varia inſtituta experimenta in hujus rei gratiam negotium uberius declaraverunt. Injectiones variis liquoribus factæ clarum reddiderunt ſanguinis per vaſa uterina ad placentas tranſitum, quo ipſo corruit propoſita a *Graafio* ſententia [ *x* ]: *nulla ab utero vaſa placentas recipere, nec ſanguinem, aſt lacteum quemdam humorem eſſe, qui ab utero ad fetum defertur*, quamvis ille variis in brutorum utero factis obſervationibus ad mentem Harvæi robur opinioni ſuæ addere conatus ſit. In homine ſane res aliter ſeſe habere poteſt, quin imo recentiorum in brutis factæ demonſtraverunt injectiones, vere ad placentulas pertingere uteri vaſa, inter quos eſt *Drackius* [ *y* ], *Cowperus* [ *z* ], *Vieuſſens* apud *Mangettum* [ *a* ] omnium recentiſſime *Alexander Monro* [ *b* ], qui omnes mercurium per uterum in placentam tranſiiſſe animadverterunt. Tinctum liquorem eadem via tranſiiſſe deprehendit *Joann. Hyacinth. Vogli* [ *c* ]. Retrogradum etiam liquoris per arteriam umbilicalem injecti ex placenta ad uterum motum demonſtravit *Cowperus* [ *d* ]. Ipſa experientia practica non leviora nobis argumenta ſuppeditat, quibus ad veram mutui iſtius nexus cognitionem deveniri poteſt. Obſervatum eſt poſt hæmorrhagiam matris vaſa embryonis vacua fuiſſe [ *e* ]. Sicut adeoque contigua uterina æque ac ſe-

[ *r* ] *Hieronymi Fabricii* ab Aquapendente oper. omn. Lipſ. 1687. fol. de formato fetu, P. 2. c. 3. p. 87.

[ *s* ] Conf. Cl. *Abraham Vateri* diſſert. de utero gravido, cumprimis figuram.

[ *t* ] Aphoriſm. ſect. v. aph. 45. edit. Linden. T. I. p. 94.

[ *u* ] Secundinæ vitulinæ anatomia, Ultrai. 1672. 8vo p. 255.

[ *x* ] L. c. c. 15. p. 296.

[ *y* ] *James Dracke* anthropologia edit. 3. Lond. 1727. 8vo vol. 2. c. 7. p. 234.

[ *z* ] *William Cowper* the anatome of Humane Bodies, Oxford. 1698. fol. tab. 54.

[ *a* ] *Raymundi Vieuſſens* novum vaſorum ſyſtema, Amſtel. 1705. p. 25. ſeqq.

[ *b* ] Medical *Eſſays* and *obſervations* reviſed and publiſhed by a ſociety in Edingburgh. Edinb. 1734. 8vo vol. 2. p. 139.

[ *c* ] Anthropogenia Bonon. 1718. 4to p. 2. p. 162.

[ *d* ] Loc. ſupr. allegat.

[ *e* ] *M. Mery dans l'hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences*, 1708. *p.* 45.

ſecundinarum vaſa lege naturæ, quam declarare prolixum nimis foret, ubi ad maturitatem devenerit embryo, ſua ſponte a ſe invicem ſecedunt, & dehiſcentem relinquunt ſecundinam, ita veroſimile eſt, non tantum in abortivo fetu fortius eaſdem cohæſuras, quandoquidem maturitatis terminum [*f*], nondum attigit, ſed & adulti embryonis ſecundas cohæſuras, ſi ſtatus quiſpiam morboſus impediverit, ne oſcula a ſe invicem ſecedere valeant, quales ſunt, aut eſſe poſſunt infarctus vaſorum capillarium ſcirrhoſi [*g*] a materia quapiam tartarea, qualem lapidis inſtar duram in chorii confinio obſervavit *Fredericus Ruyſch* [*h*]: Hinc fieri haud raro ſuevit, ut graviores, quam vulgo ſolet, remota ejuſmodi ſecundina hæmorrhagiæ ſubſequantur, manifeſto indicio, vaſorum morboſam unionem adhæſionis cauſam extitiſſe.

## §. VIII.

### *De Adhæſione ſecundinarum per incarcerationem.*

Peculiaris eſt adhærendi modus, quo ſecundinarum excluſio retardatur, qui fit per ſtricturam alicujus fundi uterini partis, cujus ſcilicet contractili motu aliquando ſecundina a reliqua matricis cavitate excluditur, & ſeparato quopiam in loculo continetur. Incarcerationis termino uti pro declaranda hac oppido curioſa placentæ conditione placuit, quandoquidem hepar uterinum in ſimili caſu ſeparatam a fetu ſuo capſulam indeptum eſſe deprehenditur. Res ſic ſeſe habet: Edito in lucem infante, uti mos eſt, pro educenda placenta manus in uterum immittitur, & quodſi ante deſcriptum ſtatum ſecundinæ obtinent, mirantur obſtetrices, nuſpiam reperiri placentam, utpote quam in abſcondito ejuſmodi loco quærendam eſſe non ſuſpicantur, crederentque nullam plane adeſſe ſecundinam, niſi de hoc caſu præmonitæ eſſent, vel ex tractu funiculi umbilicalis fallaciam quampiam ſubeſſe, intelligerent. Utuntur hoc umbilicali fune inſtar fili ariadnæi, quo, ſi ſapiunt, facillimo negotio ſeſe extricant, nam adducuntur ad hancce latebram, in qua placenta deliteſcit. Variæ autorum, ſi qui hoc de negotio commentati ſunt, quos pauciores eſſe exiſtimo, extiterunt ſententiæ. Celeb: *Peu* in ea verſatur ſententia, ac ſi forſitan ab initio formati fetus hoc ſeparatum ſecundinarum domicilium fabrefactum fuerit [*i*] nec uno ſaltem in loco, ſed aliquoties iſtius ſecundinarum ſtatus mentionem facit, diverſis notionibus pro eodem indicando uſus, modo enim burſæ [*k*] modo domicilii poſterioris, *arriere bou-*



[*f*] Immaturitatis notionem brevitatis ergo, quamvis res mechanice etiam declarari poſſit, adoptare liceat ex Paræo apud *Iſraël Spachium* de hominis generatione c. 18. p. 413.

[*g*] *Dionis* l. c. liv. 3. c. 5. p. 226.

[*h*] De muſculo in fundo uteri reperto p. 10.

[*i*] L. c. liv. 2. c. 15. p. 511.

[*k*] L. c. p. 494. 508.

*tique* [*l*] nomine rem declarat. Aliis aliæ placent notiones: Propendulum ſupra os pubis uterum ſingularem efformaſſe cavitatem, ex qua cum magno labore adhærens ſecundina extrahenda fuit, allegat *Cornelius Solingen* [*m*], ſtatumque iſtum herniam uterinam appellat, qui ſuo modo huc pertinere videtur. *Carolus Drelincurtius* ex antiquitate allegat Hippocratis κόλπȣς σύχνȣς δὲ καὶ γάμψȣς, *ſinus denſos atque recurvos* & Praxagoræ, μήτραν, τὴν δίκολπον, *matricem utrinque ſinnoſam*, adducit [*n*]. Si dicendum, quod res eſt, præextitiſſe a formati fetus primordio ejuſmodi ſeparatam uteri capſulam vix arbitror, utpote quæ ſententia cum ſtructura uteri & ſpiſſitate ſubſtantiæ ejus vix conveniret. Exiſtimo potius fetu in lucem edito, quando uterus in ſtatu contractionis verſatur, illum locum, cui ſecundina tenacius adhæret, præcludi & in ſacci ſpeciem efformari. Dici ſane non poteſt, quam præcipiti collapſu, quamprimum onere ſuo levatur uterus, ad priſtinam parvitatem redire allaboret. Perſentiſcunt id ſuo quandoque damno obſtetricantes, quorum manus haud raro eo tempore, quando uterus ſeſe contrahit, arripiuntur, ſtrangulantur, & ad ſtuporem uſque comprimuntur, id quod ſimili modo cum ſecundina fieri poſſe, conſtanter aſſero. An muſculus ſit peculiaris, qui contractionem uteri violentam dirigat, magna apud magni nominis viros eſt controverſia, quam paulo poſt diſcutere &, quantum in nobis eſt, declarare ſuſcipiemus. Ejuſdem conditionis cum adhærente ſecundina præſens placentæ ſtatus eſt, nam & hunc periculoſiſſimis ſæpius ſtipatum eſſe ſymptomatibus, qualia jam antea allegata fuerunt, docet jam citatus *Peu* [*o*], nec levi certe labore opus eſt, quo carceribus iſtis ſuis hepar uterinum educatur.

## §. IX.

### *De carnoſa ſecundinarum cum utero concretione.*

Sicut de modo cohæſionis placentæ cum uteri parietibus non omnino conveniunt autores, ita ſingularem hoc de negotio ſententiam propoſuit *Hieronymus Fabricius* [*p*] carnoſum hunc nexum eſſe adferens. Carneam ſcilicet adpellat ſubſtantiam ad fines vaſorum poſitam. Quidquid inter capillaria vaſa medium hæret antiquis parenchyma, Malpighio glandulosa congeries dicitur, id præſenti in negotio caro eſt Fabricio. Ne autem quis arbitretur, muſcularem hanc eſſe carnem, prudenter adjicit: *Carneam hanc molem nequaquam propter ſuam actionem eſſe utilem cum nullam habeat, ſed tantummodo*

[*l*] L. c. p. 512.

[*m*] *Hand-Griffe der Wund-Artzney*, *Franckf. an der Oder* 1693. 4to p. 466. 467.

[*n*] De humani fetus membranis hypomnemata in opuſcul. med. omn. hag. comit. 1727. 4to p. 469.

[*o*] L. ſuper. cit.

[*p*] L. c. de formato fetu p. 2. c. 3. p. 87.

*do propter ea, quæ temperamenta conſequuntur & accidunt.* Nempe cum *Galeno* [*q*] ſentit, qui carneam hanc molem utero adplicatam ea propter dixerat, ut firmiter adhærere eidem poſſit. Hæc omnia quamvis recentiorum palato haud arrideant, eum ſaltim in finem adduxi, ut, quandoquidem de præternaturali quopiam adhærendi modo ſermo faciendus eſt, qui per modum ſarcomatis aliquando fieri adſuevit, demonſtrem, carnoſitatis terminum non adeo obſoletum eſſe, ut eodem uti nefas ſit. Meditandi occaſionem dederunt, tum aliæ, tum illæ potiſſimum, quæ apud non ſatis laudandum *Fred. Ruyſch.* habentur obſervationes [*r*] *de placentula, quæ per aliquod tempus in utero ſuperſtes, poſt embryonis excluſionem vel liquefactionem ita compreſſa & indurata fuerat, ut molæ ſpeciem referret, quamvis perperam pro tali haberetur.* Cui ſimilis eſt ejuſdem, quæ alibi exſtat obſervatio [*s*]. Remanentis cujuſdam placentæ corpus ſalva matre diutius retentum in duram carnoſam molem degeneraſſe, idem autor eſt [*t*], quæ, ſi ſic ſunt, quamvis, ut ingenue fatear, tale quidpiam nunquam mihi obvenerit, ſicut in numeroſa plebe, qualis Amſtelædami, obſervationum frequentia deeſſe non poteſt, qua nos caremus, ratio rei ſane alia reddi non poterit, quam quod vaſculis placentæ ſarcomatis modo in ſubſtantiam uteri radicatis ſimile quid monſtri ſubnaſci poſſit. Nec omittenda eſt ſingularis prorſus & dubia haud paucis viſa placentarum adhærendi ratio, orta a muſculi ſuppoſititii prava relatione, ita quidem, ut quandoque ſecundina extra ejus ſphæram activitatis ſitã ſit, ea *tanta violentia crebro adhæreat, ut non, niſi vi, extrahi poſſit* [*u*].

## §. X.

### *De adhærente ſecundinarum particula.*

Hactenus tota placenta arctiorem cum utero nexum ſervans noſtræ tractationis objectum fuit, operæ pretium nunc eſſe arbitror, de relicta ejus in utero particula, quædam diſſerere. Fieri ſcilicet haud raro ſolet, ut placenta in ambitu ſuo libera viſa manumque facile admittens, in media quapiam ſui parte adhæreſcat fortius, quam ut placide ſeparari poſſit. Inde quæcumque demum hujus adhæſionis cauſa fuerit, & ad quamcumque prædeſcriptarum reduci poſſit, non leve obſtetricanti negotium faceſſitur, ſi, poſtquam a feſtinante obſtetricis manu mutila extracta fuit placenta, tardius advocetur. Neque vero adminiſtrantis ſemper culpa eſt, ſi quidpiam ſecundinarum relinquatur, ſed ipſis in arte magiſtris ſimile quid ſiniſtri ſucceſſus evenire

 poteſt,

[*q*] *Galenus* claſſ. 1. de uſu partium corp. human. lib. 15. c. 4. edit. Froben. Baſil. 1562. fol. p. 422.

[*r*] Theſaur. anatom. IV. no. 29 Amſtel. 1704. 4to p. 14.

[*s*] Theſaur. anatom. IV. no. 101 Amſtelæd. 1705. 4to p. 69. 70.

[*t*] Adverſ. anatom. dec. 2. Amſtelæd. 1720. 4to p. 32.

[*u*] Tract. anatom. de muſculo in fundo uteri reperto. p. 9. 10.

poteſt, prout ingenue id de ſe faſſi ſunt magni in arte viri, de la *Motte* aliique [x]. Nec difficile eſt humani quidpiam pati, maxime eo tempore, ſi, prout obſtetricibus mos eſt, arrepto funiculo umbilicali ſeparationis negotium ſuſcipiatur. Neque enim tantum ille in radice ſua, qua placentæ immerſus eſt, aliquando evellitur [y] ſed & aliquam plus vel minus notabilem ſecundinæ partem poſt ſe relinquit, majori plerumque exiſtente tunc rerum diſcrimine, quam, ſi tota placenta adhærens in utero ſuperſit, hæc enim ſatis notabili temporis ſpatio remanet, quamvis, uti paulo poſt dicetur, non differenda ſit ejus extractio, illa vero ob continuam uteri hæmorrhagiam, niſi penitus evacuato utero non compeſcendam [z], in præſens vitæ periculum matrem adducit. Tanti ſcilicet momenti hoc negotium viſum eſt artis obſtetriciæ ſtatoribus, ut ſedulo commendent obſtetricibus adhibendam diligentiam, ne quidpiam ſecundinæ temere relinquatur. Quem in finem imperant, ut extractæ placentæ convexitas adſtantium examini ſubjiciatur, quo integritas ejus omnibus innoteſcere poſſit, utque, ſi portio nonnulla deſideretur, conquiri undique poſſit, id quod nulla mora conceſſa peragendum, &, ſi etiam omnia ſecura videantur, nihilo ſecius omnis navanda opera, ne quid peregrini in cavo uteri ſuperſit, id quod jam ſuo tempore *Hippocrates* [a] ſedulo ſuaſit, qui evacuandum ſanguinem grumoſum a puerperio & lochiis in utero collectum ſerio imperat. Ab hoc integritatem ſecundinæ explorandi, utrum tota exierit, officio neutiquam liberos ſe eſſe æſtimabunt magiſtri artis, cum & hic proverbium valeat: *Cum caviſſe ratus eſt, ſæpe cautor captus eſt*, nihil ſane magis imponit, quam nimia ſui ſuæque artis fiducia. Inde cum de la *Motte* [b] equidem ſentio, non decere bonum virum aſſiſtentium examini ſuam fidem ſubjicere, perſuaſum tamen mihi & hoc habeo, in tantæ dignitatis negotio cautelas adhiberi nimium nunquam poſſe. Clar. *Dionis* [c] latentis ſecundinæ partis, utrum parva, utrum grandior ſit relicta, ſignum ex conditione hæmorrhagiarum habet, ſiquidem mediocrem ſanguinis fluxum indicare afferat, integras ſeceſſiſſe ſecundinas, quæ ſi ex parte adhæſerint ſanguinis copiam utero evocare non intermittunt. Neque vero portione integra relicta, quo funeſta excitentur ſymptomata, opus eſt, cum radiculæ quædam, quibus ſecundina adhæſerat, relictæ, ſimilia mala producere poſſint [d]. ſecurum ſane neminem facere debet poſſibilitas, vel cum lochiis, ſi quid ſecundinarum ſuperſit, proditurum, vel putredine reſolutum iri, nec vana nos alere debet fiducia ſuo forte tempore com-

[x] L. c. liv. 5. c. 1. obſerv. 380. p. 729. 730.

[y] *De la Motte* l. c. liv. 5. c. 1. obſerv. 379. p. 727. *Paul Portal*. l. c. obſerv, 14. p. 85. *Dionis* l. c. liv. 3. c. 6. p. 223. ſeq.

[z] *Devent.* nov. lum. obſt. c. 33. p. 144. *Dion.* l. 2. c. 13. p. 170.

[a] De morb. mulier. lib. 1. part. 75. edit. Linden. T. 2, p. 461.

[b] L. c. liv, V. c. 1. obſerv. 379. reflex. p. 729.

[c] L. c. liv. 3. c. 6 p. 225.

[d] *Siegemundin* l. c. c. 6. p. 119.

comparituras, prout exemplum portionis quarto a partu menſe innoxiæ prodeuntis habetur apud *Theod. Kerkringium* [*e*].

## §. XI.

### *De cauſis procatarcticis, ſignis & ſymptomatibus ſecundinarum adhærentium.*

Superſunt quæpiam dicenda de cauſis remotioribus, quibus vel ſecundinarum adhæſio conciliari vel jam exiſtens firmior effici poteſt. Lautiorem vitæ diætam *Dionis* [*f*] accuſat, quam probabile eſt id efficere, ut turgentibus a plethora capillaribus uteri vaſis, ejuſdemque ſubſtantia repletiore humoribus facta, utriuſque generis vaſorum anaſtomoſis ob auctum præter naturam diametrum eorum cohæreat, nec, quæ a dehiſcentibus & collabaſcentibus vaſis oritur, ſeparationem ſecundinarum admittat. Neque etiam dubium eſt, hinc inde varia obvenire in vita communi errorum & ab extra accidentium genera, quæ accuſari hoc in negotio poſſint, verum hæc tanquam dubia in medio relinquere, quam audacius definire malumus. Quamvis etiam, quæ inter retentionis ſecundinarum cauſas allegantur a *Joanne Varandæo* [*g*], ſubitus aëris adpulſus, animi pathemata, imbecillitas & languor parturientis [*h*], anguſtia & contractio matricis, ſuo modo adhæſionem graviorem reddere, ejuſdemque ſymptomata augere poſſint, ex longinquo tamen huc ſpectant, noſtramque diſcuſſionem adeo non merentur. Intactam interim relinquere non poſſumus notabilem & periculoſam ſatis abrupti ex ſede ſua funiculi umbilicalis conditionem, qua adhæſio ſecundinarum per ſe difficultatibus non carens, difficilior efficitur. Agnovit hujus rei momentum jam ſuo tempore *Hippocrates* [*i*] & ille quidem eventus peritioribus etiam non ſemper evitabilis prædicatur a de la *Motte* [*k*]. Videamus nunc qualia & quot ſymptomatum genera excitentur in corpore muliebri, ſiquidem placenta fortius adhæreſcat. In varias partes abire autores in definiendo nocivo adhærentium ſecundinarum effectu animadvertimus, aliis ſine noxa, ſatis notabili tempore, eaſdem adhærere poſſe aſſerentibus, aliis periculoſa quævis exinde ſubſecutura pro certo declarantibus. Plurima horum ſymptomatum, quorum alibi commemorandorum erit opportunitas, communia ſunt cum retentione ſecundinarum, ventris ſcilicet dolores, rigores ac febres, ſecundum *Hippocratem* [*l*] ſuffocatio. Apoplexia, epilepſia & alia mala, ſecundum *Jacob. Rueff* [*m*]. Verum id peculiare habet perfecta adhæſio,

[*e*] Spicileg. anatom. l. c. obſerv. 36. p. 78.
[*f*] L. c. liv. 3. c. 5. p. 221.
[*g*] De affect. mulier. lib. 3. Hannov. 1619. 8vo lib. 2. c. 11. p. 342.
[*h*] *Euchar. Rhodion.* libell. de partu hominis. Francof. 1556. 8vo c. 6. p. 23.
[*i*] De morb. mulier. lib. 1. par. 76. edit. Lind. T. 2, p. 462.
[*k*] L. c. obſerv. 379. 381. 385. 389.
[*l*] De morb. mulier. lib. 1. part. 79. 77. edit. Lind. T. 2. p. 462.
[*m*] De conceptu & generatione, Tigur. 1554. 8vo lib. 3. c. 4. p. 25. b.

hæſio, quod hæmorrhagiam ob clauſos uteri poros comitem nullam habeat, quo factum eſſe videtur, quod infantes quidam incruenti totoque corpore candidi nati ſint, quod inter rariora exempla ponit *Thomas Bartholinus* [*n*], quodque, ſi contingeret, bono omine factum eſſe credebatur, ſic enim ex *Julio Capitolino* in *Clodio Albino* habetur: *Filius mihi natus eſt ſeptimo Kalendas Decembris ita candidus ſtatim toto corpore, ut linteamen, quo exceptus eſt, vinceret.* Cruenti certe infantes ſeceſſum ſecundinarum ex parte jam eſſe factum, indicant: Inde recens nati *a matre rubentes*, dicuntur, ſic enim *Juvenalis* [*o*].

*Sidera te excipiunt, modo primos incipientem*
*Edere vagitus & adhuc a matre rubentem.*

## §. XII.

*De adhærentium ſecundinarum extractione differenda ad mentem quorundam.*

Poſtquam varios adhærendi modos, quibus ſecundinæ obſtinaces reſiſtunt, conſideravimus, poſtquam & cauſæ, quotquot huc facere videbantur, expoſitæ fuere, proximum nunc eſt ſcire, quid in dubio ejuſmodi rerum ſtatu agendum ſuperſit, an ſcilicet concedenda ſit quædam adnaſcenti placentæ mora, & utrum expectationi ſine puerperæ periculo aliquid largiendum ſit, an vero temporis lucrandi cauſa connivere nullo modo obſtetricans debeat, nec differenda ſit ſecundinarum extractio? Operæ pretium eſſe arbitror, utriuſque quæſtionis indolem altius rimari. Prior ſententia de differenda extractione fuit antiquorum omnium & quorumdam ex recentioribus. Expectabant antiqui medici vel ſpontaneum ſecundinarum adhærentium ſeceſſum, vel putredine factam aliquo poſt tempore diſſolutionem. Quandoquidem illi alium ſecundinas auferendi modum præter eum, qui fit attracta chorda umbilicali ignorabant, prout videre licet ex *Hippocrate* [*p*], quo ipſo mirum non eſt, illis, donec id ſua ſponte fieret, quod arte efficere non poterant, indulgendum fuiſſe, quodque, id ſine periculo fieri poſſe, celebrium auctorum teſtimonio intelligamus. *Si ſecundinæ non facile exierint, ſinendæ ſunt*, ait *Hippocrates* [*q*]. *Vel ſponte ſeceſſuras* [*r*], *vel putredine diffluxuras*, *quod ſexto, vel ſeptimo poſt partum die fieri debeat*, hic ipſe declarat [*s*]. Repetit hoc conſilium *Aëtius* [*t*]. Poſt paucos dies in ſaniem ſolutas

[*n*] L. c. de puerper. veter. p. 63. ex *Julio Capitolino* ext. c. hiſt. aug. ſcript. Sax. c. not. *Ulr. Obrechti*, Argent. 1677, 8vo p. 209.

[*o*] Satyra VII. v. 195. ſequ. ex recenſ. *Henr. Chriſt. Hennini*, Ultraj. 1685. p. 212. 13.

[*p*] De morb. mulier. lib. I. part. 76. edit. Linden. T. 2. p. 462.

[*q*] De ſuperfetatione part. 5. edit. Lind. T. 2. p. 647.

[*r*] De morb. mulier. lib. 1. part. 77. edit. Linden. T. 2. p. 463.

[*s*] De morb mulier. lib. 1. part. 76. edit. Linden. T. 2. p. 462.

[*t*] Tetrabibl. lib. 4. ſerm. 4. c. 24. ext. in *Henric. Stephan.* med. art. princ. Tom. 2. 1567. p. 791.

ſolutas ſecundinas excidere ſpondet *Paulus Ægineta* [ *u* ] aſſentiente *Avicenna* [ *x* ] : *non egreditur ſecundina , ne ſollicites , ipſa enim poſt paucos dies reſolvetur.* Sequuntur hanc mentem omnes hippocraticæ & galenicæ ſcholæ medici quotquot in collectione *Iſraël Spachii* [ *y* ] de partu allegantur, inter quos *Ambroſius Paræus* de hominis generatione [ *z* ] ſequentia habet: *viſæ ſunt mulieres, ſecundinas, quas nulla ars revellere potuerat, putredine & temperie corruptas fruſtatim per vulvam multis horrendis ſymptomatibus ſupervenientibus excluſiſſe.* Incertum tamen fuit omnibus, per quod temporis ſpatium innocenter ſupereſſe ſecundinæ in utero poſſint; quatuordecim hebdomadarum mora ſecundinas ſine noxa retentas allegat *Thomas Bartholinus* [ *a* ]. Integri & dimidii anni tempus largitur *Chriſtianus Menzelius* [ *b* ] quo effluxo ſecundina quædam arida excreta fuerit. Impatientem tantæ moræ placentam agnoverunt alii. De la *Motte*, altero ſtatim die fetidiſſimam & ſanie corruptam deprehendit [ *c* ], *Scipio Mercurius* [ *d* ] adhærentes diutius ſecundinas facillime putreſcere agnovit, plurimis metus obfuit, ne promptam ſecundinarum expeditionem ſuſciperent, timentibus, ne uteri fundum excorticarent, alioque modo male tractarent, ſic enim *Solingen: melius eſt ſecundinæ partem relinquere, quam uterum lædere.* Manifeſtum vitæ periculum ſubeſſe, ſi relinquantur, negat, maximum vero rerum diſcrimen incurrere puerperas, ſi vi removeantur, aſſerit *Zacut. Luſit* [ *f* ]. Maxime omnium hoc negotium de differenda ſecundinarum extractione urſit *Fred. Ruyſch.* manifeſte aſſerens prudentius eſſe relinquere placentam, quam lethali feſtinatione occidere ægram [ *g* ], ſiquidem a natura ipſa excutiatur [ *h* ], grave adeo periculum, ſi remanſerit, ſubeſſe negans [ *i* ] imo contra probatiſſimorum in arte virorum, quos ex parte allegavimus fidem ipſamque autopſiam non putreſcere, non in pus ichoremve abire, ſicque in putridum liquamen redigi, neque adeo deſcripta ab auctoribus mala, ſi reſtiterint, ſubſequi poſſe, affirmans [ *k* ], in quo ſuam experientiam pro primo rei argumento agnoſcit. Mirum ſaltem videri poterat, quomodo a rarioribus exemplis placentarum in hydatides tranſeuntium [ *l* ], aliove modo in mo-

[ *u* ] Oper. Lugdun. 1589. 8vo lib. 6. c. 75. p. 635.
[ *x* ] Lib. 3. fen. 21. tract. 1. c. 16. edit. cit. p. 720.
[ *y* ] Gynæcior. libr.
[ *z* ] C. 18. apud eundem p. 415.
[ *a* ] Acta med. Philoſ. Haf. an. 1633. 8vo acceſſ. examen obſtetr. p. 54.
[ *b* ] Miſcell. nat. curioſ. decad. 2. an. 1. obſerv. 31. p. 74.
[ *c* ] L. c. lib. V. c. 2. obſ. 388. p. 740.
[ *d* ] Commare. Veron. 1645. 4. lib. 2. c. 30. p. 178.
[ *e* ] Embryulcia c. 34. p. 173.
[ *f* ] Op. de medicor. princip. hiſtoria lib. 6. Lugd. 1667. fol. T. 2. lib. 3. c. 19. p. 522.
[ *g* ] Adverſar. anat. dec. 2. p. 31.
[ *h* ] Ibid. p. 34.
[ *i* ] Ibid. p. 36.
[ *k* ] Ibid. p. 33.
[ *l* ] Obſervat. anatom. chirurg. 33. alibique p. 43.

læ ſimilem formam mutatarum [*m*], ad id quod plurimum fit, concludere quis audeat, & qua ratione prope ſe invicem ſtare poſſint ſententiæ, *placenta embryonis non matris pars eſt habenda* [*n*], & pars a toto ſuo avulſa, non putreſcit. Quamvis enim inflammationem & gangrænam proprie ſic dictam, de parte quapiam avulſa prædicari non poſſe cum eodem ſentiamus, facere tamen non poſſumus, quin contra eumdem, ſalva tamen tanti viri dignitate, ſtatuamus, putredinem & redundantia exinde ad matrem mala retentis ſecundinis eſſe inevitabilia. Turpe ſane eſt cum detrimento ſalutis humanæ expectare velle, donec ſpontaneo motu eveniat, quod fieri poſſe dubitamus, prout medici eventus morborum expectantis indignitatem contra *Harvæum*, *Georgius Erneſtus Stahlius* [*o*] vivis coloribus depinxit.

## §. XIII.

*De differendæ extractionis a Ruyſchio aſſertæ primario ſtabilimento, muſculo ejus in fundo uteri reperto.*

Quod omnibus novitate inventorum ſuperbientibus auctoribus commune eſt, ut pro inventi gloria, quidquid denique ex longinquo ad eamdem ulterius confirmandam facere poteſt, accerſant, id Cl. etiam huic auctori familiare eſſe, deprehendimus. Quo enim muſculi ſui a paucioribus hactenus agniti, a plurimis in dubium vocati, virtutem magni faceret, rationem, cur differenda ſit placentæ extractio, collocat in motu fibrarum muſcularium, quæ placentam amplexæ eamdem ſine obſtetricantis miniſterio ſint expulſuræ. Aſſeruit hanc ſuam ſententiam, tum in ſæpius allegato adverſariorum loco, tum maxime in peculiari libello, qui inſcribitur: *Tractatio anatomica de muſculo in fundo uteri obſervato, ante hac a nemine detecto* [*p*], cui icon, rem declarans, adjecta eſt. Ut autem mens Cl. Auctoris recte intelligatur, quam male interpretatos eſſe quoſdam arbitror, adducenda ſunt, quæ pagina hujus tractationis nona habentur: *In his lectionibus meis me dixiſſe fabulantur placentam poſt fetum editum non eſſe expellendam, ſed ordinarium tempus depulſioni eſſe concedendum, donec a natura ipſa expellatur. Num mentem meam male intellexerint, vel male interpretati ſint, non urgeo. Dominos inſpectores judicia hæc deteſtaturos, nec figmentis his adſenſuros certo ſcio. Illud tum temporis tantum intendebam, placentæ uterinæ utero firmius adplicatæ, nulliſque conſuetis lenibus remediis flexili, conſultius eſſe ordinarium ante ad depulſionem tempus largiri, quam nimis feſtinantibus & periculoſis remediis eam expellere*

[*m*] Adverſar. anat. dec. 2. p. 32.
[*n*] Ibid. p. 31.
[*o*] Sileni Alcibiadis i. e. Ars ſanandi cum expectatione, oppoſita Arti curandi nuda expectatione, Offenbac. ad Moen. 1730. 8vo.
[*p*] Ext. c. oper. ei. Amſtel. 1726. ex Belgico in latinum traducta a *Jo. Chriſt. Bohlio.*

*lere velle.* Apologiam ſibi hic ipſi condidiſſe noſtrum contra adverſariorum, á quibus male intellectus fuerat, objectiones, per ſe innoteſcit, neque adeo a noſtra diſcrepat iſthæc ſententia, ut non conciliari facile inter ſe utraque, prout paulo poſt videbimus, poſſit. In eo ſaltem non poſſum non accuſare, animi mei vel imbecillitatem, quod muſculum huncce, retentionis, auctorem & medicinam, temere credere nequeam, vel infelicitatem, quod in uteris gravidis, quos hunc in finem ſecui, eumdem haud invenire potuerim. Si recte intelligo Cl. Inventorem, evolutis, quæ de muſculo agunt, locis, ſemel ſaltem hunc muſculum ab eodem obſervatum fuiſſe deprehendo, mentionem ſcilicet hujus novitatis præter allegatum tractatum, decade ſecunda adverſariorum [*q*] & tertia [*r*], ſed in eodem ſubjecto viſæ, facit: Verum ſicut veritates anatomicæ obſervationum frequentia & conſtantia nituntur, ita, ſalvo aliorum judicio, hocce excluſionis ſecundinarum organon tamdiu pro ſuſpecto habere liceat, donec id, quod ſedulo facere allaborabo, ad oculum demonſtratum fuerit mihi, quodſi contigerit, me meam, in qua nunc verſor, ignorantiam publice profeſſurum ſpondeo. Probe novi magnos muſculum huncce inveniſſe poſt *Ruyſchium*, ſtatores & defenſores, gratulatus eidem publice eſt de hoc invento *Hecquetus* [*s*], itidemque Clar. *Abrahamus Vaterus* [*t*], nec non Cl. *Stenzelius* muſculo uteri aſſentire videtur [*u*]. Verum neuter a ſe viſam hancce orbicularium fibrarum ſeriem prædicat. Noviſſime tamen omnium exercitatiſſimus in rebus anatomicis vir *Alexander Monro*, ſcotus, a ſe obſervatum & tam reticularibus, quam orbicularibus fibris conſtantem aſſeruit [*x*]. Fidei tantorum virorum nihil derogamus, conſtanter tamen aſſerimus, haud improbabile videri, tractum ejuſmodi fibrarum detectum fuiſſe in utero, cujus membrana interna a fundo uteri violenta ſeparatione ſecundinarum abſceſſerit, quo facto, mirum non eſt carnoſos apparere fibrarum vario modo diſpoſitos faſciculos, quandoquidem uteri ſubſtantiam internam muſculoſam jamdudum deſcripſit *Philip. Verheynius* [*y*], itidemque *Frider. Plazzonius* [*z*] aliique. Neque errarent meo judicio, qui termino Cl. *Boerhavio* ſolemni totum uterum muſculum cavum appellarent [*a*], ſiquidem ejus virtus motrix & in genera-

Ggg 2 tionis

[*q*] P. 34.
[*r*] Tab. 3. fig. 1.
[*s*] Epiſtola viri Cl. *Hecqueti* ad D. D. *** de Ruyſchiano uteri muſculo, ext. c. *Ruyſch.* op. Amſtel. 1727.
[*t*] Epiſtola gratulatoria ad *Fred. Ruyſchium* de muſculo orbiculari in fundo uteri detecto ext. c. *Ruyſch.* op. Amſtel. 1727. accedente ejuſdem reſponſione. ibid.
[*u*] *Chriſt. Godofr. Stenzelii* diſſert. de utero inſonte, reſp. Jo. Fried. Zembſch 1735. 4. §. 25. p. 35.
[*x*] An Eſſay on the nutrition of fetuſſes. recenſitus Tom. 3. medical Eſſays and obſervations reviſed and publiſhed by a ſociety in Edinburgh. edinb. 1734. 8vo v. 3. p.128.
[*y*] Corporis humani anatomia edit. ſecund. Bruxel. 1710. 4to lib. 1. tract. II. c. 25. p. 127. & lib. 2. tract. v. c. 23. p. 382.
[*z*] De partibus generationi inſervientibus, Lugd. Batav. 1644. 12. lib. 2. c. 16.p.170.
[*a*] Inſt. med. §. 88. p. 47. & §. 187. p. 91.

tionis negotio [*b*], & in partus adminiſtratione plurimum eluceſcit, quid enim vis expultrix termino *Varandæi* [*c*] in utero exiſtens valeat, experiuntur illi, qui manum ſuam ab utero arreptam & ſtrangulatam unquam habuerunt, quique violentos convulſivi uteri motus attente perſpexerunt. Duo certe ſunt, quæ me de utilitate laudati muſculi dubitantem reddiderunt; unum, ipſo fatente autore, ejus ſaltem in fundo uterino exiſtentia, cum ſint placentæ in cervice collocatæ & facillimo negotio ſine muſculi hujus efficacia abſcedentes, totum autem uterum fundum appellare velle, inadæquatum, vel naturam aliquo in loco ſibi ipſi inſufficientem arbitrari, impium eſſet; alterum, contemplatio, quid denique fiat cum hoc muſculo, ſi uterus vacuus eſt, an collabaſcat & turgente utero extendatur, an ſingulis graviditatis vicibus regeneretur. Facile tamen patior ſuo quemque abundare ingenio, ſane, quodſi niſi expellente muſculo nunquam prodire deberent ſecundinæ, raro abſceſſuras eſſe arbitror, neque ſecurum facere debet lubrica iſthæc obſervatio obſtetricantem, ut otioſus expectando muſculi effectum aſſideat, quin potius eo navanda opera omnis eſt, ut, quam fortiter etiam adhæreat ſecundina, ejus extractio inſtituatur quantocyus, quo in negotio ſuæ, quidquid in contrarium ab aliis monitum fuerit, dexteritati fidere unumquemque decet; magna ſane uſus eſt felicitate paucioribus in prolixa praxi verſantibus ſolemni, muſculi inventor, quod per quinquaginta annos, prout de ſe prædicat, nulla ipſi in utero relicta fuerit ſecundina, nullaque, indulgendo & expectando, puerpera ad orci fauces fuerit deducta.

## §. XIV.

*De non differenda ſecundinarum adhærentium extractione in gravidis ante terminum.*

Boni viri eſt ſalutem humanam fortuito caſui non relinquere, ſed periclitantem, qua fieri poteſt, breviſſima via, diſcrimine educere, inde, dum adhærentes ſecundinæ ſpontaneo naturæ motu vix excludi poſſunt, judico, conjunctas obſtetricantis vires cum uteri conatu eſſe neceſſarias. Formandus eſt controverſiæ, quam hac potiſſimum in diſſertatione urgeo, ſtatus, in quo totius diſputationis cardo vertatur. Removeamus primo leviores adhærentiæ gradus, in quibus expectandum eſſe, nec ipſe *Ruyſchius* ſecundum ſuperius allegata verba aſserit. Ponamus potius ſummum adeſse adhæſionis gradum, adnaſcentiam, coalitum, mutuam fibrarum placentæ atque uteri inſertionem: In hoc diſſentimus. Nam quodſi ille ſtatus detur, quem invincibilem fere perſentiſcit manus, quodſi ſic cohæreat placenta, ut metus ſit, ne, dum ſeparare ſtudemus, in fruſta diſcerpatur, in hac rerum facie expectandum potius, quam incerto eventu tentandum eſſe, ſtatuit Cl.

[*b*] Inſt. med. §. 675. p. 325.
[*c*] L. c. lib. 2. c. 11. p. 342.

Cl. *Ruyſch.* nos contrarium defendimus, firmiter perſuaſi, nullum eſſe adhærentiæ gradum, qui non ſuperari provida & in encheireſi experta manu poſſit, nec indulgendum eſſe moræ, niſi unico in caſu, ubi convulſivi motus & uterum & totum corpus invadunt, quando ſcilicet ob matricis miram contorſionem & incertas manus operationes jactitatione corporis puerperæ factas, nihil omnino tentari poteſt, ſicut id ipſum ſymptoma placentæ adhærenti junctum, pro lethali plerumque ipſe Clar. *Ruyſch.* [*d*] habet. Facile enim in partes ſæpius laudati auctoris abeo, quotieſcumque monet, extractionem fieri debere abſque violentia, non feſtinanter extrahendam ſecundinam eſſe [*e*]. Acrius juſto contra magni nominis virum diſputavit *Chriſtianus Polycarpus Leporinus* [*f*], muſculi hujus veritatem & expectandæ ſpontaneæ ſecundinarum excretionis opinionem fortiter oppugnans, quem miratus ſum, ſuam experientiam nullibi *Ruyſchianæ* quinquaginta annorum experientiæ oppoſuiſſe: Intellexi vero paulo poſt ex illis, quæ habentur operis ſui p. 133. *apud ſe non moris eſſe ut medici parturientibus opem ferant.* Duplex autem exiſtit extrahendarum ſine mora placentarum caſus, alter in gravidis, quæ ante terminum ex ſtatu præternaturali ad pariendi neceſſitatem adiguntur, alter in gravidis, quæ terminum attigerunt. Magni momenti, magnæque deliberationis mihi ſemper viſa eſt prior quæſtio, quid faciendum ſit practico, quotieſcumque enormes hæmorrhagiæ prioribus ultimiſve geſtationis menſibus in manifeſtum vitæ diſcrimen matrem adducunt, id quod ex ſanguinis effluentis quantitate, ſymptomatumque, lipothymiæ æque, ac convulſionis, conditione, facile judicari poteſt. Hæc quæſtio denuo duplicem admittit differentiam; aut vitalis eſt fetus [*g*] id eſt ſeptimeſtris & ultra, aut omni ſpe vitæ in athmoſphæra continuandæ privatus. Ante medium geſtationis tempus abortus haud raro imminent, alii termino propiores fiunt. Ponamus caſus utriuſque naturæ vel utrinque mixtos, quod determinatu arduum eſt: quæritur, quid hinc, quid illinc faciendum ſit. Res tota ad obſtetricantis de ſtatu embryonis matriſve plenariam cognitionem redit: ego hac in re, non quid mihi, ſed quid aliis me peritioribus videatur, exponam. Cl. *Mauriceau* [*h*] non dubitat embryones, quo ſalva mater eſſe poſſit, educere, quidquid de vita eorum paulo poſt ſtatui poſſit, idemque de la *Motte* [*i*] qui ad liberandam a periculo matrem neceſſarium eſſe aſſerit, ut obſtetricans jam remotam ex parte ſede ſua



[*d*] Adverſar. anatom. dec. 2. p. 30. 31.

[*e*] L. jam cit.

[*f*] *Kurtze doch gründliche Erörterung einiger die zurück gebliebene Nach-Geburth betreſſender Fragen, Leipz-und Quedlinb.* 1728. 4to.

[*g*] Totam controverſiam de ſeptimeſtri vitali ſextimeſtri non vitali ſua & auctorum fide accurate evolvit *Paul Zacchias* quæſtion. med. legal. Francof. ad Moen. 1688. fol. lib. 1. tit. 2. quæſt. 2. & 3. pag. 54.

[*h*] *François Mauriceau obſervations ſur la Groſſeſſe & l'Accouchement des Femmes, Paris* 1715. 4*to*. Caſus huc ſpectantes adduci poſſunt ex titulo ej. Auct. *Accouchemens où l'arriere faix ſe préſentoit devant l'enfant*, & titulo: *perte de ſang de la Femme groſſe.*

[*i*] L. c. liv. 3. c. 6. p. 346.

ſua ſecundinam poſt factam extractionem fetus propediem ſeparet, quæ quamvis minus reſiſtat, alia tamen quam adhærens eſſe nequit, utpote quæ extra maturitatis terminum verſetur. Suffraganeum habent prædicti auctores *Dionis* [*k*] aſſerentem, etiam ſi ad partum diſpoſita non fuerit mater, hæmorrhagia urgente & periculum vitæ minitante, obſtetricantis manu promovendum eſſe partum, qui actus ſcilicet in placentulæ vel majoris vel minoris ſeparatione ejuſdemque poſt fetum extractione conſiſtit. Mirum quibuſdam videri poterat, qua ratione parvuli etiam fetus, paucarum ſeptimanarum ætatem attingentis placentulæ æque gravia, ac ſi adultiores eſſent, ſymptomata, imminente abortu excitare poſſint, verum declarata res eſt, matres periclitari hoc rerum ſtatu. Teſtis inter alios ſit *Amand* [*l*] qui quinque hebdomadum fetum ſeminis phaſeoli magnitudinem æquantem, ſecundinis ſuis adhuc incluſum ea propter utero educere coactus fuit, quia hæmorrhagiæ matrem affligentis enormitas eumdem, quo id ageret, impulerat. Quodſi ſint, quibus durum videatur, imperfectum fetum ſic vita privare, quo mater ſalva eſſe poſſit; multo magis ſi grandior ſit & termino propior embryo, eumdem remittimus ad magnæ auctoritatis virum, *Joannem Bohnium* [*m*]; in diſſertatione, de abortu ſalutari, qui, ſicut de tota materia ex rei dignitate egit, ſic præſentem quæſtionem, decidendo, debere ſalutem matris primariam curam eſſe, definivit.

## §. XV.

*De non differenda ſecundinarum adhærentium extractione in termino.*

Propius accedendum eſt ad ea, quæ nervum præſentis diſſertationis attingunt, ad illam ſcilicet quæſtionem quæ de non differenda fetus maturi placentæ extractione inſtituitur. Jam alibi mentem noſtram expoſuimus: omnis moræ impatientes eſſe ſecundinas, nec expectandos eſſe ſpontaneos naturæ conatus: nunc aſſertionis rationes exhibendæ veniunt, quarum plures ſuperius allegatus *Leporinus* adduxit, gravitatem ſcilicet ſymptomatum, quæ preſſo pede ſequuntur, ſi paulo poſt fetum ſecundina non exeat, cujus rei veritati non tantum allegata ibi auctorum teſtimonia [*n*] ſed & quotidiana experientia ſubſcribit. His addere animus eſt quædam aliorum obſervata. Peculiaria ſunt, quæ de inflammatione ſecundinarum habet *Varandæus* [*o*], quam proprie ſic appellari poſſe, negavimus in ſuperioribus, niſi fortaſſe peculiarem quempiam ſanguinis circulum in fibris ſecundinarum

[*k*] L. c. liv. 2. c. 13. p. 170.
[*l*] L. c. obſ. 9. p. 94.
[*m*] Reſpond. Georg. Chriſtian. *Werther*, Lipſ. 1701 §. XXV. p. 23.
[*n*] L. c. p. 55. 69. ſequ.
[*o*] L. c. lib. 2. c. 11. p. 342. 343.

narum motricibus prout Cl. *Ruyſchius* [*p*] habet, ſtatuere velis, quam hypotheſin aſſumere neceſſarium eſſet, ſi quis motum ſecundinæ proprium pro ſui ab utero ſeparatione ſupponere vellet. Interim tamen qui ex putredine ſecundinarum ad matrem lege vaſorum abſorbentium [*q*] redundant affectus, *nauſea*, *lipothymia*, *dyſpnoea*, *ſudor diaphoreticus*, *frigiditas extremorum*, *hyſterica ſuffocatio*, *epilepticus inſultus*, recenſente præmemorato *Varandæo* [*r*] ſequuntur, extra omnem dubitationis aleam poſiti ſunt. Addit *dolores poſt partum*, *alvi obſtructionem*, *urinæ incontinentiam & ſuppreſſionem*, *hæmorrhoides*, *genitalium ſcabiem*, *pruritum*, *rupturam uteri*, *vulnera*, *ulcera Hermannus Corbæus* [*s*]. Horrenda eademque lethalia hæc eſſe ſymptomata, ſi diu in utero relinquantur, & non minora, quam quæ ex fetu mortuo fiunt, judicat hic ipſe auctor [*t*]. Cor & cerebrum in conſenſum trahi autumat *Ambroſius Paræus* [*u*], diſpoſitionem malignam patienti accidere propter vapores malos aſcendentes ex ſecundina ad cerebrum, cor, ſtomachum, pro ſuo ingenio allegat *Avicenna* [*x*]. Vomitiones bilioſas reiteratas, humore nigro fetidoque ſtipatas inter funeſta ſymptomata habet de la *Motte* [*y*], utpote, quo ſphacelum ex uteri ſubſtantia ad inteſtinorum canalem migraſſe cognoſcimus. Neque uno alterove poſt die, ſed immediate ſubſequi hoc malum innuit prædictus auctor hoc ipſo loco, quandoquidem in celeri ſeparatione ſecundinarum adhuc aliquam ſpem ſalutis autumat ſupereſſe. Febrem violentam, graves capitis dolores, oſcitationes, ſyncopes, humorum fetidiſſimorum effluentiam ſequi, auctor eſt *Amand* [*z*], quæ omnia ſicut contra expectationis patronos militant, ſic verbis *Peu* [*a*]: *imperant, ut ob ſequelas, moram diuturniorem ſecundinarum excipientes & periculoſiſſimas, promptitudine opus ſit, ſiquidem nec cito nimium, nec caute nimium illæ extrahi poſſint.* Non differendam ſecundinarum extractionem conſulit ulterius præter allegata mala, preſſo poſt excluſum fetum pede ſubſequens uteri contractio, orificii uterini interni ſtrictura, & inde orta vel manus immittendæ difficultas, vel loculi talis [*b*], qualem alibi deſcripſimus circa ſecundinam efformatio. Supponamus omnia mitiora, ſit nobis placenta ad mentem *Ruyſchii* moræ patiens, ſi ſalus etiam puerperæ nullo modo periclitaretur, commoditati tamen matris & brevitati laborum aliquid

[*p*] Adverſar. anatom. dec. 3. p. 35.
[*q*] Sicut vaſa abſorbentia in cute adeſſe demonſtravit Cl. *Boerhavius* inſtit. med. §. 421. p. 402. prout eadem in ore, oeſophago, ventriculo præſto eſſe judicat §. 87. no. 5. p 46. ita ſimilia forte & in uteri cavo reperiuntur.
[*r*] L. jam c. p. 343.
[*s*] Gynæceium, Francof. 1620. 8vo lib. 2. c. 6. p. 271.
[*t*] L. jam c. p. 272.
[*u*] De hominis generat. c. 18. apud *Iſraël. Spachium* p. 413.
[*x*] Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 720.
[*y*] L. c. liv. 4. c. 13. obſerv. 346. p. 656.
[*z*] L. c. obſerv. 31. p. 138.
[*a*[ L. c. liv. 2. c. 15. p. 494 495.
[*b*] Ibid. l. c. p. 494.

aliquid concedendum eſt, nec video, cur in craſtinum differendum ſit, quod hodie & in inſtanti quidem, quamvis cum aliqua difficultate, fieri debebat. Τὸ μηδὲν ἀναβαλλόμενον, ſi ullibi in re medica, hoc ſane in paſſu laudes ſuas meretur.

## §. XVI.

*De prudentia obſtetricantis in adminiſtranda ſecundinarum adhærentium extractione.*

Lenta remedia & ſegnes medicos non expetunt tempora mea, dixiſſe Alexandrum Magnum cum morbi medicinam poſtularet, ſeque non præceps, ſed ſtrenuum remedium afferre prædixiſſe Philippum medicum, ex *Q. Curtio* [c] perſpicimus: id ipſum, quo fiat, in ſecundina tenacius adhærente, utpote de qua vita & mors puerperæ dependet, maxime opus eſt, id quod nobis exponendum ſupererit. Conjunctiſſimam cum celeritate expeditionis, actionis prudentiam & circumſpectionem, ſicut in omni humana vita, ſic & in ancipiti hoc adminiſtrationis genere requiri, autumamus. Videamus ante omnia, quæ antiquorum placita hoc de negotio exiſtant. *Ariſtoteles* [d] funiculi umbilicalis deligationem, antequam ſecundinæ removeantur, ſuadet, ſine dubio quod hæmorrhagia per chordam umbilicalem facta conſumi poſſe puerperas eo tempore crederetur. Pro expectantium, donec ſponte exeant, ſententia fuiſſe Hippocratem in ſuperioribus demonſtratum fuit, nec alia apud eumdem adhærentis ſecundinæ curatio, quam, quæ putrefactione fit, invenitur [e]. Rectius & appoſite magis *Ægineta* [f], itidemque *Aëtius* [g] ſentiunt pro extractione adornanda *leniter primum, deinde magis intenſe, cavendo uteri prolapſum*, attrahendum eſſe. Singularem quempiam antiquorum morem exponit *Avicenna* [h]: *Antiqui præcipiunt obſtetrici, ut involveret manum ſuam in panno & intromitteret eam & arriperet ſecundinam.* Crudelius paulo ſecundum *Moſchionem* [i] cum puerperis, quibus affixa erat placenta, egerunt, qui a ſcala ſuſpendendam eſſe, & quo exiret placenta, concutiendam ſuadebant, quo referente pondera etiam quæpiam appenſa fuerunt funiculo pro eodem inſimul cum ſecundina deprimendo [k]. Mitius paulo agimus cum noſtris, & ſi dicendum quod res eſt, non extrahimus ſecundinam adhærentem, ſi ſcilicet umbilicalis chorda metum injicit, ne in radice dehiſcat, ſed admota propius manu eamdem deglubendo ſeparamus; quæ encheireſis, quamvis omnium mitiſſima ſit, ſuis tamen cautelis

[c] Lib. 4. c. 5 & 6.
[d] Hiſtor. animal. lib. 7. c. 10. edit. Pariſ. 1619 fol. p. 895.
[e] *Hippocrat.* de morb. mul. lib. 1. ſect. 77. edit. Linden. Tom. 2. p. 463.
[f] L. c. lib. 6. c. 75. p. 634.
[g] Tetrabibl. 4. ſerm. 4. c 24. ext. in *Henr. Stephani* med. art. princ. T. 2. p. 791.
[h] Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 720.
[i] C. 54. apud *Iſraël. Spach.* p. 5.
[k] Ibid.

cautelis indiget. Merentur apponi, quæ apud *Peu* [*l*] lego: *dexteritate ad ſeparandam, ſi adhæſerit ſecundina, patientia ad placide agendum, ſi nimium adhæſerit, ingenio ad dignoſcendos placentæ ſtatus, promptitudine ad tempus lucrandum, experientia ad definiendos, qui regulis carent, caſus, opus eſt*; hiſce ſane in verbis totius negotii compendium continetur, poſſentque eadem pro mente noſtra explicanda ſufficere, niſi ſpecialiora quædam, encheireſes ipſas concernentia, exponenda ſupereſſent. Taxandi ante omnia ſunt obſtetricum quidam errores, quos in ſeparatione legitime inſtituenda committunt. Reſectionem unguium ſana ratio neceſſariam eſſe imperat; inde condonandum non eſt *Ludovico Mercato* [*m*], quod unguium quemdam uſum in hac operatione faciat, inquiens: *Si vero tenaciter adhæret ſecundina, ut unguibus extrahi non poſſit, immitti debent medicamenta.* Metus ſane manifeſtus ſubeſt, ne armati unguibus digiti teneram uteri ſubſtantiam lædant, excorticent, & in inflammationis periculum adducant, quamvis id impune fieri ſtatuat *Paul Portalius* [*n*], quo ipſo obſtetricibus etiam dicta ſunt, quæ *Ovidius* habet:

*Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus ungues* [*o*].

Gravius errant & negligentiæ culpam ferunt, ſi utero ſua ſponte poſt exitum fetus collabaſcenti tantam concedunt moram, ut ejus orificium internum claudatur; inde ſæpius laudatus *Peu* [*p*] inſtanti immittendam manum, nec retrahendam imperat, donec vel integram ſeparatam ſenſerit ſecundinam, vel donec certa ſit obſtetrix, perveſtigato ſolerter & perquiſito utero, nihil fragmentorum ſupereſſe, etiamſi mala fortuna in partes diſceſſerit. Hunc errorem ſic declarat *Cornel. Solingen* [*q*], optandum eſſet, omnes obſtetrices prudentia & ſcientia eſſe inſtructas ad extrahendas manu, priuſquam ſe uterus conſtringat, ſecundinas. Alium jam ſuo tempore agnovit errorem in adminiſtranda ſecundinarum extractione commiſſum & ſedulo evitandum, *Avicenna* [*r*] inquiens, *oportet ut trahatur non ſecundum rectitudinem, quoniam timemus inde converſionem matricis neque attractione vehementi.* Aliis ſolemne eſt harpyarum more, quo termino de obſtetricibus mali moris utitur *Kerckringius* [*s*], unguibus & digitorum apicibus involare in adhærentem ſecundinam, eamdemque contra doctrinam a magiſtris acceptam terebrando pertundere. Licere id ipſis liberalius nimis aſſeruit Cl. *Ruyſchius* [*t*], figuram etiam adjiciens, qua methodus rumpendi adhæ-

[*l*] Liv. 2. c. 15. p. 494.
[*m*] De mulier. affection. l. IV. c. 4. ext. apud *Iſrael. Spach.* p. 1059. B.
[*n*] L. c. obſerv. 78. p. 336.
[*o*] *Ovid.* art. amator. lib. I. v. 519.
[*p*] L. c. c. 15. p. 495.
[*q*] Embryulc. c. 34. p. 165.
[*r*] Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 720.
[*s*] Obſerv. anat. obſ. 36. p. 79.
[*t*] Obſ. anat. chirurg. obſ. 97. p. 124.

adhærentem placentam, docetur [*u*]. Alii manus vola & digitorum apicibus circumferentiæ ſecundinarum accommodatis carptim placentam vellicant, cujus methodi itidem non levis famæ virum *Joan.* de *Muralto* [*x*] anteſignanum habent, qui arreptam ſecundinam globi in modum compreſſam, educere ſuadet. Plurimas vexat impatientia, ut prompte negotium expedire velint, maxime ſi pauperioribus aſſiſtentes evocantur ad alias, majoris lucri fiducia, quo fit, ut debitam prudentiam & in ferendo labore conſtantiam negligant. Conqueritur hac de re *Zacutus Luſitanus* [*y*]. *Si vero mors contingat aliquando, ea temeritati obſtetricum & audaciæ imponenda eſt, hæ cum manum in os vulvæ conjiciunt, tam violenter hoc opus exercent, ut uterum dilanient, ulceribus & inflammatione afficiant, ex quibus mortem ſubſequi poſſe, nemo dubitat.* Quos errores cum aliis ab obſtetricibus poſt partum commiſſis erudite taxat, beat. amicus *Gaſpar Boſe*, in diſſertatione de obſtetricum erroribus, a medico clinico perveſtigandis [*z*]. Feliciter rem ad optatum finem perducere poterunt, ſi, quæ nunc brevibus recenſenda veniunt, obſervare voluerint. Separatio ſecundinarum, quemcumque adhæſionis gradum habuerint, incipienda venit ab uno alterove circumferentiæ, ubi illæ cum utero cohærent, loco, definiri ille equidem ob circumſtantiarum varietatem non poteſt, certum tamen eſt, laborum initium faciendum eſſe illa in parte, ubi fortaſſe jam paululum dehiſcit placenta. Si uniformis illa ſit, nulla adhuc in regione ſeparari incipiens, perinde erit, quo in latere negotium aggrediaris. Conſultius tamen agunt, qui ab inferiori loco ſuperiora verſus manum dirigunt, quam, qui a ſummo uteri loco deorſum manum adigunt, hinc enim ungues quamvis reſciſſi, ſubſtantiam uteri, illinc vero, convexitatem ſecundinæ reſpiciunt, adeoque hic aliquod, illic nullum uteri lædendi periculum ſubeſt, maxime ſi manus probe inuncta fuerit. Totam encheireſin verbis *Hieronymi Fabricii* ab Aquapendente [*a*] apponere liceat. *Dextra manu inuncta intuſque uterum miſſa, quod tunc, cum omnia patefacta ſunt, non eſt difficile, ſecundinas extraxi, ubi enim manu ad fundum uteri perveni, ſtatim digitis inter placentam & uteri tunicam interpoſitis, ſic eam unguibus parumper circumciſis & retuſis, & ſummis digitis ab utero totam ſeparavi, & extraxi cum felici ſucceſſu.* Id ſcilicet intendit auctor, ut digitorum apices ab uteri membrana tantiſper remotos habeat, atque concava & ſemicirculum deſcribens manus inter operandum teneatur. Arbitrarius autem manuum pro negotio perficiendo eſt ſelectus, ſiniſtra uſus eſt *Nicolaus Rochæus* [*b*]. Hæc cautela ſicut non parvi momenti eſt, ita altera adduci meretur, non ignobilior, de cavendo membranarum

rum

[*u*] Catalog, rarior. fig. 1. p. 45.
[*x*] Miſcellan. nat. cur. dec. 2. an. 5. obſ. 35. p. 63.
[*y*] Prax. hiſtor. lib. 3. c. 19. p. 522. op. Tom. 2.
[*z*] Præſ. D. *Aug. Frid. Walthero*, Patrono & fautore meo maxime colendo, Lipſ. 1729. §. 3.
[*a*] Chirurg. oper. ven. 1619. fol. p. 100. conf. *Dionis* l. c. liv. 3. c. 6. p. 227.
[*b*] De morb. mulier. curand. c. 30. apud *Iſrael. Spach.* p. 107.

rum ex ſecundinis propendentium impedimento; fieri ſcilicet haud raro ſolet, ut chorion æque ac amnios manui oberrantes, eamdem ſic turbent, ut, niſi antea ſeſe extricaverit, ſeparationem continuare haud poſſit. Ubi ſemel tantillum ſpatii lucratus fueris, pro digito uno poſt alterum ſubter placentam adigendo, non adeo præcipiti progrediendum eſt ſaltu, ſed modeſtam decet eſſe operationem, ne canis feſtinans cæcos pariat catulos. Methodum qua manus urgeri debeat inter ſeparandum, ſic exponit Celeb. *Amand* [*c*]. Digitos inter membranam internam uteri & ſecundinam medio loco ponere annitor, inde paulatim paulatimque, donec totam ſeparaverim, progredior, cavendo ne uteri ſubſtantiam lædam. Ponamus etiam aliquo hinc inde in loco fortius radicatam eſſe placentæ ſubſtantiam, dubium ſane non eſt, artificioſa manus directione & molli impulſu hos etiam nodos reſolutum iri. Quod fortunæ loco eſſe reputo, nullas habui hactenus, quamvis tenaciter ſatis adhærentes, placentas, quas non obſequentes reddiderim, & patientia laborisque conſtantia ſuperaverim. Quodſi tamen fuerunt ex infelicioribus, quæ ſecundina nondum educta vita exceſſerunt, has clauſura magis uteri interni ſpaſmodica & convulſiva, adeoque adynamia curandi, quam adhæſionis culpa periiſſe deprehendi. Quo quidem in caſu, ſi digiti obſtetricantis pro aperienda via non ſufficiunt, nec ſpeculum uteri, horrendum viſu inſtrumentum, quidpiam proderit, quod laudatum deprehendo a *Zacuto Luſitano* [*d*] & *Harvæo*[*e*] *Rueffo* que[*f*]. Plura antiquorum inſtrumenta pro aperienda matrice extant apud *Albucaſin* [*g*]. Neque vero ſaltem uteri clauſura, quo minus adhærens ſecundina ſeparari poſſit, impedire ſolet, verum etiam in ipſo utero efformatus, quem ſupra deſcripſimus, loculus, ſi adſit, probe perveſtigandus immiſſo uno poſt alterum digito, molliterque terebrando aperiendus eſt & reſerandus, donec manus integra inſerta fuerit, & ea omnia paulo poſt perficienda, quæ ſeparationem ſpectant. Quamvis autem ſalus puerperæ maximam partem tunc in exercitata obſtetricantis manu collocata ſit, non tamen omnino nihil officii hic vel puerpera vel adſtantes præſtant. Parum equidem auxilii ſibi adfert puerpera, ſi ad conſilia anicularum, prout recenſet *Peu* [*h*], pro adjuvanda adhærentis ſecundinæ ſeparatione, flatum manibus junctis immittendo, ſeſe exerceat, digitum faucibus pro excitando vomitu intrudat, ſternutatoriis diaphragmatis motum excitet. Nam oriri quidem exinde ſalutares quoſpiam pro extrahenda naturaliter obfirmata ſecundina motus in utero arbitror, verum, quæ fortius radicata contactui manus expertæ reſiſtit, quomodo concuſſionibus ex longinquo allatis poſſit dimoveri, non video. Unicum eſt beneficiorum genus, quo operantem ſeque obſtringere poſſunt puerperæ, ſi morigeras ſeſe præ-



[*c*] L. c. obſerv. 117. p. 360.
[*d*] L. c. lib. 3. c. 19. p. 523.
[*e*] Exercit de Partu p. 275.
[*f*] L. c. lib. 3. c. 6. p. 29. 30. c. fig. ibi ext.
[*g*] C. 77. apud *Iſrael Spach.* p. 445. 446.
[*h*] L. c. liv. 2. c. 15. p. 507.

præbeant, & impatientia aut jactitatione opus per ſe dolorificum non interrumpant. Exemplum ejuſmodi feminæ extractionem ſecundinæ ſua ferocia impedientis, nec leve hoc ipſo propriæ ſuæ vitæ periculum ſtruentis, habetur apud de la *Motte* [ *i* ]. Non omnino tamen nihil adſtantes contribuunt. Quodſi enim inconſtans ſit uterus, & hinc inde in pelvi fluctuet, vel ſuperiora verſus tendat ejus fundus & encheireſes hoc ipſo difficiliores efficiat, opus eſt, ut ex adſtantibus una vel altera feminarum abdomen leniter comprimendo, ſtabilem efficiat uterum, id quod ipſe obſtetricans, alteram manum abdomini imponens, alteram utero inſertam tenens pro rei neceſſitate melius & fini ſuo convenientius poterit exequi.

## §. XVII.

*De remediis quibuſdam ad dimovendam ſecundinam facere viſis.*

Magnopere deſudavit antiquorum æque ac recentiorum induſtria in detegendis & comprobandis variis remediis, quibus ſecundina moram nectens, ſine manus miniſterio expelli poſſit. Quamvis non poſſim non fateri, lubricam omnino imo fere nullam auxilii fiduciam in ſpecificis ſecundinas pellentibus eſſe, ne tamen aliquid omiſiſſe videar eorum, quæ huc ſpectare poterant, aliquid ex omnibus addam. Suadentur externa quædam remedia abdomini applicanda pro ſecundina ex ſede ſua dimovenda. Frictionem loci vel lateris, ubi ſecundina hæret, factamque inferiora verſus preſſionem conſulit *Solingen* [ *k* ]. Actu frigida imponuntur abdomini ab aliis. Guttas aquæ frigidæ umbilico inſtillant quidam inſcia nec præmonita matre, quo, terrore eidem incuſſo, ſalutaris quidpiam efficiant [ *l* ], quem morem fortiter improbat & ſiniſtrum rerum eventum inde narrat *Vitus Riedlinus* [ *m* ]. Emplaſtrum pro expellenda ſecundina ex vino oleo & melle habetur apud *Louiſe Bourgeoiſe* [ *n* ]. Ad externa referre adhuc liceat, quæ ſub forma clyſmatis uterini pro vertenda in ſuppurationem ſecundina injecta fuerunt, qualia habentur apud *Eucharium Rhodionem* [ *o* ] ad mentem *Avicennæ* [ *p* ], qui unguento baſiliconis hunc in finem uſus eſt. Taxat tamen & merito quidem *Portalius* [ *q* ] Viardelium, quod inunctionibus pro humectando & lubricando utero, manu peractis auxilium adferre ſecundinis adhærentibus voluerit, probe monens, non remediis ſed manibus eſſe fidendum. Placebant anti-

[ *i* ] L. c. liv V. c. 2. obſerv. 389. p. 742. 743.
[ *k* ] Embryul. c. 34. p. 171.
[ *l* ] *Peu* l. c. liv. 2. c. 15. p. 508.
[ *m* ] Lin. med. an. 1696. Aug. Vindel. p. 54.
[ *n* ] *Recueil de Secrets. Par.* 12. 1710. *p.* 102.
[ *o* ] L. c. 6. p. 24.
[ *p* ] Lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 16. p. 720.
[ *q* ] L. c. obſerv. 53. p. 244.

antiquis ſuffumigia aromatica, quæ ſupponebantur mulieribus, ſic enim *Aëtius* [ *r* ] : *Si nec tunc decidit ſecundina, odoramenta afferantur convenientia, cardamomum, bdellium, ſabina, thymus, ſtyrax, aliaque.* De peſſariis, fotubus, ſuffitubus aliiſque antiquitus uſurpatis legi poteſt *Hermannus Corbæus* [ *s* ] & *Jacob Rueff* [ *t* ]. Non defuerunt ex recentioribus, qui prolixiſſimos remediorum ſpecificorum ſecundinas pellentium catalogos adornaverunt, inter quos ſupra allegatus *Leporinus* non ultimum occupat locum, qui, cum non levem ex fortiter oppugnato *Ruyſchio* gloriam retuliſſe videretur, hoc unico cenſuram publici meruit, quod *Helmontianam* de hepate anguillæ [ *u* ] ſecundinas depellente fabulam nimia credulitate agnoverit. Idem judicium eſto de infinitis aliis ridiculis magis, quam utilibus, ramentis ungulæ aſininæ, ſpolio ſerpentis, fimo equino, chamæleontis lingua, membrana e canum ſecundinis, capite caponis, aliiſque quamplurimis, quæ paſſim apud auctores habentur. Specificorum ſecundinas pellentium prolixum catalogum vide apud *Hippocratem* [ *x* ] Anodyna & ſtupefactiva, hyoſcyamum ſcilicet, mandragoram, formulæ ſuæ pro pellendis ſecundinis immiſcet *Galenus* [ *y* ]. *Athenæus* [ *z* ] athenienſibus itidemque *Hippocrates* ( *a* ) ſuis puerperis braſſicam veluti idoneum remedium in ſimili caſu propinaverunt. Ex recentioribus remedia ad putredinem ſecundinæ promovendam præſcribit *Mauriceau* ( *b* ), clyſteres emollientes, antifebrilia, cum diæta rite compoſita in auxilium vocans. De plurimis iſtorum remediorum, quæ paſſim commendantur, & a quibus ſuperſtitioſiores non ignobiles effectus promittunt, valent, quæ habentur apud *Plinium* [ *c* ]: *Oſtentatio artis & portentoſa ſcientiæ venditatio manifeſta eſt, quam ne ipſi quidem novere.* Quodſi tamen non inopem relinquere & omni medicina orbatam puerperam velimus, ſymptomata potius, quam ipſum morbum ex quibuſdam remediorum virtutibus levamen ſperare poſſe exiſtimo. Non inanis erit in analepticis, antiſpaſmodicis, lenioribus diapnoicis, anodynis, fiducia, quo motus inordinati uterum invadentes, ipſamque turbantes operationem componi poſſint. Febricula, quæ, uti ſolet, per ſe puerperam affligit, intenſior facta, quando lochia conſuetam viam ire nequeunt, etiamſi pauculis ſaltem horis adhæſio perduret, tanti momenti eſt, ut intacta relinqui non poſſit, multo majus ſi acutior iſta fiat, inflammatoria, deliriis haud raro juncta, quo tempore, quamvis omnia ſiniſtrum eventum



[ *r* ] Tetrabibl. 4. ſerm. 4. c. 24. l. c. p. 791.
[ *s* ] L. c. lib. 2. c. 6. p. 274. ſequ.
[ *t* ] L. c. lib. 3. c. 4. p. 25. b.
[ *u* ] L. c. p. 113.
[ *x* ] De morb. mul. lib. 1. ſect. 74. ed. Lind. T. 2. p. 467. & ſect. 106. ib. p. 497.
[ *y* ] De compoſit. pharmacor. lib. 7. op. edit. Froben. claſſ. 5. p. 373.
[ *z* ] Deipnoſophia l. IX. p. 370. Lugd. 1512. fol.
[ *a* ] De morb. mul. lib. 1. ſect. 74. edit. Lind. T. 2. p. 461..
[ *b* ] L. c. liv. 2. c. 9. p. 254.
[ *c* ] Hiſt. natural. lib. 29. c. 1. edit. in uſum delphini, Pariſ. 1723. Tom. 2. p. 479.

tum innuere videantur, non tamen derelinquenda eſt puerpera, quaſi conclamata eſſet humanæ vitæ ſalus, quin potius temperantibus terreis, lenioribus bezoardicis & paregoricis id agendum, ne, quantum in nobis eſt, in ſphacelum præceps uterus ruat.

LXXX.

# PHIL. CONRAD. FABRICIUS

MED. P. P.

## *PROGRAMMA*

DE FETUS VIVI EXTRACTIONE

*UTERO PROLAPSO.*

Helmſtad 22. Novembris anno 1748.

IN cujuſvis hominis generatione & ortu tam a parte matris quam a parte embryonis tot admiranda phænomena concurrere, ut natura hic quaſi ſe ipſam vincat & ſuperet, *Divinæ*que Sapientiæ & Providentiæ cujuſdam ſpecialiſſimæ veſtigia ſe fortaſſe per totam ſequentem vitam nunquam lucidius quam tunc manifeſtent, apud peritiores & ſagaciores arcanorum naturalium ſcrutatores & artis ſalutaris conſultos tam unanimi conſenſu ſtatuitur, & argumentis ab ipſa rei evidentia deſumtis & plane invictis cuilibet in dubium vocanti ad oculos adeo diſtincte demonſtratur, ut chartam & tempus inutiliter conſumere jure videri poſſem, ſi in ſterili & ficulnea eorum ſententia, qui conſtantes rerum naturalium fines exiſtere, unamque ſemper rem propter alteram productam eſſe hodie in tanta ſcientiarum luce etiamnunc negare audent, ex firmiſſimis his principiis refutanda prolixior eſſe vellem. Sive enim pulcherrimum illum naturæ effectum, quo ſeminis maſculini paterni nobilioris particulæ interventu corpuſculum embryonis in ovulo materno quoad ſingulas ſui partes jamdum quidem delineatum & præſtructum, ſed ſine ulteriori augmento in perpetua quiete & organorum ſenſoriorum ſtupore & inertia hucuſque perdurans in momento quaſi excitatur, animatur & viget, & ad perfecti hominis menſuram & molem uſque ſenſim augetur & creſcit, paulo vividius ob oculos nobis ponamus; ſive ad notabiles illas mutationes animum noſtrum advertamus, ſub quibus ovulum ejuſmodi fæcundatum & a nexu cum ovario ſolutum a tuba Fallopiana materna alterutra excipitur & ad cavum uteri tranſmiſſum ab eo per totos IX menſes vel XL hebdomades retinetur, fovetur & nutritur; ubique ſtupendum ſane machinæ noſtræ humanæ artificium menti noſtræ ſeſe palpandum quaſi offert, majeſtatemque *Divini* ſui Auctoris quam elegantiſſime nobis patefacit. Quodſi vero harum rerum conſideratio in nobis inſignem quamdam admirationem perfectionum ſummi *Entis*, profundamque venerationem ejus in nos benignitatis neceſſario excitare debet, niſi quidem præjudiciorum pervicacia omnem in animo noſtro veritatis pietatiſque ſenſum plane extinxerit; certe modus & ratio, quibus fetus humanus ſufficientem partium firmitatem adeptus ex ergaſtulo uteri materni in lucem deinde vitalem egredi ſolet, adhuc notabilioribus phænomenis comitatur. Tunc enim ex ſolo quodam inſtinctu naturæ homo recens naſcendus perfectionem ſuam ſentiens corpuſculum ita invertit, & talem adcurate ſitum, nemine adjuvante, utplurimum occupat, ut anguſtiſſimas ſane vias partium genitalium maternarum ſub innumeris alicubi ad oſſa circumpoſita offendendi periculis, moliminibus matris accedentibus, feliciter perrumpere, inque dias luminis auras prodire denique queat, adeo ut miraculo proximum viri harum rerum intelligentes ſemper judicaverint, quod non plures partus infelices quotidie contingant, quam quidem re vera obſervantur.

Licet autem adoranda quadam pro conſervatione generis humani cura

ſummum ſapientiſſimumque *Numen* hac in re tam ſollicite proſpexerit & caverit, ut inter centum & plures partus vix unus & alter contra naturam obſervetur; permulta tamen tum a parte matris tum a parte infantis accidere queunt, ob quæ graviſſimum hoc opus non ſemper ad optatum finem vel tamen non niſi ſummo cum labore perduci poteſt, ſed vel mater vel fetus periculum mortis aut mortem ipſam ſubire cogitur, prout ejuſmodi caſuum tragicorum complura exempla celebriores & claſſici artis obſtetriceæ ſcriptores ubique loquuntur, modumque quo vel utrique vel mater ſaltem aut infans ex orci faucibus eripiendi ſint, uberius oſtendunt.

Inter ea vero impedimenta, quæ a parte matris inſignem quamdam incommoditatem & formidinem funeſti exitus huic negotio inferre valent, procidentia uteri ſine inverſione, nam altera hujus mali ſpecies non niſi fetu jamdum excluſo accidit, pro uno ex maxime terrificis omnino reputari debet. Utut enim hæc quoque labes magis extra tempus graviditatis vel brevi poſt partum, quam in feminis actu gravidis utplurimum ſe exſerat, quia in his primis geſtationis menſibus uterus potius aſcendit quam deſcendit, adeoque haud facile prolabitur, medio & ultimo graviditatis tempore vero ob molem & amplitudinem uteri a ſanguine in vaſis & ſubſtantia ejus coacervato & a fetu incluſo inſigniter adauctam tranſitus ſub oſſium pubis arcu non niſi difficillime ei conceditur, quæ hujus morbi in gravidis raritas procul dubio quoque in cauſſa eſt, cur cautiones ſub partu mulierum eo afflictarum obſervandæ apud auctores ſcientiæ obſtetriciæ minus frequenter adnotatæ deprehendantur: caſus clinico-practicus ſtatim recenſendus tamen abunde comprobabit, quod hoc malum in his, quæ utero gerunt, quoque non plane nunquam occurrat, ubi vero hoc in ſolatium ſexus infirmioris iterum cedere debet, quod tunc non ſolum omnis evadendi ſpes minime abjicienda ſit, ſed etiam, quod potiſſimum in hoc ſchediaſmate mihi demonſtrandum ſumſi, dum modo tempeſtivum auxilium externum non negligatur, partus hic ſæpe facilior minoreque cum dolore & vitæ periculo præſentaneo conjunctus eſſe ſoleat, quam dum uterus ſitum naturalem occupat, omniaque maxime ordinario modo procedere credimus.

Femina ſcilicet quædam XXX. fere annorum, conditionis tenuioris, ſtaturæ mediocris, habitus corporis paulo ſtrictioris, jam tertia vice in pariendi neceſſitate conſtituta, quæ cum primum fetum excluderet, ultra XXIV. horas quoque doloribus partus inſumſerat, ante aliquot menſes, dum adhuc phyſici ordinarii munere in patria fungebar, conſilium meum ſibi expetebat. De natura mali itaque unum & alterum expiſcans comperiebam, quod illa jam inde a veſpera diei præcedentis in negotio partus fruſtra occupata fuerit, omnibus doloribus ad id neceſſariis fere emanentibus, vel tamen valde debiliter & per vices rariſſimas recurrentibus, brevique evaneſcentibus, fetu de reliquo ex affirmatione matris & obſtetricis vivo & ſitu naturali conſtituto, ac capitis vertice egreſſum per os uteri materni non nihil apertum moliente, qui vero uterus totus extra abdomen parturientis inde a 2.

menſi-

menſibus ſine inſigniore violentia externa prægreſſa propendebat, liquorem quemdam mucoſum per integrum illud temporis ſpatium ſubinde emittens, nec moliminibus obſtetricis illum jam ſub prima hujus mali exordia reponere conantis cedens. Ulterius deinde inſtanti mihi & ſubdubitanti, an fortaſſe debitus partus terminus nondum advenerit, liquor Amnii die præcedente circa veſperam jam dum totus effuſus, calculuſque parturientis jam non prima vice in hoc negotio occupatæ quoad omnia conveniens, omnem hæſitationem animo exemerunt. Nullus itaque dubitavi deſiderio parturientis, quæ medicamentum dolores partus excitans rogabat, ſingulis momentis rite perpenſis ſatisfacere, eique aliquot doſes boracis Venetæ cum vehiculo ex temperatioribus aquis hyſtericis ſyrupo conveniente edulcoratis conſtante ſingulo ſemihorio ſumendas ordinavi, utpote quod concretum mere ſalinum & ſine ulla ſanguinis exæſtuatione tantummodo fibras ſtimulando operationem ſuam peragens, ſpem meam in tali caſu hucuſque nunquam fruſtratum eſt, ita ut myrrhatis, crocatis aliiſque pellentibus acrioribus ſuppreſſionem lochiorum febreſque uteri inflammatorias haud raro inducentibus hucuſque facile carere potuerim. Juſſi etiam, ut obſtetrix doloribus partus hoc remedio excitandis probe attenderet, nec ſub illorum remiſſione laborem continuare parturienti concederet, illis vero urgentibus os uteri antea butyro probe inunctum uno & altero dextræ ſuæ digito immiſſo modeſte dilataret, fetus egreſſum hac ratione pro virili facilitando, manuque ſiniſtra uterum a capite infantis verſus abdomen parturientis repellendo. Suaſi præterea, ut utero ſub augmento dolorum ſe magis aperiente ſubinde tentaret, an non utriuſque manus indice inter caput fetus & parietes uteri materni immiſſo iſtud ad aures vel maxillam inferiorem arreptum facta nonnulla rotatione una cum reliquo corpuſculo ſucceſſive extrahi queat, quæ vero molimina hac vice ſucceſſu caruerunt. Ipſe itaque parturientem adire, eamque ope mea juvare requirebar, quam quidem in ſumma rerum anguſtia deprehendi. In ſella obſtetricia conſidens dolores poſt uſum pulveris ſupra indicati confertim orientes, & ſatis diu continuantes omni niſu promovebat, nec obſtetrix aliquid in ſua opera deſiderari patiebatur, ore uteri nihilominus haud ultra amplitudinem thaleri minoris ſe aperiente, ita tamen ut caput infantis adcurate conſpici tangique potuerit, uterus vero totus extra abdomen inſtar urcei vel utriculi propendebat quam maxime rubens & induratus, qui rerum ſtatus etiam continuabat, etſi interea quovis momento ſacculos ex floribus chamomillæ paratos & lacti incoctos prævia expreſſione utero calide circumponere juberem. Ne itaque vires parturientis fruſtra perirent, ei lectum adſtantem petere illique tranſverſim incumbere conceſſi, talem tamen ſitum occupare juſſæ, ut clunibus & thorace cum capite nonnihil elevatis muſculi abdominales in ſtatum relaxationis redigerentur. Hoc facto, uteroque interea oleo liliorum alborum continuo calide inuncto, os ejus ſtatim inſigniter ſe dilatare cepit, & licet parturiens interea gravi horrore corriperetur, adeoque de vita infantis nonnihil timendum videretur,

 tamen

tamen poſt iteratum uſum pulveris ſupra nominati a chirurgo, quem arceſſere juſſeram, & neceſſariis cautionibus inſtruxeram, puellus vivus vegetuſque ſine inſtrumentorum nocivorum applicatione brevi poſt ſupra indicato modo extrahi potuit, qui tamen capite valde acuminato præditus deprehendebatur. Funiculo vero umbilicali una cum ſecundinis ſtatim extractis uterus collapſus ſine impedimento intra vaginam & pelvim retrudebatur, ad quem retinendum corporis requiem, fluxuque lochiorum abſoluto peſſarium continuo geſtandum puerperæ maximopere commendavi.

Quodſi jam integram difficilioris hujus caſus hiſtoriam paulo generaliori & intentiori contemplatione examinemus ſtatim patebit, quod in hac femina a puerperiis prioribus vagina & ligamenta uteri tam lata, illum ad oſſa pelvis præcipue ilei adnectentia, quam rotunda, quorum per annulos abdominales egreſſorum interventu inguinibus alligatur, inſignem quamdam relaxationem & debilitationem perpeſſa neceſſario fuerint, alias enim tam profunde uterus deſcendere, & ſinum pudoris penetrare haud valuiſſet. Hæ tamen cauſſæ per ſe vix ſufficientes videntur, niſi commiſſura oſſium pubis laxior vel totius etiam reliqua pelvis capacitas præter naturam adaucta in hac femina ſimul concurrerint, ſive illa a nativa & vitioſa quadam harum partium conformatione, ſive ab extraordinario & ſucceſſivo oſſium pelvim conſtituentium ſeceſſu deduci debeant. Licet enim extra tempus graviditatis prolapſus uteri, ut ſupra dictum, tam ob continuam ejus reliquarumque genitalium partium humectationem & relaxationem inde orientem, quam propter imperitiam & violentiam plerarumque obſtetricum hodie adeo frequenter in femellis maritatis occurrat, ut prout alii quoque obſervarunt, & experientia quotidiana confirmat, vix pagus vel minor civitas reperiatur, in qua non plures mulieres deprehendantur non ſolius vaginæ, ſed ipſius uteri procidentia laborantes, adeo ut jure mirari quis poſſet, quod hunc morbum tam diu olim viri harum rerum alias peritiſſimi in dubium vocaverint, cum tamen cuilibet uterum in cadavere feminino in ſitu naturali contemplanti & anatomice ſcrutanti ſtatim in oculos incurrat, quam laxe & minus firmiter ille cum partibus circumjectis conjungatur: graviditatis tamen tempore & præcipue ſub ultimis geſtationis menſibus, ut in noſtra parturiente accidit, ejuſmodi deſcenſus uteri ob rationes ſupra allegatas vix aliter quam cum clauſtrorum oſſeorum apertura vel amplitudine pelvis extraordinaria quadam conjuncta concipi facile poterit.

Poſtquam vero quacumque ex cauſſa uterus cum fetu incluſo ſemel extra pelvim elapſus fuerit, quilibet ſane perſpicit, quod deinde termino partus ingruente hic omnia expeditius & minori cum difficultate procedere debeant, quam ſi ille in ſitu naturali adhuc hæreret. Dum enim infans in ejuſmodi utero limites tranſgreſſo contentus exitum molitur *Primo* non amplius periculum incurrit ad oſſa pubis, ilei iſchiique vel coccygis alicubi offendendi, quod plerorumque partuum difficiliorum primaria cauſſa eſt, etiamſi fetus de reliquo naturali modo egreſſionem tentet, ſed vel capite vel humeris

leviter

leviter ſaltem ad latus declinet, aut nimis toroſus ſit, debitave pelvis capacitas in matre ex vitio connato deficiat, oſque ſacrum & coccygis nimis introrſum curvetur. *Secundo* manibus obſtetricantis in ejuſmodi caſu inoffenſus conceditur acceſſus, ut uterum remediis oleoſis probe inungere oſque ejus digitis immiſſis dilatare, vel apertura ſufficiente ſponte inſecuta fetum ſine labore extrahere valeat, ſi ſitum perverſum ille occupet, repoſitionem ejus, ut artis eſt, ſine mora prius peragendo. Nemo vero ignorat, quam magnæ ſæpe difficultatis, & quantis cum parturientis doloribus conjunctum ſit, unum vel alterum tantum digitum & integram denique manum per partes genitales exteriores uſque in uterum debito loco intra pelvim hærentem immittere, iiſque fetum male diſpoſitum prævia repoſitione extrahere, dum v. gr. vagina tumore inflammatorio vel ſcirrhoſo correpta aut cicatricibus obſita eſt. *Tertio* hæ commoditates non eo ſolum tempore locum habent, dum embryo vivus & vegetus eſt, ſed etiam dum intra uterum hærens diem ſuum præmature obiit, potiſſimum utilitate ſua ſe commendant. Hic enim cuilibet practico pariter notum eſſe debet, quanta vi ab utero ſe in priſtinum ſtatum reſtituere conante ejuſmodi fetus mortuus nihil amplius reſiſtens conglomerari & ad oſſa pelvis impelli ſoleat, ita ut tunc ſæpe omnes fere encheireſes & operandi regulæ ab artis obſtetriciæ anteſignanis ſuppeditatæ eclipſin patiantur, virtuſque boni obſtetricantis nunquam magis quam illo potiſſimum tempore ſe cognoſcendam præbeat, quo nulla propemodum ſollertia & vi fetus anguſtiis uteri & pelvis impactus vel leviter ſaltem moveri, multo minus vero in ſitum convenientem reſtitui & extrahi integer illæſuſque poteſt, ſed frequenter admodum & quidem non ſine periculo partes circumjectas maternas ſimul lædendi tantum non diſcerpi debet, ut matris vita ſervetur ipſaque a periculoſo ejuſmodi onere liberetur. Omnia vero hæc impedimenta in parturientibus pari cum noſtra uteri conditione præditis omnimode ceſſant, cum, ut ſupra monui, obſtetrix ambabus manibus negotium in eis libere aggredi, fetumque adeo ſine impedimento & pro lubitu vertere, & denique eximere illæſum queat, quemcumque etiam ille ſitum antea occupaverit.

Hoc vero quoque ſimul quilibet æquus rerum arbiter concedat oportet, quod tunc omnis uteri calloſitas vel cancer aut gravior inflammatio aliave cauſſa ejus dilatationem impediens, quales vero conſtitutiones morboſæ ſub diuturniori hujus mali duratione facile contrahuntur, abeſſe debeat, alias enim non poſſet non vel leviſſimum obſtetricantis molimen in ejuſmodi parturientibus ſyncopen, convulſiones, gangrænam & alia ſymptomata funeſta excitare & unumquemque ab ulterioribus conatibus deterrere, omniaque conſilia irrita & fruſtranea reddere.

Paulo lentius hoc negotium hic quoque utplurimum procedere ſolet, præcipue ſi fetus præmature fato functus fuerit, adeoque motu ſuo opus adjuvare nequeat, quia uteri extra abdomen propendentis vis expulſoria ad fetum ſponte eliminandum ſummopere neceſſaria tunc utplurimum per ſe

debilior deprehenditur, tam ob refrigerationem externam, quam propter nimiam & doloris plenam fibrarum ejus tenſionem vaſorumque ſanguiferorum & nervorum uterinorum ſtrangulationem. Præterea vero ab actione diaphragmatis & muſculorum abdominalium adjuvari hic labor tunc amplius nequit, utero prolapſo penitus extra contactum eorum poſito: prout in noſtra puerpera ab intenſiſſimis quoque laboribus initio parum vel nihil plane in apertura oris uteri adaugenda effectum fuit.

In hac quoque uteri conditione melius eſt, ut femina lecto ſupra indicato modo incumbens pariat, quam ut ſellæ inſideat. Hoc ultimo enim caſu mater quidem exitum infantis conatibus ſuis fortius promovere poteſt, pondus vero uteri & embryonis propendentis adauctum conſtrictionem ſpaſmodicam fibrarum uterinarum neceſſario ſimul intendit, quæ itaque os uteri magis occludunt quam reſerant. Parturiente vero modo dicta ratione in lecto conſtituta os uteri ſucceſſive ſponte ſe aperit, ſpaſmique vagi ſtatim remittunt, ita ut juſto temporis articulo expectato fetus denique a quavis adſtante muliercula ſine difficultate extrahi queat. Eamdem ob cauſſam a præmaturis conatibus obſtetricans hic eo magis abſtinebit, præcipue ſi os uteri nondum ſufficienter ampliatum deprehendatur, multo minus vero hoc negotium impetuoſe & violenter tractandum eſt, quia alias diſruptio uteri vaſorumque ab hypogaſtricis potiſſimum ad eum ablegatorum certo certius timenda eſſet.

Et hæc ſingula rite perpenſa abunde denique, ut opinor, comprobabunt, quod parturientium labes, cujus naturam hucuſque expoſui, ratione fetus haud adeo formidabilis ſit, ſed re tempeſtive & perite aggreſſa ſine ſanitatis & vitæ detrimento ei ſub hac quoque uteri materni conditione exitus in lucem parari queat, licet de reliquo illa intuitu matris complura pericula adferat, dum repoſitus poſt partum uterus ob inſignem vaginæ reliquarumque partium annexarum relaxationem tonumque fibrarum penitus deſtructum, leviſſima cauſſa externa accedente, facillime rurſus excidere & ſupra recenſita ſymptomata quin ipſam tabem & mortem denique inducere ſolet, niſi quidem prudenti cura & regimine adhibitis hæc ſingula præcaveantur.

DISSER-

LXXXI.

# DISSERTATIO
## CHIRURGICA,
*DE*
## CAPITE INFANTIS ABRUPTO,
VARIISQUE ILLUD EX UTERO
EXTRAHENDI MODIS.

*Quam tuebatur*

JOAN. CAROL. VOIGT,

*GIESSENSIS.*

Gieſſæ 6. Septembris anno 1743.

§. I.

INſima imi ventris cavitas, in qua veſica urinaria cum adnexis partibus, inteſtinum rectum, & in ſexu ſequiori uterus cum ſibi connexis partibus tuto recondita hoſpitantur, a figura quam format ovali, pelvis nomine anatomicis venit [ *a* ].

§. I I.

Ad formandam hanc cavitatem contribuunt oſſa coxæ, os ſacrum & os coccygis, oſſa coxæ quæ & innominata vocantur, ſunt duo illa oſſa irregularia, in imo trunci conſpicua, quorum quodvis in junioribus ex tribus conſtat oſſibus, mediante ſymphyſi cartilaginoſa ſ. ſynchondroſi eo in loco connexis, in quo magna illa, in facie hujus oſſis externa, adeſt excavatio, cavitas cotyloidea aut acetabulum dicta; in adultis vero penitus concreſcunt hæc oſſa, nullo fere remanente ſynchondroſis veſtigio; pars ſuperior atque lateralis cujuſvis coxæ ilium, anterior pubis & inferior iſchium appellatur, ex quo ſitus horum oſſium apparet. Partibus oſſium ilii lateralibus jungitur os ſacrum, aliis os baſilare dictum, quia infima ſpinæ eſt pars, & quaſi fundamentum, in quo notanda baſis, ſ. pars ſuperior lata, apex ſ. pars inferior, facies anterior concava, facies poſterior convexa. Conſtruitur os hoc, figuram triangularem referens, ex quatuor aut quinque oſſiculis ſymphyſi cartilaginoſa junctis, quæ in adultis in unum concreſcunt. Apici oſſis ſacri adnectitur os coccygis, a figura roſtri cuculi ita dictum, ex quatuor quoque aut quinque in junioribus conflatum oſſiculis, temporis ſucceſſu coalitis. Prolixiorem horum oſſium deſcriptionem qui deſiderat, adeat celeberr. *Winslow* [ *b* ]. & laudatum a *Deventer* [ *c* ].

§. I I I.

Connexio horum oſſium fit partim cartilaginum, partim ligamentorum ope: combinantur nimirum duo oſſa coxæ ſ. potius pars eorum anterior, os pubis dicta, cartilagine quadam intermedia, quæ notante *Thom. Bartholino* [ *d* ] in mulieribus brevior quidem, ſed duplo craſſior exiſtit, arctamque ſecundum *Dionis* [ *e* ] efficit horum oſſium cohæſionem. Eadem ſynchon-

[ *a* ] Alienum forſan videbitur multis, quod pelvis deſcriptionem præmiſerim; aſt quam maxime neceſſariam pelvis cognitionem obſtetricantibus eſſe, celeberrimus monet *Henricus* a *Deventer*. Nov. lumin. obſtetricant. cap. III.

[ *b* ] Expoſition anatomique traité des os ſecs T. 1. §. 508. ad 517. 2. §. 573.

[ *c* ] L. c. cap. 3. pag. 14.

[ *d* ] Anat. lib. 10. cap. 16. pag. 738.

[ *e* ] Traité des accouchem. lib. 3. c. 1.

chondroſi os ſacrum ilii oſſibus eo in loco adnexum eſt, ubi in quovis horum oſſium magnæ duæ facies cartilaginoſæ, inæquales, longæ, irregulares figuram literæ S. majoris aut avis capitis æmulantes, cernuntur. Symphyſis cartilaginoſæ beneficio, os coccygis quoque cum oſſe ſacro cohæret, ſed plerumque mediante cavitate [f] glenoidea articulari hoc os, experientia docet. Laxa eſt hujus oſſis cum ſacro connexio in feminis, magis quoque in illis recedit, quam in viris [g]. Ligamenta ad horum oſſium combinationem ſymbolum ſuum contribuentia, ſunt: (1) ligamentum ſuperius, labio interno criſtæ oſſis ilii, & apophyſi tranſverſali ultimæ vertebræ lumbaris adnexum. (2) Ligamentum inferius anterius, faciei internæ criſtæ oſſis ilii, & apophyſi tranſverſali oſſis ſacri adhærens. (3) Ligamenta inferiora poſteriora, labio interno tuberoſitatis oſſis iſchii & apophyſibus tranſverſis oſſis ſacri adnexa. (4) Ligamentum ſacro-iſchiaticum magnum a facie externa tuberoſitatis oſſis ilii ad apophyſes tranſverſas oſſis ſacri, os iſchii & os pubis tendens. (5) Ligamentum ſacro-iſchiaticum parvum, ſacrum, coccygis & iſchii os combinans. (6) Ligamentum tranſverſale oſſium pubis. Fuſius de his ligamentis eorumque uſu egit oculatiſſ. *Winslow* [h].

## §. IV.

Dividitur (§. 1.) pelvis communiter in partem ſuperiorem ſ. latam, a parte ſuperiore oſſium ilii ſolummodo formatam; & inferiorem ſ. fundum, ab oſſibus ilii, iſchii, pubis, ſacro & coccygis compoſitam. Ab artis obſtetriciæ ſcriptoribus vero ad meliorem ſitus infantis cognitionem aliter adhuc dividitur pars inferior ſ. fundus pelvis, nimirum (1) in aperturam ſuperiorem, ubi notanda poſterius (α) portio ſuperior ſ. baſis oſſis ſacri, quæ cum ultima vertebra lumbari angulum [i] facit prominentem, (β) linea prominens a ſymphyſi cartilaginoſa oſſium ilii cum oſſe ſacro, uſque ad eminentiam obliquam, a ſymphyſi oſſificationis oſſis ilii & pubis formatam, excurrens, & partem largam pelvis a fundo diſcernens. (2) In partem pelvis mediam, poſterius a portione media oſſis ſacri, ad latera a baſibus oſſium ilii & corporibus iſchii una cum eorum ſpinis, anterius vero a corporibus & angulis oſſium pubis conflatam. (3) In aperturam inferiorem, poſterius ab apice oſſis ſacri, oſſe coccygis, ad latera a tuberoſitatibus oſſium iſchii, anterius a ramis iſchii & pubis compoſitam.

## §. V.

Capacitas, figura atque differentia pelvis jam conſideranda ſunt. Ad (§. 1.)

[f] V. celeberr. *Heiſteri* compend. anatomic, pag. 41. §. 127.
[g] *Bartholinus* l. c. cap. 15. pag. 737.
[h] L. c. Traité des os frais §. 105. ſeq.
[i] Angulus hic ſi nimis promineat, pelvis capacitatem imminuit, ideoque partui difficili & laborioſo anſam præbet.

(§. 1.) capacitatem pelvis quod attinet, admodum illa variat, dum in aliis minor obſervatur, pro ratione ſubjectorum; exinde tamen non concludendum, quod in feminis majoribus amplior illa ſit, & anguſtior in minoribus, cum contrarium ſæpe experientia teſtetur: ſed quod in mulieribus pelvis ſemper latior exiſtat quam in viris, ut in graviditate extenſionis libertas utero concedatur. Figura pelvis in pleriſque eſt ovalis, pro ſubjectorum tamen diverſitate in aliis magis ad ovi, in aliis vero ad globi accedit ſimilitudinem. Magnam quoque inter pelves muliebres & viriles deprehendimus differentiam. (1) Etenim ilii oſſa latiora magiſque a ſe invicem remota atque diſtenſa ſunt in mulieribus quam in viris. (2) Os ſacrum feminarum magis retrorſum reclinatur. (3) Arcus quem rami inferiores oſſium pubis cum ramis iſchii formant major atque latior eſt in ſequiori quam virili ſexu. (4) Oſſa iſchii latius expanſa, atque tuberoſitates eorum oſſium non tantum introrſum verſæ ſunt in feminis quam in viris. (5) Denique & os coccygis [*k*] illis plus retrorſum inclinat, cum in viris magis flectatur antrorſum.

## §. VI.

Vidimus qua ratione quarumque partium miniſterio pelvis efformetur cavitas; reſtat, ut, quid inde expectandum boni malive ſit, brevibus commemoremus. Legitimam decentemque cum oſſium prædictorum (§. 2. 3.) tum ipſius pelvis (§. 1. 4. 5.) conformationem, aliis ad partum faciliorem requiſitis rite conſtitutis, partus ſequitur facilis; aſt male iisdem conſtitutis, & in ſtructura læſis, mala multa incommodave naſcuntur, in quibus enarrandis tamen haud multus ero, cum celeb. a *Devent* [*l*]. rem ita exhauſerit, ut nihil ſuperaddi poſſit. Quæſtio igitur movenda venit: an nimirum hæcce (§. 2.) oſſa ſecedant in partu, atque dimoveantur nec ne? Si in re quadam artis obſtetriciæ auctorum adeſt diſſenſio, certe in hocce phænomeno inquirendo illa reperitur, ita ut ſtructuræ atque combinationis horum oſſium ignari, cui aſſentiendum ſit parti, neſciant; dum alii affirmativam, alii negativam conditionatam, alii plane negativam foveant ſententiam. Filo igitur Ariadneo, quo ex hocce labyrintho nos extricare poſſimus, forſan opus erit. Quare viſis in utramque partem quæ afferuntur rationibus, ſtatim, cui aſſentiendum ſit parti, declarabimus.

## §. VII.

Primus horum oſſium diductionem affirmans, eſt ipſe medicinæ parens *Hippocrates* [*m*] qui de lumbis & coxendicis oſſibus, quod in partu didu-

 can-

[*k*] *Antrorſum nimis ſi inclinat hoc os partum reddit difficilem.* V. à *Deventer.* l. c. cap. 27. pag. 119. id. cap. 2. pag. 18.

[*l*] L. c. cap. 27. pag. III. ſequent.

[*m*] Oper. ſect. 3. lib. de natur. puer. pag. 247.

cantur, ſtatuit: hunc Galenus multique recentiorum ſecuti, horum oſſium divulſionem ac diductionem agnoſcunt. *Harvæus* [*n*] gravis alias Auctor, de hac diſtenſione prodit ſequentia: *Atque e matrice in vaginam prolabitur (materia aquoſa) partes quoque vicinæ laxantur, & diſtenſioni aptæ fiunt: quin etiam ſacri & pectinis oſſium cum coxendice copula, (quæ fit per ſynchondroſin) adeo emollitur & ſolvitur, ut dicta oſſa facile exeunti fetui cedant, & hiantia regionem totam hypogaſtricam ampliorem reddant*: & in alio loco [*o*] ſequentia habet: *Simili quoque experientia edoctus aſſero, oſſa pubis ſæpe ab invicem in partu laxari, emollito eorum cartilaginoſo connexu, totamque hypogaſtrii regionem ad miraculum uſque ampliari, non quidem ab aquoſæ ſubſtantiæ profuſione, ſed ſua ſponte, ut fructus maturi excludendis ſuis ſeminibus ſolent hiſcere.* Negandum quidem non eſt, dolorum ope fetum fortiter inferiora verſus protrudi, an autem caput infantile (aut alia fetus pars) quod tanta duritie ac firma oſſium combinatione non gaudet ac pelvis oſſa, ſuperare poſſit reſiſtentiam horum oſſium, cartilaginibus atque ligamentis (§, 3.) unitorum, ego perſpicere nequeo; & quæ laxationis & emollitionis cartilaginoſi horum oſſium connexus ſubeſt cauſa; aquæ atque ſubſtantia illa mucida in partu effluentes hoc perficere nequeunt, dum nullæ notæ ſunt viæ, per quas talis materia ad dictas advehatur cartilagines: caput infantile propter laxam ſuorum oſſium connexionem, ab hiſce oſſibus potius poteſt comprimi, quam quod illa dimovere queat: Hujus veritatis exemplum partus præbet laborioſus, a prava oſſium pelvis diſpoſitione quandoque dependens, in quo caput ita comprimitur, acuminatur atque oblongatur, ut neceſſe quandoque ſit, manuum palpatione, vel melius faſcia crinali ſ. mitella quadam, deformato tali capiti, priſtinam atque ordinariam largiri figuram. Talem oſſium divulſionem ratione & experientia quoque affirmat [*p*] *Ambroſius Paræus*: *fetus* inquiens *in caput pronus in lucem prodit, magno cum ſuo propter corpuſculi mollitiem, tum matris propter cervicis uteri nervoſæ, & oſſium ilium ab oſſe ſacro, quo via fetui pateat, divulſionem, dolore. Alioqui, niſi ejuſmodi oſſa divellerentur, qui non modo gemelli duo, mutuo complexu ſibi mutuo cohærentes & conjuncti, ſed vel unicus fetus tam anguſto colli uteri ductu prodire & emergere poſſet; id ita eſſe, non ratio, ſed & experientia rerum perſuadet. Puerperas enim ſtatim a partu diſſecui, in quibus animadverti, oſſa ilii ab oſſe ſacro digiti intervallo diſtracta, quin etiam pleriſque parturientibus, quæ me auxilii in tam difficili conatu gratia advocarant, ſubjecta coccygi manu, certo & auribus hauſi, & contactu percepi crepitantium divulſionis vi oſſium ſtrepitum &c.* Ad confirmandam hanc ſuam ſententiam, addit exempla, ſibi ab honeſtiſſimis matronis narrata, quod cum dolore fragorem oſſium diſtrahentium perceperint. Sed quid contra rationem, experientia fultam, tanti viri? rationi contrariatur caput infantile, quod ipſe auctor cum toto cor-

[*n*] Exercit. de generat animal. pag. 498.
[*o*] L. c. Exercit. 58 p. 377.
[*p*] Oper. lib. 23. cap. 13. fol. 505.

corpore molle pronunciat, mollitiem autem hujus corporis reſiſtentiam oſſium pelvis ſuperare, illiſque divulſionem afferre non poſſe, jam dictum eſt. An vero valeat concluſio, in puerpera ſtrepitum quemdam auribus hauſi, ſubjecta coccygi manu crepitantium oſſium percepi divulſionem. E. oſſa ilii ab oſſe ſacro divulſa ſunt. Aliam fortaſſe ſtrepitus hicce agnoſcit cauſam? e. g. oſſis coccygis ſeceſſionem: & licet coccygis os perſæpe in partu recedat, illud tamen non ſequitur; quoniam hoc os in partu retrocedit, ergo & oſſa ilii ab oſſe ſacro divelluntur. Nam alia eſt oſſis coccygis, alia ſacri atque oſſium innominatorum cohæſio. Variis quoque rationibus oſſium pubis in partu naturali diſtractionem probare nititur [n] *Severinus Pinæus*, & ad hujus ſententiæ confirmationem hiſtoriam mulieris cujuſdam [o] profert, in qua oſſa pubis ita erant diſtracta, ut coxarum altera attolleretur, altera deprimeretur. Sed non opus eſt ſolutione harum *Pinæi* rationum, quoniam jam dudum illas ſolvit [p] *Laurentius*, qui [q] de horum oſſium divulſione ſequentem in modum diſſerit: *Quod ſi divulſionem ſimul paſſa fuerint, quomodo copulabuntur, quo glutine unientur, nova enim hypochondroſis fieri non poteſt.* Idem ſtatuit *Guillemeau*, qui [r] per quadraginta fere annos praxin obſtetriciam exercuiſſe, & plus quam quingentis feminis in partu opem tuliſſe, in omnibus vero partu difficili laborantibus diductionem horum oſſium percepiſſe ſe teſtatur, addens: *In quibuſdam inſuper, quæ in partu obierant, illico poſt mortem ſectione Cæſarea, ut fetibus conſervarem vitam apertis, dicta etiam oſſa ſeparata atque diducta, ligamentis eorum mollibus admodum ac laxatis, vidi, quoniam hic locus maximam ſuperimpoſitæ prementiſque ſuſtinet matricis partem.* Auctoribus jam allegatis conſentiunt *Cornelius Stalpart* van der *Wiel* [s] & *Daniel Ludovici* [t] immo *Riolanus* [u] teſtatur, ſe pluſquam trigeſies in mulieribus mox a partu extinctis, præſentibus medicis & chirurgis, vidiſſe cartilaginem, quæ oſſa pubis colligat, minimi digiti latitudine diductam, ita ut hiulca pubis oſſa apparerent, ſi digito intus attrectarentur. &c. Et alio in loco [x], *cartilago* inquit, *duobus oſſibus pubis interjecta, ad arctam commiſſuram eſt adeo robuſta, ut non indigeat circulari & membranoſo ligamento. Laudo tuum judicium de diductione iſtorum oſſium & oſſium ilium ab oſſe ſacro, modo non ſcribas in difficili partu, quia vidi in omni partu, etiam facillimo diductionem iſtorum oſſium.* Sed cauſam hujus diductionis in partu facillimo ego, cum cartilago oſſibus pubis interjecta adeo robuſta ſit, perſpicere nequeo.

 §. VIII.

[n] Opuſcul. phyſiol. cap. 5. ſeq. p. 107. ſeq.
[o] L. c. cap. 8. pag. 126. ſeq.
[p] Hiſtoria anatom. lib. 8 quæſt. 33. pag. 719.
[q] L. c. pag. ead.
[r] Traité des heureux accouchemens lib. 2 cap. 1. pag 295.
[s] Obſervat. rarior. cent. I. obſerv. 66 p. 290. ſeq.
[t] M. N. C. decur. 1. ann. 3. obſerv. 255. pag. 458.
[u] Anthropograph. l. 6. cap. 12.
[x] Animadverſ. in Jo. Vesling. opuſcul. anatom. p. 458.

## §. VIII.

Oſſa pubis in partu relaxari affirmat etiam *Wolfgangus Hœfferus* (*y*) non autem credendum eſſe ait, hæc oſſa in partu violenter divelli, ſed ſucceſſive relaxari, cujus rei initium circa ſeptimum menſem fieri ſtatuit: *Tunc*, addit, *natura de excludendo fetu ſollicita, mucorem quemdam circa hæc loca generat, & mediante illo, oſſa paulatim ſejungit; quæ iterum poſt partum, lentore illo exſiccato & conſumpto, coaleſcunt.* Mucor autem qui graviditatis tempore & in uteri orificio & in vagina generatur, per eam effluit, & nulla nota ſunt vaſa lentorem illum dictis oſſibus advehentia. Notabilem vero oſſium pubis ſeparationem refert *Cornel. Solingen* (*z*) dicens: *Einer gewiſſen 45. jährigen Dame, ſo mit ihrem erſten Kind in Kindes-nöthen ſaß, half ich den 12ten May von einem todten tochterlein in gegenwart des Hn* Petri van Wouw *und* Gedeon d'Aſſignies, Med. Doctorum, *und befand, daß das* os pubis *einen guten finger breit von einander abgewichen war, und den 15ten Julii noch eins ſo breit. Als ich nun erwehnte Dame, nebſt dem Hn.* d'Aſſignies, *wegen eines* Abceſſes *ſo an dem oberſten theil ihrer ſchaam ſaſſe, verband,* obſervirte *ich, daß derſelben ſchaamſeiten eingefallen, vor der heilung des vorerwehnten* Abſceſſes *ſeparirte ſich ein ſplitter von dem* oſſe pubis *als ein ſtüwer groß.* (*) Sed partum horum oſſium ſeparationis fuiſſe cauſſam, dici non poteſt, ſiquidem illa poſt excluſum fetum crevit, quia die xv. Julii major fuit horum oſſium diductio, quam partus tempore, quæ tamen, cum ceſſante cauſſa, ceſſet & effectus, hoc tempore adeſſe non debuiſſet, dum ſecundum auctorum opiniones, brevi poſt partum temporis ſpatio, hæc oſſa iterum coaleſcunt. Idem hic auctor alio loco (*a*) affirmat, ſibi per circumſpectam attentionem & longam experientiam notum eſſe ſeparationem & oſſium pubis & oſſis ſacri, nunquam niſi in partubus admodum laborioſis & rariſſime fieri. *Hildanus* (*b*) hanc diductionem plus aut minus fieri, ſecundum conſtitutionem parturientis & fetus conditionem putat, & in ipſa ſua conjuge hanc diductionem obſervaſſe narrat. Cum *Cornelio Solingen* conſentit *Paulus Barbette* (*c*) nam oſſa pubis dicit: *non niſi in partu graviſſimo & tunc quidem rariſſime a ſe invicem ſecedunt &c. Danieli Sennerto* (*d*) vero arridet illa *Adriani Spi-*

(*y*) Hercul medic. lib. 7. cap. 4. p. 405.

(*z*) *Sonderbahre Anmerckung von Frauens und Kinder* pag. 722. adnexus eſt tractatus ejus chirurgiæ germanice reddit: a philiatro quodam.

(*) Quædam femina quadraginta annos cura mea exciſa eſt puellam mortuam, 12 menſis Maji, erat ſuus primus infans, coram Dn. *Petro van Wouw & Gedeon d'Aſſignies* Ch. D. reperi os pubis ſeſe dilataſſe, ad unius digiti latitudinem & decimo quinto menſis Maji idem factum fuit, quando curabam illam feminam coram Domino *Aſſignes* abſceſſum parti ſuperiori Vulvæ obſervavi latus Vulvæ flaxidum eſſe. Ante ſanationem illius abſceſſus ſeſe ſeparavit quaſi ſquamam ad aſſis magnitudinem.

(*a*) In embryulcia pag. 35. & 36. a *Peucero* translata.

(*b*) Obſervat. chirurgic. centur. 6. obſerv. 34. fol. 547.

(*c*) Chirurg, part. I. cap. 23. pag. 59

(*d*) Practic. medic. lib. 4. part. 2. ſect. 6. cap. 1.

*Spigelii* (*e*) opinio, qui ſe ex pluribus obſervationibus edoctum eſſe, ſcribit, oſſa pubis nec in omnibus hiſcere, nec in nulla, ſed in illis tantum, quæ partum habent difficilem & laborioſum, aut partes ad fetus egreſſum neceſſarias anguſtas ſunt nactæ: nec quoque ita a ſe dividi, ut a ſe mutuo dehiſcant, ſed ligamento laxiore reddito, adeoque ſequace ad extenſionem cartilagine non nihil hiare. Facilius autem id fieri poſſe ſtatuit, quoniam in partu difficili, maximis doloribus ſtipato, major humorum ſit affluxio, qua partes illæ molliores reddantur & laxentur. Sed unde partus laborioſus, ſi cartilagines emolliuntur, ligamentaque laxantur? Hoc enim modo fetui tranſgreſſuro patet via, ita ut fere impoſſibile ſit partum dari difficilem. Sed quid auctorum recenſione moror? Ex recentiſſimis ſolummodo quoſdam huc afferam: inter quos quam maxime eminet *Beckerus* (*f*) celeb. quondam Alsfeldenſium medicus, qui fetum majorem, quam ut per viam tam anguſtam tranſire queat, immo rimam ab oſſibus pubis & ilii formatam, portam dare ſatis anguſtam, hæcque oſſa igitur a perenni humore ita humectari macerarique credit, ut a fetu diſtendente ſenſim ſe & notabiliter in partu patiantur dilatari. Sed conſideratis oſſibus præfatis pelviſque muliebris a virili (§. 5.) differentia, via, quam oſſa pubis & iſchii formant, ſatis ampla & exitui fetus accommodata eſt, deinde & humor mucoſus, aliquot ante partum hebdomadibus demiſſus, ori uteri lubricando vaginæque parietibus illiniendis, & ſic præparationi harum partium molliorum, minime vero macerationi cartilaginum inſervit. Hac, de horum oſſium in partu ſtatu, opinione, veriſimilior eſt illa *Bouvarti* (*g*) galli, cui & D. D. *Gunzius* (*h*) aſſentit, dicens: *Poſſe autem eas ligamentoſas cartilagines, toto graviditatis tempore, ſenſim diſtendi, copioſiuſque affluente ſucco augeri & creſcere, ut plus, quam antea, a ſe invicem oſſa diſtent, probabile eſſe exiſtimo.* His tandem adjungo obſervationem DN. D. *Deiſch* (*i*) qui in theatro anatomico Argentoratenſi, oſſa pubis ad tres circiter lineas a ſe invicem diſtantia, vidiſſe ſe perhibet. *Negari tamen haud poteſt*, addit, *horum oſſium ſeceſſus facilius & ſæpius, in rachitide laborantibus Gallis* nouées, *quam in aliis ſubjectis contingere.*

## §. IX.

Viſis jam (§. 7.) auctoribus, qui diductionem pelvis atque horum oſſium divulſionem in quovis partu fieri, aliiſque, qui quandoque, in partu nempe difficili ſ. laborioſo & præternaturali, id ſolummodo accidere affirmant, altera pars nunc audienda venit, quæ negative ad hanc quæſtionem (§. 5.) reſpondet. *Laurentium* jam (§. præced.) adduximus, dominus de *Mar-*

*ſchett.*

(*e*) Corpor. fabric. lib. 2. cap. 24.

(*f*) In tract. de παιδιοκτονία inculpata ad ſervandam puerperam pag. 32. 5. 23. ſeq.

(*g*) Quæſtio med. an oſſa innominata in gravidis & parturientibus diducantur? Pariſiis

(*h*) Commentatio medico chirurgica de commodo parturientium ſitu Lipſiæ 1742.

(*i*) Diſſert. med. chirurg. de neceſſaria in partu præternaturali inſtrumentorum applicatione, Argentorat. 1740.

*chett.* (*k*) *Riolanum* refutat, & *Jo. Dolæus* (*l*) *legitimum partum* inquit, *præcedere debent aquæ illius in amnio detentæ effuſio, non vero oſſis pubis ſ. oſſis coxendicis dilatatio, quam multi contra experientiam fieri credunt; quæ tamen oſſa pubis firmiter in partu connexa manent.* Parturientibus mulieribus hæc oſſa non disjungi, inquit *Andreas Veſalius* (*m*) & *Realdus Columbus* (*n*) riſu magis quam reprehenſione dignam illorum judicat ſententiam, qui in vulgus proferre non verentur, oſſa pubis in partu laxari atque dehiſcere, ut facilius exeat fetus, *Nulla enim ratione dimoveri poſſunt, tantum abeſt, ut laxiter aperiantur ſcribit.* Huic *Paul. Spindlerus* (*o*) aſſentit: *ego* dicens, *induci nequeo, ut credam illa oſſa in adultis tam firmo nexu cohærentia ſaltem laxari, multo minus divelli poſſe.* Ad quam ſententiam probandam addit exemplum lanionis cujuſdam uxoris, altera poſt partum die ex epilepſia mortuæ, ubi hæc oſſa quam firmiſſime ſibi invicem cohærentia vidit, ut neque diſtendi, multo minus divelli potuiſſent, niſi quis ea adhibitis malleo & cultro dividere voluiſſet. Gerras eſſe gerrarum, quas obſtetrices de dehiſcentia oſſium pubis imprudenter non minus quam impudenter effutiunt, inquit *Andr. Ottom. Gœlicke* (*p*) & *Paulus Ammannus* (*q*) contra medicos quoſdam & obſtetrices, oſſa pubis in partu non diduci, multo minus disjungi, rationibus defendit. Multos quidem affirmare, oſſa pubis in parturientibus relaxari, ſed abſque ratione & experientia, ſcribit *Georg. Francus* de *Franckenau* (*r*) idem tribus quatuorve de mortuis quas diſſecuit teſtatur *Jobus* a *Meckren* (*s*). Sed maxime mihi arridet illa *Theodori Craanenii* (*t*) ſententia; *triplicem* inquientis *apud auctores hac dere reperimus ſententiam: alii ſtatuunt in omni partu oſſa pubis a ſe invicem ſeparari atque ſecedere, ut grandiori fetui detur tranſitus; alii voluere id non fieri niſi in difficili partu, alii denique affirmarunt, illud fieri in nullo, quod ultimum & nos affirmamus, quia concipi nequit, quo modo molliuſculum infantis caput, oſſa pubis craſſisſima, cartilagine in medio juncta, posſit a ſe invicem divellere, quibus ſeparandis vix acutisſimum ferrum, & vires humanæ ſufficiant, cum caput infantuli ſit admodum molle, ita ut facile quaſvis figuras induere, & ad quaſvis vias ſe accomodare posſit. &c.* E multis unum adhuc placet afferre, clariſſ. *Dionis*, qui (*u*) inquit: *J'ai toujours trouvé ces os unis par des cartilages, que le plus fort ſcalpel avoit de la peine à couper. Ce qui les a jettés dans cette erreur, c'eſt qu'ils ne croyoient pas*

(*k*) Anatom. cap. 8. pag. 86.
(*l*) Encyclopæd. med. lib. 4. cap. 7. pag. 934.
(*m*) Anatom. lib. 1 cap. 28. pag. 152.
(*n*) De re anatom. lib. 1. cap. 28. pag. 152.
(*o*) Obſerv. 76. Shol. pag. 142.
(*p*) Medicin. forenſ. ſpecim. 4. §. 29. pag. 73.
(*q*) Parænes. lib. 5. part. 2. ſect. 1. §. 13. pag. 351.
(*r*) Satyr. medic 8. §. 2. pag. 142. & 165.
(*s*) Obſervat. medic. chirurg. 58. pag. 272.
(*t*) Oeconom. animal. de exortu homin. quæſt. 31. pag. 299. ſeq. & tract. de homin. cap. 253. pag. 759. ſeq.
(*u*) Traité des accouchem. lib. III. cap. 1. pag. 202.

*pas l'eſpace, que ces os forment à la partie inférieure de l'hypogaſtre, aſſez grand pour laiſſer paſſer un enfant. &c.* Huic *Mauriceau* (*x*) conſentit, qui in refutando *Riolano* atque *Paræo* ſequentem in modum diſſerit. *Il n'eſt pas neanmoins difficile de juger, qu'il ne les a jamais vûs de la ſorte, qu'en imagination, puiſqu'il offre de ſe dedire & ſe ſoumet à croire, que ces os ne ſe ſeparent pas ſi on lui peut faire voir, que la tète d'un enfant nouveau né puiſſe ſortir par ce large eſpace, qui eſt entre les os pubis, l'os ſacrum & ceux de l'iſchion. C'eſt pourquoi donnons lui la ſatisfaction qu'il déſire, & à tous ceux qui ſont de ſon opinion, qui eſt très facile a refuter par l'expérience, qu'il demande; car ſi nous examinons de près la différente figure, & la ſtructure de ces os, entre le ſquelet d'une femme & celui d'un homme, nous trouverons qu'il y a un plus grand eſpace vuide, & une diſtance de l'un & de l'autre de ces os, bien plus conſiderable aux femmes qu'aux hommes; & que pour ce ſujet la plus petite femme a les os de l'iſchion plus éloignés l'un de l'autre, que le plus grand homme. Elles ont toutes auſſi l'os ſacrum plus en dehors, & les os pubis plus applatis: ce qui rend la ſortie de cette capacité bien plus large, & ſuffiſante pour donner iſſuë à l'enfant dans le tems de l'accouchement. Elles ont encore outre cela les os des isles beaucoup plus renverſés en dehors, afin que dans la groſſeſſe la matrice ait plus de lieu pour s'étendre vers les côtés, & qu'elle ſoit ſupportée plus à ſon aiſe par cette diſpoſition qu'on peut voir repreſentée en la figure ſuivante.* Ex qua figura conjecturare licet, non opus eſſe divulſione horum oſſium, quod laudatus Auctor (*y*) experientia comprobat, dicens: *J'ai bien remarqué cela autrefois dans l'Hôtel-Dieu de Paris en un grand nombre d'accouchemens que j'y ai faits. Quand les femmes qui y ſont pour faire leur couche, commencent d'étre en travail, elles vont en une chambre, qu'elles appellent le chauffoir, auquel lieu on les accouche toutes ſur un petit lit fort bas, & fait exprès, où on les met devant le feu; puis auſſitôt que leur beſogne eſt faite, on les mene coucher dans leur lit, qui eſt quelquefois aſſez éloigné de cette chambre, auquel elles vont toutes fort bien à pied, ce qu'elles ne pourroient jamais faire, ſi leurs os pubis, ou ceux des iles, avoient été ſeparés l'un de l'autre.* Et ſi hæc oſſa in partu diducerentur, quomodo uxores militum ſtatim poſt partum caſtra poſſent ſequi? & certe proſtibula illa, quæ clam pariunt, enixo puſione e veſtigio aufugere non valerent, hiſce oſſibus diductis: *hoc enim ſi eſſet*, inquit *Nenterus* (*z*) *feminæ poſt partum pedibus inſiſtere nequirent.*

## §. X.

Sed ne nimis prolixi in placitis auctorum recenſendis ſimus, noſtram jam, præmiſſis ſequentibus, ſuppeditabimus ſententiam.

1. In quavis luxatione, divulſione, &c. requiritur cauſa externa tam



(*x*) Traité des maladies des femmes groſſes Tom. I. lib. 2. cap. 1. pag. 208.
(*y*) L. c. pag 210
(*z*) Phiſiol. medic. cap. XI. membr. 3. pag. 348.

fortiter agens, ut adnexio, cohæſio &c. oſſium, quæ ope ligamentorum, cartilaginum &c. fit, inde aliquo modo deſtruatur, laxatis, diductis & violenter prius extenſis ligamentis, cartilaginibus.

2. Si cohæſio, adnexus &c. partis ſuperat cauſam agentem, dislocatio fieri nequit.

3. A congeſtione humorum verſus articulationem aut aliam oſſium cohæſionem quoque fit luxatio, ſeparatio &c. attamen externa debet accedere cauſa, quamvis leviſſima ſit.

4. Ubi congeſtio humorum, ibi partes inveniuntur poroſæ magis a dilatatione vaſculorum.

5. In cartilaginibus vaſa ſunt ſubtiliſſima, exiliſſima, ſenſum fere fugientia.

6. Mucus quoniam eſt liquor craſſior, vaſa exiliſſima intrare nequit.

7. Oſſa diducta atque dislocata ita ad ſe mutuo combinari, ut ſibi invicem exactiſſime reſpondeant, atque ſibi invicem adunata ſervari debent, ſi eorum accretionem expectare velis & combinationem.

8. Luxato, dimoto, aut fracto oſſe debilitatur & ceſſat motus membri, ita ut nec inniti illi poſſis.

9. Os ſacrum eſt baſis totius ſpinæ dorſi, & cum oſſibus innominatis conſtituit totius corporis baſin. E. diductis atque divulſis hiſce oſſibus, incedere impoſſibile eſt.

10. In oſſe diducto, fracto, fit continui ſolutio, ex vaſis continui ſolutionem paſſis effluit liquor gelatinam æmulans, qui temporis ſucceſſu indureſcit, & calli nomine venit.

11. Fortiſſima eſt cohæſio oſſis mediante callo, ita ut in hoc loco poſtmodum, maxima quoque adhibita vi, oſſa frangi nequeant. E: Oſſa ilii atque pubis aliquoties divulſa, in reliquis partubus a ſe invicem ſeparari nequeunt.

12. Corpus molliuſculum, corpori duriori firmiter impactum, aut quomodocumque admotum, hoc e ſede ſua dimovere non valet, ſed molle a duriori corpore comprimi, experientia dictitat.

13. Oſſa cranii fetus, penitus nondum indurata, mediantibus adnectuntur ligamentis, quo fit, ut caput infantile molle reddatur, ita ut variis cedere modis, comprimi atque elongari poſſit, id quod in quovis fere partu difficili conſpicitur & laborioſo.

14. Oſſium horum diductio diu ante partum fieri nequit, quoniam fetus a mole aquarum ſuſtentatur, & per conſequens oſſibus pelvis non adeo fortiter incumbit.

15. Tempore partus hoc non fit, quia cauſa impetum faciens non ſufficit ad ſuperandam horum oſſium reſiſtentiam (n. 1. 2. & 12.).

16. Fetus prono capite oſſibus pubis imminens, partum quidem difficilem & laborioſum efficit, ſed minime horum oſſium diductionem cauſatur, id quod experientiæ.

17. Ilii

17. Ilii tuberoſitas impedit, quo minus ſacrum os retrorſum cedere poſſit.

18. Oſſium pubis divulſio, ſervato oſſe ſacro in ſede ſua naturali, fieri nequit, & ſi fieret hæc diductio, nullum inde exſurgeret emolumentum, quoniam pelvis hoc modo vix ampliari poteſt.

19. Parvæ etiam feminæ cavitate atque pelvis capacitate majori gaudent præ viris licet robuſtiſſimis, niſi adſit præternaturalis horum oſſium conſtitutio.

## §. X I.

Pauciſſimis nunc de differentia, quæ infantile & adulti intercedit caput, agendum, quo quæſtioni ( §. 5. ) ſatisfacere poſſimus. In ſceleto oſſa cranii adultorum, ope ſuturarum, partim verarum, partim ſpuriarum, ita cohærere atque ſibi invicem arcte adnecti videmus, ut eorum ſeparatio atque a ſe invicem diductio maximam ſemper expoſcat vim: e contra ſi caput inſpicimus infantile, oſſa ad perfectionem nondum perducta molliora cernimus, immo in quibuſdam locis oſſificationis defectum deprehendimus. Os enim frontale eorum in duas per longitudinem diviſum eſt partes æquales, quæ mediante aponeuroſi illa, totum cranium cingente ( *a* ) & pericranio ſibi mutuo adnectuntur, eadem hacce ſubſtantia tendineo membranacea, duo hæc oſſa frontalia oſſibus duobus bregmatis ſ. ſincipitis connectuntur; quæ quatuor oſſa in medio combinationis relinquunt ſpatium quadrangulare fere, de oſſificationis defectu teſtante, quod tamen dicta membrana, cranium cingente, tegitur; eo in loco, qui fontanella dicitur, pulſus arteriolarum cerebri exactiſſime perſentiri poteſt. Pari modo oſſa temporalia ſincipitis oſſibus, hæc vero occipiti ſ. lambdoideo oſſi combinata atque adnexa cernuntur, ita tamen, ut in quolibet horum oſſium oſſificationis defectus probe obſervari queat. Alias differentias B. L. non deſideret, cum hæ ſufficiant ad præfixum ſcopum, plures qui ſcire cupit adeat *Hirſchelium* ( *b* ).

## §. X I I.

Quodſi nunc ea, quæ de oſſibus eorumque vinculis, de pelvi ejuſque capacitate, figura atque differentia ( §. 2. 3. 5. ) ac capitis tandem infantilis conſtitutione ( §. 11. ) diximus, intueamur, ac cum iis, quæ ex variis auctoribus, pro ſtabilienda oſſium pubis divulſione adduximus, probe conferamus, cum celeb. D. D. *Friedio* ( *c* ) merito concludimus, hanc diductionem in partu naturali nunquam neceſſariam eſſe, ( pelvi bene conſtructo ) quoniam ( 1 ) exitus pelvis in feminis multo major eſt quam in viris, uti ex

Lll 2 figura

( *a* ) *Winsl.* l. c. Traité de la tête Tom. 4. § 196. ſq.

( *b* ) Diſſ. de præcipuis partium fetus ab illis adultorum differentiis præſ. *Saltzmanno* Arg. 1719. & id: parte poſter. de ead materia Argentor. 1719.

( *c* ) Coll. MS. ad *Dionis* traité des accouchemens. lib. 3. cap. 1. p. m. 140.

figura D. *Mauriceau* (*d*) optime autem ex accurata pelvis muliebris contemplatione atque cum pelvi virili comparatione apparet. (2) Quia caput infantile ita formavit Omnipotens *Creator*, ut laxa ſit oſſium cohæſio, (§. 10. 11.) quo, capite exitui pelvis dolorum ope intruſo, cranii oſſa ſupra ſe invicem repere, & caput hoc modo oblongari atque acuminari pro neceſſitate poſſit: hanc autem capitis compreſſionem ita fieri, in omni obſervari poteſt partu naturali: nam capite exitui pelvis inhærente, tactu nunquam fontanellæ locus exploraſi poterit, quoniam capite infantili compreſſo, a cranii oſſibus, propius ſibi accedentibus, hic locus tegitur, ſtatim autem poſt partum tactui ſeſe rurſus offert. Eam enim ob cauſam infantilia capita eſſe aperta, non ſine ratione affirmat *Deventer* (*e*) dicens: *Obiter hic annotabo: infantibus non abs re capita eſſe aperta, hoc eſt, cranium non ex uno continuo oſſe conſtare, nec undique tunc temporis æque durum eſſe, ſed circa ſuturas adhuc membranoſum ſaltem, imprimis autem vertex mollior & membranoſus exiſtit, ut ſcil. in iſtiuſmodi occaſione oſſa capitis cranium conſtituentia arctius coire, quin & ſuper ſe invicem contrudi queant, caputque oblongum fingi, id quod fieri non poſſet, ſi oſſa cranii compacta & arctius connexa eſſent, ſicuti poſtea fit, ſi adoleverint quodammodo infantes; unde concludimus: parvam ſ. arctam nimis pelvim non ſolum cauſam partus difficilis, ſed & obitus præbere poſſe & matri & infanti, niſi artificioſa manu partus excluſio fiat.* Immo nec in partu difficili & laborioſiſſimo, uti aliquoties obſervavi, hæc oſſa divelli, vel ex hoc ſolo pateſcere, autumo, quoniam anguſtior juſto pelvis capacitas ſæpius partus difficilis cauſſa exiſtit, quod tamen fieri haud poſſet, ſi nominata ſæpius oſſa diducerentur, hac ipſa autem eorumdem diductione pelvis ampliaretur cavitas atque ſic dyſtociæ removeretur cauſſa: alias enim nullus obſervaretur partus difficilis a nimis anguſta pelvis capacitate talis, ſed contrarium docuit cit. *Deventer* (*f*) Hanc ob cauſam nunquam hæc oſſa dislocari atque divelli, & ſi quandoque, ſed rariſſime, diducta atque diſtantia ſunt obſervata, minime tamen hanc divulſionem fetui, ſed longe alii adſcribendam eſſe cauſæ, cenſeo. v. gr. rachiticis afflictionibus.

## §. XIII.

Tractandorum ordo requirit ut uterum nunc ejusque vaginam ac partes cum illis connexas conſideremus. (§. 1.) Eſt autem uterus corpus piriforme, cavum, exterius albidum, mediocriter ſolidum, copioſiſſimis vaſis inſtructum, elaſticum, in hypogaſtrio ſ. pelvis cavo, inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum ſatis libere abſque firmiori adnexu ſitum, ſemini recipiendo, ovulo fovendo, embryoni & fetui nutriendo, illi cum ſecundinis

(*d*) L. c. lib. 2. cap. 1. pag. 209.
(*e*) L. c. cap. 27. pag. 112. ſeq.
(*f*) L. c. cap. 27. pag. 111. ſeq.

nis excludendo expellendoque, nec minus ſanguini menſtruo ac lochiali excernendo, dicatum.

§. XIV.

Ligamentorum, quibus uterus vicinis adnectitur partibus, & in ſede ſua immobilis detinetur, libera manente parte anteriore & poſteriore, duo vulgo numerantur paria, lata & rotunda. Duæ illæ peritonæi duplicaturæ, lateraliter fundo uteri alligatæ, alæ veſpertilionum alias vocatæ, ligamenta ſic dicta lata conſtituunt uteri, quorum beneficio uterus meſenterio, portionibus muſculorum pſoas, & ſecundum nonnullos oſſibus ilii aliiſque partibus vicinis adjungitur, includunt hæc ligamenta tubas fallopianas & ovaria muliebria. In magna hacce duplicatura collocata deprehendimus ligamenta rotunda, teretia melius vocata, quæ nil aliud ſunt quam congeries vaſorum tam arterioſorum quam venoſorum, cum vaſis uteri communicantium. Egrediuntur hæc ligamenta e lateribus uteri peritonæo circumdata, atque per annulos muſculorum abdominalium tranſgreſſa, in ſubſtantia adipoſa inguinum & alarum vulvæ diſparent. Uſus ligamentorum in genere eſt, uterum in ſua ſede tenere, & quidem latorum, ne ad inferiora prolabatur, rotundorum ne in hoc vel illud latus inclinet, quibus (*g*) cl. *Deventer* alium addit uſum non ſine ratione, quod nempe uteri poſt partum adjuvent conſtrictionem; illum autem, cujus *Dionis* meminit (*h*), inter figmenta referri non ignoramus.

§. XV.

Figura gaudet uterus turbinata ſ. aliquomodo piriformi compreſſa, fibris ac membranis ſubſtantiam quamdam fibroſo ſpongioſam formantibus, quibus vaſa ſanguifera copioſiſſima intertexta ſunt. Arterioſa vaſa proveniunt partim ab arteriis ſpermaticis, in ovaria tubaſque fallopianas, & quoad partem in uterum ſeſe immittentibus, partim ab hypogaſtricis ſ. iliacis internis, quæ ramos quoſdam arteriæ pudendæ internæ ſ. pudendæ hypogaſtricæ dictæ, per portiones laterales ad omnes uteri partes tam internas quam externas ablegant, eaſdemque in tota ejus ſubſtantia ubique & undique diſtribuunt: his accedunt arteriæ pudendæ externæ, utrinque ab arteria crurali oriundæ, in partibus generationi dicatis externis diſtributæ, ramuloſque ad uterum mittentes. vid. *Winslow* (*i*). Vaſa venoſa accipit uterus a venis ſpermaticis, pudendis externis, quoad maximam vero partem a venis hypogaſtricis ſ. iliacis internis, ſub venarum pudendarum hypogaſtricarum nomine venientes (*k*). *Winslow*. Hæc utriuſque generis vaſa copioſos faciunt inflexus, multiplices intertextus, mirificaſque vaſorum complica-



(*g*) Cap. 4. pag. 24.
(*h*) Anat. ſect. 2. demonſtrat. 4. & traité des accouchem. lib. 1. cap. 2.
(*i*) L. c. Tom. 3. traité des arteres & Tom. 4. §. 614. ſeq.
(*k*) L. c. Tom. 3. traité des veines.

plicationes ac plurimos inſuper plexus reticulares, ita ut non ſolum vaſa unius lateris ſibi invicem per anaſtomoſes conjungantur, ſed & ramificationes dextri lateris cum vaſis ſiniſtri lateris communicent. Omnes hæ anaſtomoſes eum in finem adornatæ ſunt, ut ſanguini, vaſis quibuſdam obſtructis, liberior per alia vaſa concedatur tranſitus, incurvationes autem & inflexus tortuoſi eorumdem vaſorum faciunt, ut tempore graviditatis uterus eo commodius magnam in molem excreſcere diſtendique poſſit. De venis uteri porro notandum, quod valvulis careant, id quod regurgitationem ſanguinis venoſi verſus principia horum vaſorum, i. e. ramis verſus ramulos facilem reddit, & per conſequens efficit, ut ſanguis pondere ſuo in principia venarum & fines arteriarum agere, hæcque vaſa expandere poſſit. Nervi uterini oriuntur a nervis lumbaribus, ſacris & ſympathetico magno ſ. intercoſtali, mediante quo uterus cum omnibus infimi ventris viſceribus aliiſque partibus communicat, uti ex hyſtericarum pathematibus patet. Vaſa lymphatica, olim in brutis obſervata, ſed a celeberr. *Morgagnio* (*l*) in utero muliebri experientia nunc confirmata, inveniuntur utplurimum circa uteri orificium, ſed ſolummodo in gravidis, in quibus & mihi aliquoties ea videre licuit. Vaſa lactea utero ineſſe, affirmant *Ant. Deuſingius* (*m*) *Thom. Bartholinus* (*n*), *Isbrand. Diemerbroeck* (*o*) Sed vereor ne vaſa lymphatica, quæ ab utero ad ciſternam chyli tendunt, viris hiſce impoſuerint, ita ut pro lacteis venditentur, cujus erroris exempla non raro proſtant, teſte *Bartholino*, qui vaſa lymphatica hepati propria, pro ramulis lacteis e meſenterio ad hepar pergentibus habuit.

## §. XVI.

Magnitudinem uteri quod concernit, admodum illa ratione ætatis, aliarumque circumſtantiarum v. gr. excretionis lunaris, variat, plerumque tamen ejus longitudo in adultis trium digitorum, latitudo vero, in fundo ſcilicet & corpore, duorum, in cervice vero unius digiti latitudinem æquat. Pari ratione de craſſitie uteri dicendum, quod admodum ſit diverſa, plerumque tamen in adultis ſeſquipollicis craſſitie, in virginibus autem adhuc minori invenitur. Defenditur uterus ſuper extenſa peritonæi membrana; interior autem ejus cavitas, quæ triangulum fere oblongum format, vix minoris capax amygdalæ (*p*), nunc major nunc minor, ratione ipſius uteri magnitudinis, invenitur, inveſtiturque membranula admodum tenui, multis orificiis ac foraminulis pertuſa, quæ nihil aliud ſunt quam extremitates vaſorum ſanguiferorum: in angulis hujus cavitatis ſuperioribus, uteri nempe fundo, duo conſpiciuntur foraminula, ſubſtantiam uteri perforantia, vix ſetam

(*l*) Adverſ. anatom. IV. animadverſ. 43. pag. 76.
(*m*) Differt. de lacte. it inſtitut. anat. pag. 7. c. 3. §. 16.
(*n*) Tract. de lacte. it. anatom. ref. lib. 1. cap. 28.
(*o*) Anat. l. 1. cap 17.
(*p*) Celeberr. *Jo. Gothofr.* de *Berger* phyſiol. medic. pag. 454.

ſetam admittentia, quæ ſunt tubarum fallopianarum orificia. Tertius angulus canalem complanatum, minus anguſtum, collum uteri perforantem, & in extremitate hujus colli per hiatum quemdam tranſverſalem ſeſe terminantem format: in hoc canale cervicem uteri perforante, multæ conſpiciuntur lacunæ, plicæ atque rugæ, nec minus fibrarum quarumdam ſeries, tam longitudinalium quam tranſverſalium a *Morgagnio* (*q*) delineatæ, pro anguſtiori reddenda uteri cervice. Multi præterea hic loci inveniuntur globuli ac corpuſcula ſphærica a D. *Naboth* (*r*) falſo pro ovulis habita, ſiquidem nil aliud ſunt quam hydatides. Adſunt quoque glandulæ mucum quemdam ſecernentes, qui graviditatis tempore canalem hunc obturat.

## §. XVII.

Dividitur uterus in fundum ſ. partem ſuperiorem, corpus ſeu partem mediam, & cervicem ſ. partem infimam acuminatam. In ima hujus cervicis parte notanda rima illa tranſverſalis, in cavum cervicis atque uteri hians, orificium uteri dictum; dividit hæc rima cervicem uteri in duas partes, quæ labia uteri vocantur, ita ut unum ſit labium anterius alterum vero poſterius, vel unum ſuperius alterum inferius; hoc orificium una cum ſuis labiis rictum tincæ piſcis ſ. catuli canini optime refert, denſum eſt hoc orificium, membranis ſinuatis & corrugatis conſtans, quo dilatari & conſtringi queat, quam actionem adjuvant fibræ illæ §vo præced. deſcriptæ. Ambit uteri cervicem, ita ut orificium in medio quaſi pendulum ſit, canalis quidam membranaceo muſculoſus, a collo uteri ad orificium urethræ & finem inteſtini recti fere exporrectus, uteri vagina dictus, qui longitudinem ſex vel octo digitorum tranſverſorum in adultis æquat, diverſa gaudet amplitudine, in diverſis caſibus: connexa eſt hæc vagina anterius cum collo veſicæ urinariæ & urethra, poſterius vero inteſtino recto adhæret. In cavo illius multæ conſpiciuntur rugæ, major tamen harum quantitas in virginibus quam in nuptis, aut illis quæ coitu abutuntur, deprehenditur. Glandulæ denique lacunæ ſ. oſcula in hoc cavo ſunt notanda, mucum quemdam ſecernentes pro lubricanda vagina inſervientem; in parte anteriore hujus vaginæ reperitur circulus quidam membranaceus in medio perforatus, hymen dictus, cujus defectum carunculæ myrtiformes, a rupto hymene originem trahentes, reſarciunt. Totam vaginam in parte anteriori circumdat muſculus ſphincter ſ. vaginæ conſtrictor, a ſphinctere ani ortus. Adhærent huic muſculo corpora cavernoſa clitoridis. A partibus mulierum internis, ad externas, quarum cognitio obſtetricantibus quoque neceſſaria, nunc progrediendum eſſet, niſi id prohiberet inſtituti ratio. Nomina eorum ſolummodo apponere placet, quoniam ulteriorem eorum deſcriptionem & uſum B. L. in anato-

(*q*) L. c. adverſ. 1. tabul. 3.
(*r*) Diſſ. de ſterilitate & *Fried. Hoffmann.* medicin. ration. ſyſtem. T. I. lib. 1. ſect. 2. cap. 12. pag. 240. ſeq. §. 15.

anatomicorum libris fuſe inveniet: referuntur autem ad partes generationi inſervientes ſexus ſequioris externas, mons veneris, duo labia, fiſſura ſ. rima magna, clytoris cum præputio, nymphæ, orificium urethræ, introitus vaginæ, frænulum, foſſa navicularis, & perinæum, ſ. intermedium illud inter vaginam & anum.

## §. XVIII.

Multum differt uterus gravidus, a non gravido, §. 12. ſeq. deſcripto, figura, ſitu, magnitudine, ligamentorum atque orificii ratione, & denſitate. Figura diximus gaudere uterum (§. 14.) turbinata, aſt in gravido non ſemper una eademque conſpicienda eſt figura, modo enim illa magis ovalis eſt, modo ad piri magis accedit figuram, ratione quem fovet hoſpitis. In hypogaſtrio uterum ſitum eſſe (§. 12.) monuimus, ita nimirum, ut ejus fundus ultra baſin oſſis ſacri non excurrat, neutiquam vero furibundi animalis inſtar, omnes corporis regiones pervagetur. Poſt conceptionem autem ſenſim ſenſimque increſcit uterus, extenditur, ampliatur & dilatatur ita, ut cum fetus augmento ſua quoque capiat incrementa uterus, donec uſque in tantam excreſcat molem, cui excipiendo pelvis capacitas non ſufficit: altiora igitur petit, & in regionem epigaſtricam ad umbilicum fere uſque aſcendit, ita ut maximam ultimis geſtationis menſibus referciat infimi ventris capacitatem. Magnitudinem uteri admodum diverſam eſſe (§. 15.) poſuimus (*s*) ex jam dictis vero facile unuſquiſque perſpiciet, magnitudinem uteri gravidi multum ab illa non gravidi differre, & gravidos quoque inter ſe diſtinctos eſſe & magnitudine & capacitate, ratione graviditatis temporis. Uteri gravidi ligamenta a non gravidi quoque diſcrepant, ſed non propterea ſolum, quod ligamenta extendantur atque elongentur, ſed potius ideo, quoniam in utero non gravido, ligamenta uteri fundo ipſius (§. 14.) adnexa ſunt, in gravido vero inferiori uteri parti propiora ſunt (*t*), id quod clare demonſtrat, fundum uteri ita conſtitutum eſſe, ut magis extendi ampliarique poſſit, parte infra ligamenta ſita. Recte igitur concludit *Deventer* (*u*) fundum magis extendi, parte reliqua: *Si uteri fundus*, ſunt verba ejus, *ſupra ligamenta duplo plus longior eſt quam infra ligamenta ad vaginam uſque, & contra, infra ligamenta uterus non impraegnatus duplo plus major eſt quam ſupra, tunc ſequitur hunc uterum in fundo quadruplo plus extenſum eſſe, quam infra ligamenta: Si ergo totus uterus, habita proportione amplificando, duplo, vel triplo major evadit, ſequitur fundum congruenter amplificatum octuplo vel duodecuplo plus ſupra ligamenta extendi, quam infra.* Hæc uteri mutatio & aſcenſus dum contingit, efficit, ut uterus vario modo locum ſuum mutare atque obliquari poſſit, ligamentis variis a cauſſis in uno latere extenſis, in altero vero plus ſtrictis; obliquationi autem uteri magis adhuc favet & hoc, quod

(*s*) *Mauriceau* l. c. cap. 4. pag. 19. *Heiſter.* l. c. pag. 103.
(*t*) Λ *Deventer* in fig cap. 7. pag. 28. adnex.
(*u*) L. c. cap. 9. pag. 40. ſeq.

quod ligamenta, fundo uteri plus reliqua parte extenſo, impedire non poſſint, quo minus vel antrorſum nimis inclinet vel retrorſum, vel ad latus nimis flectatur uterus, id quod prave uterum ſitum eſſe, obſtetricantes dicunt, quæ prava uteri poſitura partus difficilis quoque exiſtit cauſſa [*x*]. Varias quoque uteri orificium ſubit mutationes cum ſuis labiis, ita ut diverſimode diverſis graviditatis temporibus tactui ſeſe ſiſtat. Statim enim poſt conceptionem gelatina illa mucida (§. 15.) e glandulis in introitu uteri ſitis excreta, hanc rimam tranſverſalem occludit atque obturat, ita ut conſtrictis labiis penitus fere obliteretur hæc rima, imprimis in illis, quæ prima vice ſunt gravidæ, cervix deinde uteri elongatur, dureſcit, & magis in vaginæ cavum prominet: durant hæc ad medium circiter graviditatis tempus, ſ. potius ad quinti ſextique menſis finem, circa quod tempus orificium magis elevatur ſurſum, utero plus aſcendente, id quod inquirentibus & tangentibus hoc tempore orificium, multum faceſſit negotii; poſtmodum durities indies minuitur, labia molleſcunt, decreſcunt, minora fiunt, orificium hiat [*y*], ita ut verſus octavi menſis finem apex digiti illi immitti poſſit, remanente reliqua hujus cavitatis parte clauſa; id quod celeberr. *Friedio* anſam dedit, quod uteri orificium in duas diſtinxerit partes, alteram orificium externum, internum alteram vocans. Appropinquante jam atque mox inſtante partu labia penitus evaneſcunt, multum uteri orificium diſtat, ita ut membranæ fetum ambientes, caputque infantile, aut alia orificio incumbens infantis pars, quam exactiſſime tangi queant.

## §. XIX.

Uterus graviditatis tempore indies magis magiſque irrigatur humoribus, vaſa ipſius a ſanguinis affluentis copia diſtenduntur, ampliora evadunt, id quod gravidum uterum poroſiorem magis reddit, cum ille non gravidus (§. 12.) ſolidior magis ſit conſpiciendus. An autem uterus graviditatis tempore magnam propter extenſionem tenuior quoque evadat, an vero eadem maneat craſſitie; quæſtio jam eſt decidenda: celeberrimi quidam viri [*z*], craſſitiem uteri graviditatis tempore multum imminui, ſtrenue defenderunt, inter quos quam maxime eminet *Mauriceau* [*a*], qui multis rationibus probare hoc annititur; aſt dudum hujus viri ſolvit argumenta, multiſque ratiociniis ſolidiſſimiſque argumentis & experientia, hujus rei contrarium probavit exercitatiſſ. a *Deventer* [*b*]. Et certe ſi rationem & experientiam conſulimus, non poſſumus non, quin eidem, aliiſque id affirmantibus [*c*], ſuffra-

[*x*] V. *Deventer* l. c. cap. 46. 47. & 48. pag. 201. ſeq.

[*y*] *In iis quæ prima vice utero gerunt, tardius hoc fit, quarum orificium paucis ante partum diebus quandoque penitus nondum apertum eſt.*

[*z*] A *Mauriceau* l. c. T. l. cap. 4. pag. 20. alleg.

[*a*] L. c. T. 1. cap. 4. pag. 19. ſeq.

[*b*] L. c. cap. 8. & 9.

[*c*] A *Mauriceau* l. c. p. 19. & a *Deventer*. l. c. p. 29. alleg.

ſuffragemur. Aſt reclamabunt fortaſſe nonnulli, quod omne quod extendatur, craſſitie decreſcat, ſed in rebus animatis rem aliter ſe habere, his reſpondendum, etenim humorum copiam, tempore graviditatis utero advectam, ſi perpendimus, & parvum adhuc fetus corpuſculum humoribus his conſumendis non ſufficiens, vaſa uteri a nimio liquidorum affluxu extendi debere ratio dictitat, & re vera quoque extendi, obſervatorum fide conſtat, qua novimus illa calami ſcriptorii, aut ſecundum *Morgagnium* [*d*] digiti craſſitudinem æquare: ex quo facile patere arbitror, vaſis hoc modo extenſis, uterum non tenuiorem fieri ſed craſſiorem: & ſi comparationem cum aliis corporis noſtri partibus inſtituimus, hujus afferti veritas adhuc magis eluceſcet, nam hydropicorum integumenta abdominis communia eadem gaudent craſſitie ac ſanorum, licet mirum quantum extenſa ſint, id quod in aliis quoque, herniis v. gr. aut abſceſſu quodam grandiori laborantibus quotidie obſervatur.

## §. XX.

Experientiam denique ſi rationi adjungamus, ſemper fere uteri ſubſtantiam in gravidis craſſiorem, quam in non gravidis deprehendemus, id quod demortuæ ſtatim ante aut poſt partum [*e*], me alioſque docuere. Immo in vivis quoque poſt partum immiſſa altera manu utero, altera abdomini impoſita, de hac craſſitie conjecturari poteſt [*f*]. Si igitur juxta *Ariſtot.* [*g*] effatum, illud quod plerumque fit, maxime ſecundum naturam ſit, conſequens eſt, uterum gravidum, quoniam eadem craſſitudine ſemper & fere majori [*h*] gaudet, ac non gravidus, non diminui ſed augeri. Confer: quem ſæpius ſecuti ſumus clariſſ. *Deventer* [*i*]. Unicum antequam ab utero diſcedamus gravido, adhuc monendum, fundum nempe uteri craſſiſſimum eſſe, & reliquum matricis corpus craſſitie ſuperare: conſpiciuntur in hoc fundo congeries fibrarum, vario modo ſibi intertextarum, cui celeberr. *Ruyſ-*

[*d*] L. c. adverſ. 4. animadverſ. 26. pag. 48.

[*e*] *Experientia victus hanc uteri craſſitiem ſtatuo, aliquoties enim in præſentia celeberr. præceptoris mei* D. D. Friedii, *non ſine magna admiratione uterum vidi, mirum quantum extenſum, ſine craſſitiei diminutione: id quod poſtea ſemper obſervavi.*

[*f*] V. a *Deventer* l. c. cap. 8. pag. 35.

[*g*] Lib. 1. de generatione animalium.

[*h*] *Cervix uteri eo in loco ubi vagina matrici adnectitur, tempore graviditatis cum toto uteri corpore diſtenditur ac dilatatur, ita ut ſphæram tangentibus in ultimis geſtationis menſibus præbeat, ab obſtetricantibus globus uteri igitur vocatam: hæc ſi a capite infantili nimis premitur pars, expreſſis e vaſis liquidis extenuatur, decreſcit & tenuior fit, reliquo matricis corpore, ita ut per dictum globum fetus in utero tangi quandoque poſſit, id quod, uti opinor, fefellit* D. Mauriceau, *ita ut crediderit, & reliquum matricis corpus ſic quoque extenuari: ſed in reliqua uteri parte, a preſſione libera manente, non fit extenuatio, alias enim, utero ſic extenuato & gracilento, infans ſine periculo uteri rupturæ in hoc ſinu verti non poſſet, immo admodum difficile eſſet. placentam adhærentem ſine uteri læſione deglubere.*

[*i*] L. c. cap. 8. & 9.

*Ruyſchius* [*k*] peculiare nomen & officium impoſuit, ſtatuens hunc muſculum orbicularem, antehac a nemine detectum, ſecundinarum retentionis auctorem & medicinam eſſe.

§. XXI.

Ultimam ſubit uterus mutationem, excluſis aquis, fetu, ſecundinis. Jam ante partum, dum fetus proprio ſuo pondere inferioribus magis incumbit uteri partibus, diſtenſio fit harum partium, (§. 20. not. e.) oritur in fundo ſpatium quoddam vacuum, fibræ vero in uteri fundo hac ratione a diſtenſione liberæ, ſucceſſive ſeſe conſtringunt, ex qua ſtrictura lenes dolores circa lumborum atque oſſis ſacri regionem erumpunt, prodromi dolorum ad partum, von *Hoorne* [*l*]: poſtmodum ab hac fetus preſſione uteri orificium hiulcum magis redditur, ac novum exſurgit in fundo ſpatium vacuum, fibræ vero ab extenſione magis liberæ majori vi ſeſe conſtringunt, ac viciſſitudines has tam diu conſervant, donec dimidia circiter capitis infantilis pars orificio uteri nunc ampliato inhæreat, gall. *couronnement*, *ou l'enfant eſt au couronnement*. Tandem ſuborto hoc modo majori ſpatio vacuo, augetur quoque conſtrictio, dolores ergo tunc fiunt acerbiores, gall. *douleurs*, ſ. veri ad partum dolores, vocati: durant hæc omnia, uſque dum caput orificium tranſgreſſum vaginæ immineat, id quod gall. *l'enfant eſt au paſſage*, noſtrat. *das kind ſchneidet ein*, exprimunt. Tunc fibræ ab extenſione magis liberæ, novo quaſi inſtructæ robore fortius ſeſe conſtringunt, dolorum major fit exacerbatio, aquæ ruptis eorum membranis proſiliunt, quas, durante conſtrictione uteri, ſequitur infans cum ſecundinis, quibus excluſis, uterus ſucceſſive conſtringitur, vaſa compreſſa atque a contractione uteri coarctata, fundunt liquorem, lochiorum nomine venientem, donec ad priſtinam figuram molemque naturalem, uterus redeat. Ligamenta uteri teretia ſecundum laudatum clariſſ. *Deventer* [*m*] hanc coarctationem uteri poſt partum adjuvare probabile eſt.

§. XXII.

Hæ quas deſcripſimus (§. 21.) actiones partui famulantur: eſt itaque partus illa actio, qua, poſito vertice capitis infantis eum in locum, ubi eſt os uteri internum, & facie oſſi coccygis materno obverſa, fetus cum adnexis ſecundinis, certo ac legitimo tempore, intra paucas horas, ſine adjuvantis ope, in lucem editur vivus & ſanus. Eſt hæc partus naturalis deſcriptio, quæ dependet (1) a proportione magnitudinis capitis infantis, ratione pelvis per quam tranſire debet. (2) A recta hujus capitis & perpendiculari ſupra orificium poſitura, (3) ab utero bene locato & ſano, vaginaque cum aliis huc pertinentibus partibus, legitime conſtituta, (4) ab apertione



[*k*] In tract. de muſculo in uteri fundo reperto.
[*l*] In tract. *die zwo von Gott wohlbelobnte Wehmütter*. c. 9. p. 35.
[*m*] Cap. 4. pag. 24.

ne cranii fontanella dicta, & a diſtenſione oſſium cranii. Hiſce rite non conſtitutis, partus eſt vel laborioſus, difficilis, vel præternaturalis.

§. XXIII.

Sed diſſertationis limites tranſirem, ſi de triplici hoc partus genere prolixius agere eſſet animus, ad inſtitutum ergo nunc veniendum, quo diſſertationis rubro faciamus ſatis, & B. L. commonſtremus, quomodo abruptum & in uteri cavo remanens caput infantile ſit extrahendum. Intelligo autem per caput abruptum illum caſum, quando nimirum fetus, ex ergaſtulo ſuo materno extracti caput, ex quacumque cauſſa divellitur, inque utero remanet, reliqua corporis parte in lucem protracta. Antequam autem ipſam hujus operationis explicationem & varios methodos feliciter illam perficiendi ſubminiſtrem, neceſſe eſt, ut indagentur prius cauſſæ, deſperato huic malo anſam præbentes.

§. XXIV.

Primo igitur merito accuſamus imprudentiam atque inſcitiam obſtetricantium, imprimis muliercularum illarum, quæ, artis obſtetriciæ prorſus rudes, violenta ac in exercitata manu in pueros, matreſque incurſant, & vel illos occidunt, vel utroſque male tractant per inſcitiam, ut longo tempore poſt miſeram trahant animam. *Ignaræ* enim, ut verbis *Augenii* utar, *ſunt noſtra tempeſtate mulieres medicæ, nec aliud meo quidem judicio, ſciunt, quam naſcentem puerum gremio excipere, umbilicum reſcindere & alligare: ad alia, quorum ſcientiam habebant antiquiores, ſunt profecto, ut aſini ad lyram.* Immo tanta nonnunquam illarum eſt malitia, ut, medicum vel chirurgum petentibus, vel puerpera, vel marito, vel adſtantibus, reſiſtant & remis veliſque contranitantur oblatrantes: *Quid ſtatim cum medico?* non adeſt periculum. Sed ſilentio errores obſtetricum prætermittam, cum illos jam dudum tot celeberrimi viri imprimis *Lentil* [*n*]. *Boſe* [*o*] von *Hoorne* [*p*] *Timmius* [*q*] *Haller* [*r*] aliique [*s*] notaverint, ego vero eas, quas tubas eſſe medicorum dicunt, irritare nolim. Qua autem ratione obſtetricis inſcitia atque ignorantia hujus calamitatis cauſa evadat, ex ſequentibus patebit: quemadmodum enim in partu naturali infantis caput primum emergit, ita e contrario pedibus ille extrahendus eſt in partu præternaturali, bene autem ſit antea verſus requiritur, digiti pedis nimirum deorſum, calcaneus vero ſurſum ſpectent, alias enim periculum inſtat, ne caput abrumpatur. Infanti autem

[*n*] Jutromnem. p. II. p. 412.
[*o*] Diſſertation. 2. de erroribus obſtetric. a med. clinic. perveſtigandis.
[*p*] Id quod experientia teſtatur von *Hoorne* l. c. obſ. 10. p. 206. obſ. 12. pag. 217. obſervat. 16. pag. 235. &c.
[*q*] *Vermehrter und erläuterter Dionis.* lib. 3. cap. 6. pag. 344. in not.
[*r*] Diſſ de obſtetr. errorib.
[*s*] V. gr. *Bohn* de off. med. dupl. p. 560. ſqq.

autem aliter poſito, & ad pectus jam edito, alia concilianda eſt poſitura: fit hoc dum una manuum ſupra pectus, altera vero infra dorſum infantis ponitur, & ille manuum miniſterio ſic vertitur [*t*], ut ejus facies lumbis obvia ſit, occiput vero matris ſuæ ventrem ſpectet; ſi hæc autem negligatur cautela, tum caput infantis ad marginem oſſis ilii vel pubis premitur, & mentum pubis oſſibus ita appenſum hærebit, ut non abſque ſumma difficultate ex hac ſede ſua dimoveri queat. Vulgus autem obſtetricantium neſcium quid caput moretur, fortiori ſaltem corpuſculi attractione eo laborat, quo illud, hoc modo fixatum in lucem proferre, & ſic ex ergaſtulo ſuo liberare poſſit tenellum: aſt nimia hac ſua præcipitantia fortiorique corpuſculi attractione rem in pejus vertunt, dum nimirum magno conatu aliud nihil agunt, quam ut caput a trunco ſeparetur, avulſumque in utero remaneat, poſtea multis periculis ac laboribus extrahendum.

§. XXV.

Non ſemper autem obſtetricans hujus mali exiſtit cauſa, ſed adſtantium atque miniſtrantium ignorantia ac præcipitantia triſte hoc etiam non raro ſpectaculum producit, id quod bis exercitat. D. la *Motte* [*u*] accidit, ubi una vice mariti præcipitantiam, altera vero vice imprudentiam accuſat obſtetricis. Immo imprudentiæ obſtetricans argui quoque non poteſt, ſi caput infantis in utero jam demortui, aut nondum maturi detruncatum remanet: ſiquidem partes maturi fetus jam laxæ ſunt, & facili negotio ſeparari poſſunt, adhuc laxius in fetu nondum maturo cohærent, & in demortuo, quamvis maturo, ob majorem partium ſolidarum mollitiem ac in putredinem proclivitatem minimæ cedunt vi, & facillime a ſe invicem ſecedunt. An brachia juxta caput non relicta, huic malo etiam anſam dent, cl. *Devent* [*x*] decidit, dicens: *Mihi ſane hoc modo res ſemper proſpere ſucceſſit: huic ergo praxi porro inhærebo, qua periculum non eſt, caput ab humeris avellendi, quod* Paulo Portal *aliiſque (uti ultro fatentur ipſi) ſæpius contigit: neque mirum hoc eſt: brachiis enim juxta corpus detractis, os uteri inſtar laquei vel tendiculæ contractum & concluſum non raro præfocat infantem, aut ſi jam defunctus ſit & tenellus, caput facile avellitur, quod in utero remanens, uncis deinde ferreis extrahendum eſt. &c.*

§. XXVI.

Quemadmodum uterus bene locatus partum reddit facilem [*y*], ita ejus

Mmm 3

[*t*] *Perſæpe fit, ut, reliquo corpore verſo, mentum oſſibus pubis appenſum maneat, manu itaque ad pectus infantis utero immiſſa, inquirendum eſt, an caput reliquum ſecutum ſit corpus, & ſi forte appenſum invenitur, tunc, uno aut duobus digitis in os immiſſis, a pubis oſſibus removendum & eo dirigendum eſt, quo facies ſacro oſſi obvertatur: conf.* D. D. *Friedii* Coll. M. S. pag. m. 290.

[*u*] Traité des accouchemens lib. 3. cap. 26. obſerv. 257. 258. pag. 367. ſeq.

[*x*] L. c. cap. 45. pag. 198. ſeq.

[*y*] Confer. §. 22. n. 3. diſſert.

ejus ſitus depravatus difficilis nonſolum partus ſed & quandoque capitis abrupti exiſtit cauſſa. Uterus enim obliquatus atque propendulus nimis impedit bonam ac legitimam [z] infantis ultimis menſibus verſionem [a], efficitque ut ad vertebras incurvas, aut ad os ſacrum impingat, unde caput retardatur, ut in pelvim aut delabi non poſſit, aut ſi in eam quoque nonnunquam delabatur, vertice ſuo uteri orificio perpendiculariter inſidere non queat: quo magis itaque vel minus caput ab orificio diſtat, atque remotum eſt, eo magis vel minus quoque neceſſaria eſt infantis verſio, germanis *die Wendung*, cujus ope pedes tenelli ſunt inveſtigandi, hiſque inventis, ille pedibus prodeuntibus eſt extrahendus. Nonnunquam tamen evenit, ut inſtituta quidem atque finita infantis verſione, aſt cautelis (§. 24. 25.) neglectis, facie nempe ſurſum ſpectante, brachiiſque juxta caput non relictis, capitis nihilominus fiat avulſio. Quis vero non videt, cauſam & hujus mali proximam, obſtetricis eſſe ignorantiam, licet remotior in nimis propendulo atque oblique in latus vergente utero latitet.

## §. XXVII.

Inter frequentiores autem mali noſtri cauſſas pertinent nimia partim capitis infantilis magnitudo [b], cum pelvi nullam habens proportionem: partim oſſa cranii arctius ſibi cohærentia, nullaque inter ſe intermedia relinquentia, & fontanella penitus fere clauſa, in genere ſi capitis oſſa conformationem ac ſtructuram, ſupra (§. 21.) deſcriptam, non habeant, ſed dura ſint, ac cedere neſciant: imprimis autem prava oſſium pelvim componentium figura atque conſtitutio, & inde exorta nimis anguſta pelvis cavitas, non ſolum hoc, ſed etiam alia & matribus & infantibus minatur mala atque damna, quæ pluribus verbis pertractavit laudatus cl. *Deventer* [c].

## §. XXVIII.

Parturientem hoc in caſu, ubi relictum in matrice integrum puelli caput eſt, in maximo diſcrimine vitæque verſari periculo, nemo non videt. Quodſi enim ea quæ (§. 21.) dicta ſunt probe perpendamus, uterum durante partu ſucceſſive ſeſe conſtringere videbimus, hancque conſtrictionem eo uſque durare, donec fetus cum adnexis, totus quantus luci ſit commiſſus; aſt relicto in utero capite, penitus hic ſeſe contrahere non valet, vaſa igitur hiantia aperta manent, hinc oritur ſanguinis profluvium, aut ex

[z] *Deventer* l. c. cap. 46. pag. 201.

[a] Per infantem bene verſum nil aliter intelligimus, quam eam infantis, utero bene locato poſituram, quam §. 22. deſcripſimus, uterus autem bene locatus dicitur iſte, qui in imi ventris cavitate ita ſitus eſt, ut neque antrorſum, neque retrorſum, neque ad latus inclinet, & cujus fundus orificio, hoc vero introitu vaginæ exactiſſime reſpondet.

[b] *Deventer* l. c. cap. 34. pag. 147. & in append. pag. 268. 269.

[c] L. c. cap. 27. pag. 111. it. *Gunzius* l. c. cap 7. p. 42. ſeq.

ex vena umbilicali, adhærente adhuc placenta uterina, aut ſeparata eadem, per oſcula vaſorum in uteri cavum hiantia. Orificii quoque ſequitur coarctatio, quæ mora ita augetur, ut maximo quandoque opus ſit labore temporiſque ſpatio, clauſum tale orificium reſerandi. Aſt in deſperato tali fatalique caſu, quid faciendum? anne dolores fortaſſe ſunt expectandi? aut in eorum defectu, illos excitantia præſcribenda adhibendaque remedia? aut tota res naturæ beneficio committenda? Neutrum horum prodeſſe affirmo, quoniam mora atque cunctatione res in deterius ſemper ruit; excitantia autem dolores remedia in hiſce caſibus, hocque tempore plane inutilia ſunt, tantum enim abeſt ut ſperatum illa effectum edant, ut potius præſentem jam ſanguinis orgaſmum adaugeant, & ad febres continuas, exanthematicas & inflammatorias facile diſponant. Relictum autem in uteri cavo caput, putreſcere incipit, ac uterum ſimili labe, ulceribus, inflammatione &c. afficit, donec tandem accedat mors vitæ impoſitura finem.

## §. XXIX.

Primo igitur antequam ad operationem ſeſe accingat obſtetricans, conſideret (1) *an orificium adhuc patulum, an vero ſit clauſum?* (2) *quæ hujus abrupti capitis ſit cauſſa?* quoniam inſtrumentorum ſelectus pro diverſitate cauſarum variat, horum probe gnarus, (3) *de commodo parturientis ſitu ſit ſollicitus.* In lecto itaque collocetur ægra, ſive vulgari, ſive ad hunc uſum parato, cujus deſcriptionem vide apud von *Hoorne* [d] & clar. *Dionis* [e]: priori tamen tranſverſaliter, & ita incumbere debet, ut natibus aliquomodo, ſed paululum elevatis, abdomen horizontaliter ſitum ſit, pectore aliquatenus elevato, cruribuſque diductis: conf. D. D. *Gunzius* [f], Clauſo orificio illud ut reſeretur neceſſe eſt, fit hoc, ſi index digitus, oleo aut butyro cocto prius probe illitus, per vaginam in orificium, oleoſa materia ſeu pinguedine, ut eo melius ſeſe extendere poſſit, inungendum, immittatur, eodemque leniter circumagendo dilatetur orificium, ut alius adhuc digitus priori, & ſecundo mox tertius poſſit aſſociari. Patefacto latius, trium ſucceſſive introductorum digitorum ope orificio, tandem quatuor digiti ſimul complicati, & pollice inter hos occultato, oleo madidi, orificio nunc magis hianti intruduntur, & illud quaſi perforando, circumaguntur explicanturque, uſque dum tota manus illud pertranſire ſine impedimento poſſit [g]. Orificio nunc ſufficienter dilatato, manuque in uteri cavum intro-

[d] Cujus mentionem facit *Mauriceau* l. c. T. 1. p. 210.

[e] L. c. T. 1. cap. 9. pag. 44.

[f] In cit. tract de parturient ſitu.

[g] *Si in partu præmaturo caput avellitur atque reſtat, orificium vero uteri adhibitis etiam omnibus ſufficienter dilatari nequit, tunc naturæ potius res committenda eſt, quam nimis rudi tractatione orificii dilatationem moliri, quoniam citius ſequeretur inflammatio atque mors, quam capitis extractio; ne autem uterus, a relicto tali moxque in putredinem abeunte capite, quod fruſtulatim tandem cum feda atque putrida ejicitur materia, inflammetur, aut labem quandam contrabat, defendendus ac mundificandus ille eſt, injectionibus vulnerariis, balſamicis.*

introducta, an placenta uterina adhæreat adhuc, an non, inquirat obſtetricans, quæ ſeparata jam ſtatim extrahenda, non ſeparata vero relinquenda eſt, quoniam alias magna ſequitur humorum profuſio.

§. XXX.

Orificio dilatato, de capitis extractione ſollicitus ſit obſtetricans, quæ ſequentem in modum fit: facie verſus os ſacrum verſa, duobus immiſſis digitis in os, ad latera reliquis poſitis, pollice infra mentum, aut melius in nucha applicato, (vid. fig. 2.) attractione tentet obſtetricans extractionem capitis. Irrita autem hac methodo, ne ſeparetur maxilla inferior, alio modo tentanda eſt extractio: caput nimirum ita collocetur, ut una aurium ſurſum, altera vero deorſum ſpectet, tunc duo digiti ori, quantum poteſt, ad fauces uſque intrudantur, reliquis digitis, uti jam dictum, applicatis, ſicque vacillando attrahendoque moliatur extractionem, uſque dum ſequatur aut caput, aut oſſa, digitorum ope comprehenſa, avulſa extrahantur, reliquis dein oſſibus ſucceſſive eximendis. Verum enim vero ſi & hic incaſſum caderet labor, de aliis cogitandum eſt adminiculis, cum certum ſit, aut magnitudinem capitis, aut pravam oſſium pelvim componentium ſtructuram atque formam hanc impedire extractionem.

§. XXXI.

Ad inſtrumenta igitur in tali caſu confugiendum eſt, quorum multa atque varia tum a veteribus, tum a recentioribus, imo recentiſſimis, ad hanc operationem perficiendam inventa ſunt; ſed dolendum, inſtrumenta veterum non ſolum, ſed recentiorum quoque plerumque ſic comparata eſſe, ut non ſemper deſideratum atque ſperatum edant effectum. Sunt autem hæc inſtrumenta partim lintea, ſ. ex linteo, partim ſericea ſ. ex ſerico confecta, partim denique ferrea.

§. XXXII.

Inſtrumenta ex linteo conſtructa nil aliud ſunt, quam faſciæ, quarum inventionis gloria *Mauriceau* [*h*] debetur. Conſtruitur autem hæc faſcia (fig. 3.) ex linteo molli quidem aſt forti, cujus latitudo manus latitudinem æquat, longitudo vero bina cubita excedit, aut ſecundum von *Hoorne* [*i*] unum cum dimidio. Applicatio hujus faſciæ fit ſequentem in modum: illitis pinguedine & manu & faſcia: manus, faſcia hac tecta digitis complicatis, utero introducitur, faſcia dein capiti ſuperextenditur, ita ut tali modo caput in hac faſcia quam in funda quaſi hæreat, tunc emiſſa ex utero manu, extractionem capitis, apprehenſis faſciæ extremitatibus, molitur obſtetricans:

[*h*] L. c. Tom. I. lib. II. c. 14. p. 287.
[*i*] L. c. Tom. II. p. 117. ſeq.

cans: Sed uſum huic faſciæ adſcribo nullum, *nimirum quod neque caput proportionatum redditur appertura pelvis, neque illud in recta atque perpendiculari linea extrahi poteſt, hac mediante faſcia.* D. D. *Waldgrave* [*k*] Profeſſ. Hafnienſ. id bene perſpiciens, hanc emendare curavit faſciam in eo, quod in tribus locis illam ſecundum longitudinem ad manus latitudinem inciderit, conſarcinatis extremitatibus, (fig. 4.), credens, hoc modo, inciſura nempe ſupra caput applicata, illud tam facile decedere non poſſe, nec obliquari, ſed firmius teneri, conſarcinatis vero extremitatibus, perpendicularem magis atque indeflexam fieri extractionem. *Attamen & mediante hac faſcia capiti nulla cum pelvis apertura conciliatur proportio*; Præterea & ipſi inventores, uſum harum faſciarum nulla comprobarunt obſervatione, immo ipſe D. v. *Hoorne* [*l*], data occaſione hac non uſus eſt faſcia.

## §. XXXIII.

Ex ſerico conflata, & ad hunc caſum inventa inſtrumenta, marſupiorum quoddam genus æmulantur, haud abſimilia reti illi, quo capillamentorum textores comis adoptivis conficiendis conſuendiſque utuntur, (*einem Peruquen-Nets.*) De inventionis gloria duo certarunt viri obſtetriciæ artis periſſimi, D. nempe *Gregoire* & D. *Ammand*, chirurgi Pariſ. Conſtructum eſt quodlibet horum inſtrumentorum ex ſerico, uti dictum, per cujus partem ſuperiorem funiculus quidam ſericus trajectus eſt, (fig. 5. b. b.) quo mediante conſtringi poteſt, circumferentiæ quatuor adſutæ ſunt faſciolæ, (fig. 5. a. a. a. a.) quarum quævis ulnam fere æquat, in parte interna quinque conſpiciuntur (fig. 5. c. c. c. c. c.) annuli, itidem ex ſerico confecti, pro digitorum in illos immiſſione. Alterum quod a D. *Gregoire* inventum eſt inſtrumentum, ab hoc non differt, niſi in eo, quod careat duabus illis faſciolis, quarum quælibet (fig. 5. aa.) in quocumque extremo notata, præterea & nullos habeat in parte interna annulos. Multum de hoc ſuo inſtrumento, *tire tête* ipſi vocato, promittit emolumenti D. *Ammand.* [*m*] nec minora *Gregoire* de virtutibus ſui reticuli prædicat.

## §. XXXIV.

Applicatio horum inſtrumentorum eſt ſequens: illinuntur dorſum manus & inſtrumentum pinguedine quadam, dein ſupra dorſum manus illud extenditur, digiti annulis immittuntur, & ſic manus digitis complicatis utero intruditur, quo facto caput ſuperimpoſita manu figitur, atque digitis ex annulis extractis, manus retrahitur, relicto ſupra caput inſtrumento, tunc caput

[*k*] V. *Hoorne* in tr. cit. quem in danicam tranſtulit linguam.

[*l*] Uti ex obſervat. IX. p. 197. l. c. patet.

[*m*] Vid. ejus *obſervation ſur la pratique des accouchemens.* ubi in adnexis figur. applicationem inſtrumenti declarat.

caput in illud intruditur, ita ut reconditum lateat, vertice tamen uteri orificium ſpectet, neceſſe eſt. Funiculi dein conſtringuntur, & mediantibus quatuor faſciolis molitur extractio. Magnæ certe in applicando hocce inſtrumento reperiuntur difficultates! applicatio vero illius a D. *Gregoire* inventi inſtrumenti eodem fit modo, & melius aliquatenus ſuccedit, quia hic ad facilitandam applicationem, invenit novum inſtrumentum, (fig. 6.) *hameçon* ipſi dictum, quod in uno extremo (fig. 6. c.) hamulo illi, quo piſcatores utuntur, *einem Fiſch-krappen*) haud abſimile, mediante quo faſciolam illam, quæ in applicatione ſupra caput ducitur, infra idem extrahere ſuadet. Uſum horum inſtrumentorum ſola niti imaginatione, ex eo patet, quoniam majorem adhuc efficiunt capitis cum pelvi diſproportionem, ſiquidem illud hoc modo non oblongatur atque accuminatur, quo patente via pertranſire poſſit, ſed latius redditur hiſce inſtrumentis caput. Denique de his quoque inſtrumentis, ut D. *Devaux* [*n*] judicium de illorum uſu huc non afferam, valet idem, quod (§. 32.) de faſciis diximus: nimirum quod nulla comprobata ſint experientia. *Immo* celeberr. D. D. *Fried. experientia edoctus, ingenue fatetur applicationem horum inſtrumentorum impoſſibilem eſſe.*

## §. XXXV.

Sequuntur ex ferro confecta inſtrumenta, quorum varia ſunt genera, primo igitur hamulos ſ. uncos pertractabimus, qui rurſus varii ſunt, partim nimirum obtuſi (fig. 7.) & globulo quodam in uno extremo præditi, (fig. 7. c.) partim vero acuti, (fig. 8. 9. 10.) alii tandem ſunt ſimplices, (fig. 7, 8.) duplices alii (fig. 9. 10.). Applicatio horum inſtrumentorum facilior eſt, quam illorum de quibus (§. 34.) diximus, attamen non ſine magno labore quandoque perficitur. Applicantur autem illa hoc modo: ſiniſtra manus, pinguedine illinita, utero intruditur, eaque arripitur caput, fixumque tenetur, cujus vertex uteri orificio ſuperimponenda, poſt, ope dextræ manus, inſtrumentum ſupra ſiniſtram utero inſerendum eſt ita, ut accuminata atque ſcindens pars ſiniſtræ manu ſit obverſa, id quod in omnibus vulnerantibus eſt obſervandum inſtrumentis, alias enim facile læditur uterus: hamulus denique infigitur aut oculorum uni, aut auribus, aut ori, aut nuchæ, aut foramini ovali magno oſſis occipitis, aut ſi vertebræ colli quædam cum capite adhuc connexæ ſunt, foramini illi medullæ ſpinalis, ſemper tamen inquirendus accommodatus quam maxime locus, cui uncus infigi debeat. Infixo nunc hamulo manus aliquantum eſt retrahenda, ſed ita tamen, ut digitorum apices, ſemper infra caput linquantur, quibus illud dirigendum & impediendum, quo minus uncus, ſi forte fortiori nimis attractione cum capitis quodam fruſtulo erueretur, uterum lædat.

§. XXXVI.

[*n*] Diſſertation ſur l'origine & les progrès de la chirurgie des accouchements.

§. XXXVI.

Verum enim vero, quoniam hiſce uncis caput in recta linea nunquam protrahi poteſt, niſi occipiti ſint infixi, ad hunc autem locum pervenire non liceat ſemper, de alio cogitarunt artifices uncorum genere, qui, quoniam in uno extremo duobus gaudent apicibus incurvatis, (f. 9. c. c. f. 10. f. f.) duplices vocantur hamuli, *gall. crochet double*, quorum unus (f. 10.) inventorem veneratur D. *Peu* chirurgum Pariſienſem. Artificioſe atque ingenioſe admodum conſtructum eſt hoc inſtrumentum, quoniam vices & ſimplicis & duplicis gerit unci, præditum nimirum in medio eſt elatere quodam (f. 10. c.) prope manubrium vero (f. 10. b.) cochlea quadam, qua exemta manubrioque compreſſo, uncus eſt duplex, cochlea vero manente, partes ſuperiores ad ſe invicem accedunt, ſimplexque evadit hic uncus. Applicatio horum uncorum eadem eſt ac antedictorum, locus vero in quem infliguntur, ſunt orbitæ ſolum: nullam hi aliam habent præ aliis (§. 35.) prærogativam, præter hanc, quod eorum ope caput in recta magis linea protrahi queat.

§. XXXVII.

Tempeſtivum nunc eſt, ut brevibus quoque, quid ab uncis hiſce ſimilibuſque inſtrumentis boni commodive expectari poſſit, exponamus. Non negamus ea ſubinde locum habere, & maximo cum fructu, diverſis in caſibus adhiberi poſſe, quando autem capitis potiſſimum prægrandis moles, mali noſtri cauſſam conſtituit, tunc plus damni ea quam boni afferre, non ſine ratione credimus. Primo enim nimia capitis magnitudo eorum uſu non minuitur, quod tamen abſolute neceſſarium eſt: deinde difficulter illa & non abſque inſigni vi adhibentur, immo dum pelvi intruſum, ac quaſi incuneatum caput, totam ejuſdem capacitatem occupat, & omnem cum manus, tum inſtrumentorum introductionem impedit, aut plane non, aut non tuto ſatis applicari poſſunt, cum verendum omnino ſit, ne vi intruſus uncus, improvideque adactus aut uterum aut vaginam, aut veſicæ collum adoriatur, præſertim cum is, quem fig. 10. exhibet, acuta ſatis acie, prope incurvationem gaudeat, adeoque medicamentum ſæpius gravius ipſo morbo evadat. Ex iiſdem quoque rationibus eam methodum [*o*], qua celeberrimus *Dionis* extrahendo tali capiti duos applicandos uncos ſuadet, uſu tardam exiſtimamus. Non enim video, qua ratione illud effici poſſit, cum unus alteri officiat, & unius applicatione alter e ſede ſua, cum damno ægrotæ, dimoveatur, ac in uterum potius, quam infantis caput adigatur, imprimis cum partes acuminatæ horum inſtrumentorum, quo minus lædant, manu nec defendi ſatis, nec in caput educendum dirigi tuto poſſint. Haud immerito ergo inſtrumenta hæc, a providis harum rerum Magiſtris,



[*o*] L. c. lib. 3. cap. 12.

eo quod eorumdem applicationem uteri magis læſio, quam capitis avulſi ſequatur extractio, rejiciuntur.

## §. XXXVIII.

Nec felicior hac (§. 37.) ea eſt methodus, abruptum ex matrice educendi caput, quæ auctorem agnoſcit clar. *Mauricæum* [*p*] ſollerti enim is animo novum excogitavit inſtrumentum, præ aliis, ut ſibi perſuadet, ad operationem hanc cito tutoque peragendam utile, *tire-tête* ipſi vocatum. Nam ut verum fateamur, tantas non promeretur laudes, quantas auctor ipſi præter meritum tribuit, ſiquidem a vehementi adhibenda vi in extractione capitis non imminuti, facile vis utero affertur, quapropter etiam in deſcribendo eo, modoque illud adhibendi, haud multus ero, B. L. ad ipſum auctorem remittens. Præferenda huic eſt methodus, clar. la *Motte* [*q*] qui inſtrumento quodam acuto, cultello nimirum inciſorio, *biſtouri* dicto, ac in vagina quadam recondito, cranii provide ſuſcipit aperturam, factaque inciſione ſufficiente, excerebrationem decenter molitur, diminutoque ſic capitis volumine illud extrahit. De uſu autem hujus inſtrumenti nihil habeo quod dicam, cum ipſe auctor modum illud rite applicandi ignorare videatur, quando l. c. [*r*] ingenue fatetur: *Je la tirai pourtant enfin, ſans pouvoir dire comment.*

## §. XXXIX.

Ad forcipes nunc (fig. 11. 12.) pervenimus duas, a (f. 11.) D. *Puiſſeau* chirurgo Pariſienſ. (f. 12.) & D. D. *Friedio* inventas. Forceps *Friedii* quam (f. 12.) exhibet magis eſt compoſita priore, in medio gaudens ſtylo quodam, cujus ope apertura cranio infligitur. Ambæ ea parte, qua caput tenent, dentatæ ſunt, (f. 11. a. a. f. 12. a. a.) quo eo firmius caput teneri comprimique poſſit. Applicantur hæc inſtrumenta ſequentem in modum: introducta, uti ſæpius jam dictum in uterum manu, capitis vertex verſus uteri orificium urgetur, altera tenetur caput manu, altera clauſum inſtrumentum intruditur utero, uſque ad capitis verticem, tuncque diſtenditur inſtrumentum, caputque illius ope arripitur, comprimitur, atque extrahitur. Eodem applicatur modo D. D. *Friedii* inſtrumentum, ſed antequam caput forcipe (f. 12.) comprehenditur, ſtylus (f. 12. f.) capiti eſt infigendus, quo, facta poſt modum compreſſione, cerebrum habeat quo exire poſſit, dein annulus (f. 12. g.) anteriora verſus protruditur, quo hujus ope & forceps & caput eo melius comprimantur, immiſſis denique digitis (f. 12. d. d.) tentatur capitis extractio, altera dirigente manu viam.

§. XL.

[*p*] L. c. T. I. p. 365. ſeq.
[*q*] Traité des accouchements L. 3. c. 26. obſ. 257. p. m. 367.
[*r*] L. c. cap. 26. obſ. 258. p. m. 368.

§. XL.

Horum inſtrumentorum uſu caput quidem oblongatur, accuminatur & aliquomodo proportionatum redditur pelvis aperturæ, aſt ut verum fateamur, ſperatum non exerunt ſemper hæc inſtrumenta effectum, quoniam caput non undique in ſua comprimitur circumferentia, præterea & illud D. *Puiſſeau* hoc habet incommodi, quod, dum in applicatione inſtrumenti crura (f. 11. b. b.) nimium diducuntur, partes muliebres externæ fortiter nimis extendi debeant, id quod tamen, propter partium harum anguſtiam, ſæpius fieri nequit, ne dicam quod violentam hanc partium diſtenſionem, alia quoque mala ſequantur, v. g. contuſiones, inflammationes &c. Hoc incommodum bene perpendens D. D. *Fried.* de alio modo ſuum conficiendi inſtrumentum cogitavit, facta enim crurum articulatione (f. 12. c. c.) id effecit, ut inſtrumentum in parte ſuperiori ſufficienter diduci queat, ſine magna crurum ſuorum (f. 12. bb.) diſtenſione. Aſt ſtylus ille ferreus (f. 12. e. f.) plane mihi inutilis videtur, quoniam inciſio, quæ illius ope capiti infligitur, parva nimis eſt, ita ut compreſſo forcipe capite, illa claudatur rurſus, cerebrumque hoc modo non habeat, quo elabi poſſit.

§. XLI.

Omnibus his (§. 33. ſeq.) irritis, ad cultros confugiunt obſtetricantes, (f. 14. 15. 16.) quorum unus (f. 14.) quoniam in extremo unci inſtar incurvatus, uncus ſcindens, *gall. crochet tranchant*, vocatur, alter (f. 15.) eſt culter *Paræi.* Tertius denique (f. 16.) illi haud abſimilis eſt, quem invenit D. *Petermann* obſtetricans quondam Lipſienſis. Horum applicatio ſequentem fit in modum: manu, uti ſæpius monuimus in uterum intruſa, arripitur caput, firmiterque tenetur, apprehenſo tunc altera manu inſtrumenti manubrio, illud utero hac immittitur cautela, ut pars ſcindens illi obvertatur manuum, quæ utero immiſſa ad præcavendam uteri læſionem vaginæque, caput tenet: dein ſuturarum locus inquirendus, huicque infligendus eſt culter, quo mediante poſtmodum pars quædam capitis deſecanda, hoc facto, educitur ex utero culter, adhibita jam dicta in illius immiſſione cautela, pars abſciſſa extrahitur, cerebrum eximitur e cranio, caput comprimitur, atque educitur: ſi autem tantæ illud adhuc ſit magnitudinis, ut vaginam commode pertranſire non poſſit, tunc adhuc pars una vel altera deſecanda, uſque dum ſufficientem acquirat caput cum pelvi proportionem, ſemper tamen altera manu defendendus eſt uterus a læſione.

§. XLII.

Ex iis quæ de modo inſtrumentis hiſce utendi (§. 41.) diximus, facile

 patere

patere arbitror, *Paræi* (f. 15.) cultrum, ob parvitatem ſuam, inutilem plane eſſe ad hanc operationem feliciter perficiendam, niſi caput in vaginam jam intruſum ſit, duas enim utero immittere manus, illiſque in cavo illius operari, impoſſibile eſt. Quod autem reliquorum concernit cultrorum uſum, negandum ſane non eſt, illorum ope, maximam poſſe effici capitis cum pelvis apertura proportionem: aſt quam difficile ſit, tale in utero remanens caput præſecare, atque in multas dividere partes, artis obſtetriciæ peritos non latet. Quodſi enim maxima quoque prudentia ac cautione omni diligentiaque rem tentes, impedire tamen quandoque non potes, quo minus uterus lædatur.

## §. XLIII.

Tandem nefas eſſet, ſi illius obliviſceremur remedii, cujus auxilio latitans in utero caput, abſque difficultate incommodoque ullo, feliciter tutoque educi poteſt. Invenit illud celeberr. D. D. *Fridius*, patronus ac præceptor omni honoris & obſervantiæ cultu venerandus, cui præter fideliſſimam in re obſtetricia inſtructionem, horum etiam inſtrumentorum debemus communicationem, & certe celeberr. huic atque præſtantiſſimæ virtutis apud Argentoratenſes medico obſtetricio, immortales propterea debentur laudes. Sunt autem illa, quæ (fig. 17. 18. 19.) delineare curavimus. Primum *troiſcart ipſi dictum*, (f. 19.) eſt inſtrumentum, in uno (f. 19. d.) extremo gladii cuſpidem referens, vaginis duplicibus orichalceis incluſam, quarum una mobilis, altera vero immobilis eſt, lamina (f. 19. b.) adnectitur vaginæ mobili, ita ut apprehenſo inſtrumenti manubrio, (f. 19. a.) & applicato laminæ prominenti (f. 19. b.) pollice, enſiformis illa ferrea lamina (f. 19. d.) ad trium vel quatuor digitorum latitudinem extrudi poſſit. Alterum, ferrarum genus æmulatur inſtrumentum, (f. 17.) cujus tamen quarta pars dentibus ſolummodo prædita eſt, (f. 17. c.) reliqua parte glabra atque lævigata exiſtente, quo minus neque vagina neque uterus lædi poſſint: in parte ſuperiori globulo quodam inſtructum eſt hoc inſtrumentum, (f. 17. d.) tutioris in uterum immiſſionis cauſſa. Tertium inſtrumentum, a figura quam refert cochlear dictum, (f. 18.) in parte ſuperiori (f. 18. d. d. d.) dentibus gaudet ſerratis, reliqua parte lævigata manente.

## §. XLIV.

Applicatio horum inſtrumentorum ſequentem in modum perficitur: manu provide utero immiſſa, caput arripitur firmiterque tenetur, ita ut ipſius vertex orificio ſit propinquior, tunc inſtrumentum (f. 19.) *troiſcart* dictum, retracta prius lamina, (19. b.) quo lamina ferrea (f. 19. d.) occultetur, ne pars quædam lædi queat, capitis vertici apprimitur, extruditur dein lamina ferrea, (f. 19. d.) mediante lamina, (f. 19. b.) hocque modo capiti infligitur vulnus ſatis magnum, quo facto, retrahitur lamina (b)

qua

qua mediante occultatur lamina ferrea, ( d ) & ſic inſtrumentum ſine ullius partis læſione eximitur. Serra ( f. 17. ) dein huic vulneri immittitur, eum in modum, ut pars dentata manum, caput in utero firmans, ſupergrediatur, cujus auxilio fruſtulum quoddam cranii ſatis magnum, in quantum poſſibile, deſecandum, & dein remota ſerra, extrahendum. Denique & cochlear, ea uti jam monuimus, adhibendum eſt cautela, ne a parte dentata ſauciaretur vagina, uteruſve, ejuſque ope cerebrum, una cum ipſius meningibus, dentibus cochlearis inſertis, eximendum. Evacuato nunc cranio, illud comprimitur, & mediantibus digitis, in illius cavum immiſſis, & hamuli inſtar incurvatis, conatur extractionem.

## §. XLV.

Hanc autem, ſi ſolis digitis perficere non poſſet obſtetricans, optime adjuvat inſtrumentum illud, ( f. 13. ) a D. D. *Schurer* practico Argentinenſ. inventum. Applicatur autem hoc inſtrumentum ita, ut altera latæ ejus extremitatis pars, ( f. 13. a. ) aperturæ immittatur cranii, altera vero ( f. 13. a. ) partibus admoveatur capitis externis, quo fit, ut annulo ( f. 13. dd. ) ad inferiora crurum ( f. 13. b. b. ) protracto, cranii pars, inter hujus inſtrumenti extremitates latas nunc redacta, ope dentium, in parte interna lata ( f. 13. aa. ) poſitarum, firmiter teneri poſſit: eodem modo in latus oppoſitum, præfatum applicandum eſt inſtrumentum, quibus mediantibus, caput poſtmodum commode ſatis extrahi poteſt.

## §. XLVI.

Ecquis non videt, horum inſtrumentorum recto uſu & legitima applicatione, quam optime peragi poſſe, hanc omnium in re obſtetricia difficillimam operationem, & certe in prægrandi infantis capite, maximi ſunt uſus, ut merito dubitemus, an tutiora magiſque accommodata, ad hanc operationem legitime perficiendam, inveniri queant. Sed monendum adhuc eſt de obſtetricantium inſtrumentis, quod ( 1 ) *bene ſint adaptata*, & *ad quemvis caſum accommodata*, ( 2 ) *probe lævigata atque polita*, ( 3 ) *caute ſemper applicanda*, & ( 4 ) *rariſſime adhibenda*, *immo ne unquam quidem* teſte celeberr. a *Deventer* [ s ] *præterquam infantibus incuria neglectis*, *monſtriſque excludendis*. Hæc ſunt, quæ de capitis abrupti extractione, in medium diſſertationis loco proferre erat animus, *Deo* igitur T. O. M. quam maximas agimus gratias, quod ſua divina aſſiſtentia, omnia mea cepta ſemper adjuverit, eumque pia mente precor, ut & inpoſterum clementi ſua gratia mihi adeſſe, ſtudiaque mea ſic dirigere velit, quo in S. S. ſui nominis gloriam, proximique tendant ſalutem. Tu vero B. L. ſi forte quid invenies palato

[ s ] L. c. p. 274.

lato tuo haud gratum, cogites velim, omnia omnibus placere non poſſe.

FINIS.

## FIGURARUM EXPLICATIO.

### Figura I.

*Uterum cum capite infantili, placenta, funiculo, oſſibus pelvis, atque lumborum vertebris repræſentat; ubi Lit. A. A. uterum aliquomodo ad latus inclinatum indicant. B. B. ligamenta uteri teretia. C. C. Eadem ligamenta abſciſſa. D. D. Vaginæ uteri partionem. E. Placentam uterinam. F. F. funiculum umbilicalem, filo conſtrictum. G. Caput infantile, ubi a. mentum oſſibus pubis inſidens, gall.* accroché, *b. fontanellam, c c c c duo oſſa ilii, d. d. duo oſſa pubis, e. e. rami oſſium pubis & iſchii, f. arcus quem hæc oſſa formant, g. g. duo iſchii oſſa, h. h. tuberoſitates horum oſſium, i. i. cavitas cotyloidea, k. k. foramina ovalia pelvis, l. lumborum vertebræ.*

Fig. 2. *Oſtendit quomodo caput in utero remanens manu ſit extrahendum, A. A. A. Uterus, a. caput infantile facie verſus poſteriora, occipite vero verſus anteriora verſum, b. brachium obſtetricantis, c. manus obſtetricantis, d. pollex in nucha applicatus, e. reliqui digiti,*

Fig. 3. *Eſt D. Mauriceau faſcia, hujus latitudo eſt quinque pollicum, longitudo vero duarum ulnarum.*

Fig. 4. *Eſt faſcia a D. D. Waldgrave correcta, a. ſutura, b. b. b. rimæ ſ. inciſuræ ſecundum longitudinem factæ: longitudo hujus faſciæ eſt unius ulnæ cum dimidia, latitudo vero quatuor vel quinque pollicum*

Fig. 5. *Crumena ſ. marſupium D.* Ammand, tire-tête *ipſi dictum aaaa. quatuor faſciolæ quorum latitudo quatuor linearum, longitudo vero unius eſt ulnæ, b. b. duo funiculi pro conſtringendo marſupio. c. c. c. c. c. quinque annulli quibus digiti intruduntur, circumferentia hujus retioli ulnæ longitudinem circiter æquat.*

Fig. 6. *Inſtrumentum unciforme a D.* Gregoire *inventum, & ab illo* hameçon *dictum, ubi lit. a. manubrium. b. Corpus ſ. partem mediam, c. hamulus, illi piſcatorum haud abſimilis, longitudo eſt* 10. *ad* 11. *pollicum.*

Fig. 7. *Uncus ſ. hamulus obtuſus. a. manubrium, b. pars media ſ, corpus c. globulus: longitudo eſt* 13. *pollicum tranſverſorum.*

Fig. 8. *Uncus ſ. hamulus acutus. a. manubrium. b. corpus c. curvatura cum apice ſcindente, longitudo ead. ac præced.*

Fig. 9. *Hamulus ſ. uncus duplex, a. manubrium. b. corpus, c c. pars diviſa, acuminata, longitudo ead. ac præced.*

Fig. 10. *Hamulus ſ. uncus D.* Peu *a a. manubrium b. cochlea c. elater. d. arti-*



Tab. XXII.




*Disp. Chirurg. Tom. III. VOIGT DE CAPITE FŒTUS ABRUPTO. pag. 473.*

*articulatio e. e. corpora ff. extremitates recurvæ acuminatæ, longitudo ead. ac præced.*

Fig. 11. *Forceps D.* Puiſſeau, *a a. duæ extremitates latæ, in parte interna dentatæ. b b. duo crura c c. locus pro immiſſione pollicis & digitorum, d. articulationis locus, longitudo eſt* 13. *pollicum tranſverſorum.*

Fig. 12. *Forceps D. D.* Fried. *a. a. duæ extremitates latæ, in parte interna dentatæ, b. b. duo crura, c c. locus ubi crura articulantur, d d. manubrium, e. f. ſtylus ferreus. g. annulus, longitudo eadem ac præced.*

Fig. 13. *Forceps D. D.* Schurer. *a a. extremitates latæ dentatæ, b. b. duo crura, c. articulus. d d. annulus, longitudo eſt* 11. *pollicum.*

Fig. 14. *Culter unciformis, gall.* crochet trenchant, *a. manubrium. b. corpus, c. extremitas recurva ſcindens, longitudo eſt* 13. *pollicum tranſverſorum.*

Fig. 15. *Cultellus* Paræi *a. manubrium, b. corpus, c. extremitas recurva parum, ſcindens : longitudo eſt 6. pollicum tranſverſorum.*

Fig. 16. *Culter alius recurvus, a. corpus b. extremitas inferior incurvata, c. globulus, d. extremitas ſuperior paululum incurvata, longitudo eſt* 12. *pollicum tranſverſorum.*

Fig. 17. *Serra D. D.* Fried. *a. manubrium b. pars lævigata glabra, c. extremitas ſuperior ſcindens. d. globulus, longitudo* 12. *pollicum tranſverſorum.*

Fig. 18. *Cochlear D. D.* Fried. *a manubrium, b. corpus c. pars excavata, ddd. pars dentata, longitudo eadem ac præced.*

Fig. 19. *Inſtrumentum pro aperiendo cranio D. D.* Fried. troiſcart *dicto, a. manubrium, b. lamina orichalcea cc. vagina orichalcea mobilis d. lamina ferrea enſiformis, cujus longitudo, ſi lamina ferrea in vagina abſcondita eſt* 12. *hac vero protracta* 14. *pollicum.*

LXXXII.

# DISSERTATIO

## *CHIRURGICA,*

DE

## RUPTO IN PARTU UTERO.

*Quam tuebatur*

JO. FRIDER. BEHLING,

*HOYA-HANNOVERANUS*

Altorfii 20 Decembris anno 1736.

# HISTORIA

Mulier, *Kunigunda*, *Georg Hübners*, Civis Altorfini, villam, *Lochners-hof*, inhabitantis, uxor, ætate XLIV. annorum, ſtatura mediocris, octo liberorum mater, jam nonum gravida, ceteroquin ſana, & officiis ſuis ſtrenue fungens, nec ullis per totam ferme vitam morbis antea vexata, circa finem geſtationis ſuæ, ex improviſo per plures ſcalarum gradus decidit, in dorſum terramque proſtrata. Nullum hinc amplius vivi fetus motum, ſed aliquos potius in abdomine, ejuſque latere dextro, ſentiebat dolores, eoſque, quoties iſti lateri incumberet, auctos. Elapſo demum octidui ſpatio, dolores ingruebant parturiendi, iique primis binis diebus mediocres & mitiores, tertio autem die magis ſeveri. Hinc Altorfio obſtetrix vocata, os uteri apertum quidem, aſt fetum involucris ſuis adhuc incluſum, minuſque recte ad exitum diſpoſitum, cognovit. Altero dein die aquæ erumpebant, ſed valde putridæ, fetidæ, & liquamine viſcoſo, quaſi meconii admixti, refertæ. Jam admonita parturiens laborum, hos ſtrenue quidem ſuſtinuit, ſed ſine ullo fetus ſucceſſu, niſi quod, altero demum mane, poſt niſus puerperæ vehementes, & poſtquam aliqua crepatura ab adſtantibus ſono obſervaretur, dextra erumperet manus, eaque ſubnigra, veſiculiſque, ſero putrido turgidis, obſeſſa. Hinc miſera labores, viribus ad extremum impenſis, porro ſuſceptura, cum nihil eoſdem proficere, nec niſus parturiendi uterinos conſpirare amplius ſentiret, illico e ſella parturientium, qua tunc inſederat, aſſurgens ſeſe erexit, in hæc verba erumpens; impoſſibile eſſe, ut fetum hunc eniteretur. Obſtetrix nihil, quantum quidem ad ſitum fetus emendandum facere noverat, intentatum reliquit; verum cum nihil efficere poſſe experiretur, vocatus in auxilium Poliater Altorfinus, Exc. D. D. *Weiſſius*. Hic analepticis medicamentis puerperæ vires reficere, primum allaboravit; dein ex adſtantibus de modo præmiſſis certior factus, ipſumque fetus ſitum percontatus, hunc ipſum minus bene ad partum facilem diſpoſitum, & jam vita defunctum, putredineque correptum, cognovit. Non enim fetor tantum utero exſpirabat ſumme putridus & ferme intolerabilis, dum utero, levibus convulſo motibus, liquor mucidus, ex fuſco & rubro mixtus, una cum flatibus putridis, e matrice exibat; ſed infans etiam adeo a putredinoſa fermentatione erat tumidus, atque inflatus, ut, cum brachium, aut corpus, tangeretur, eodem cum ſtrepitu, quo membrana cellularis, flatu diſtenſa, crepitare ſolet, ſonum quemdam ederet, & cutis compreſſa, tanquam ſpongioſa, facile digitis uſque cederet. Abdomen puerperæ multum elevatum, & quaſi in formam amplioris cylindri protenſum erat. Dolores etiam in latere dextro miſeram vix deſerebant, immo atroces cruciatus pedem parturientis ſiniſtrum, quoties niſus dolorque pariendi inſtabat, more in quovis prægreſſo partu ſolenni, affligebant. Cum itaque de

extractione fetus, citra omne dubium mortui, cogitandum eſſet, antequam embryotomiam inſtitueret, ut, aut pedibus comprehenſis, aut alia ſitus incongrui mutatione illum educeret, allaboravit laudatus modo D. D. *Weiſſius*: verum neque caput, nec alterum brachium, tactu manus providæ percipere, nec pedes prehendere ipſi licuit. Uterus enim circa dorſum infantis adeo valide contractus erat, ut ad extremum matris fundum, in quo crura fetus complicata erant, manu pertingere haud permitteretur. Caput etiam, alterumque brachium digitis diſquirentibus haud obvium veniebant, ſed ſentiebatur collum infantis utero dextrorſum exire per hiatum quemdam pervium. His ita cognitis, & poſtquam nec pedes comprehendi, nec caput adduci poterat, licet ad ipſam embryotomiam ſeſe accingere in animo ante habuerat Excell. D. D. *Weiſſius*, & ad eamdem ſuſcipiendam anxiis miſeræ precibus, non tam admoneretur, quam fatigaretur; hanc ipſam tamen operationem jam inutilem, & omittendam potius cenſuit; quia, fetu licet extracto, vitæ tamen matris ſervandæ ſpes nulla erat reliqua. Pulſus enim valde debilis, contractus, celer, inæqualis & intermittens, item virium & caloris jactura, genitalium refrigeratio, anxietas cordis ſumma, liquor putridus, non uterum tantum, ſed ipſa mulieris inteſtina, ad quæ per hiatum rupturæ perveniſſe prævidebatur, lethali necroſi inflammans, nec non horror vehemens, aliquoties recurrens, & totum corpus parturientis concutiens, animi inſignis perturbatio, hæmorrhagia lacerati uteri, & plura alia phænomena, certa futuræ mortis erant præſagia. Siquidem miſera altero tandem mane epilepſia correpta fatis ceſſit. Sequenti die Celeb. D. D. *Weiſſius*, in erudiendis auditoribus ſuis ſtudioſiſſimus, a pleriſque medicinæ ſtudioſis comitatus, ſectionem vita defunctæ gravidæ inſtituit. Hinc inciſo abdomine, valde tumido, humor ſubcruentus, fetidus & putridus, copioſus effluxit. Uterus in fundo ſuo integer quidem, ſed atrorubens, maculis putridis conſpicuus, & cylindri amplioris forma protenſus erat, in cujus latere dextro, proxime ſupra ligamentum latum, hiatus rupturæ amplus conſpiciebatur, per quem fetus caput piloſum, & brachium ſiniſtrum complicatum, quæ utraque involucris membranaceis ſuis adhuc cincta erant, exſerebantur. Utero dein diſſecto, interna ejus ſuperficies multis locis jam putrilagine inveniebatur corrupta, & in fundo, cum ſemi putrida placenta, laxe, aut vix cohærebat; orificium etiam matricis internum ſat patens, laciniæ autem rupturæ tenues & quaſi diſcerptæ extiterant. Infans ipſe utero exemtus, prægrandis, tumidus abdomine, & cute ubivis inflata quaſi ſpongioſus, faciem monſtrabat, ab inſigni putredine, deformem atque depreſſam, naribuſque ſuis multum liquaminis ichoroſi effundebat; item loco oſſis frontis, quod una cum cerebro jam in tabum mutatum & maxima parte colliquatum eſſe videbatur, ſola cutis aderat; inteſtina autem abdominalia flatibus turgebant, & ipſi demum pectoris pulmones putredine jam infecti factuque ſpongioſi, in aquam injecti, in hac non ſubſidebant, ſed ſupernatabant. Tandem viſo ſexu fetus maſculino, cum mulier iſta nuſquam puellas,

las, at octo pueros vivos edidiſſet & nonum illum filium geſtaſſet, curioſe in teſtes ipſius muliebres inquirebatur; &, en! dextrum ovarium vegetum, multiſque ovulis adhuc refertum; ſiniſtrum autem, alteri prorſus diſſimile, ſcilicet macrum, tenue, vacuum, membranaceum, omnique ovuli ſpecie deſtitutum invenimus. Cæterum in reliquo mulieris corpore, imprimis facie, multa magnaque putredinis initia obſervari poterant.

---

§. I.

HÆc modo recenſita obſervatio plura, notatu omnino digna, in ſe habet, quam quidem limites diſſertationis comprehendunt. Verum enim vero, cum imprimis ea, quæ *ad rupturam uteri*, tanquam ad principem hujus tragici caſus cauſam, ſpectant, præmittere mecum conſtituerim, ideo non ſingula hiſtoriæ momenta ſub examinis medici incudem revocabo, ſed ea ſaltem, quæ haud exigui in medicina uſus fore judicavero, perluſtrabo, & rupturæ matricis contemplationi ſubjungam.

§. II.

Uteri nempe rupturam hac in muliere mortis cauſam principem pronunciandam eſſe, nemo forſan dubitabit. Non enim fetum mortuum, non putreſcentem tantum, nec ad partum facilem minus convenienter collocatum, mortis abſolutam cauſam eſſe, tot monſtrant hiſtoriæ. Nec caſus gravidæ ab alto, nec reliqua parturientium ſymptomata, ſatis mihi videntur, ad hancce mulierem interficiendam. Attamen ſingula tunc ad interitum collineaſſe, certum eſt, poſtquam rupturam uteri partim promoverant, partim inſanabilem atque lethiferam reddiderant.

§. III.

Non enim hic diſpiciam, an omnis uteri laceratio, atque vel illa, quæ in parturientibus contingit, mortem ſemper & certo adferat? Infra enim docebo, haud impoſſibile eſſe, ut aliquando, & certis ſub conditionibus, uterus a fetu laceratus conſolidari, mulierque ſervari poſſit. Hoc tamen in caſu ſupra recenſito, non hæmorrhagiam tantum, ſed putrilaginem etiam, ab infante mortuo & jam putreſcente provenientem, viſceribuſque matris communicatam, mortis anſam dediſſe, & rationi & experientiæ conſentaneum eſt. Cum enim propter ſanguinem, e laceratis in amplo rupturæ hiatu vaſis, largiter effuſum, vires admodum fractæ & exhauſtæ, ſuſtinendis ſuperandiſque ſymptomatibus redderentur impares, atque putridus humor cruorem extravaſatum, in abdomine contentum, nociva facultate viſcera corrumpendi inquinaret, non potuit non vita cum morte commutari.

§. IV.

## §. IV.

Rarus equidem vulgo cenſetur caſus rupti in partu uteri; ideo noſtram etiam hiſtoriam, eatenus compellare poſſem raram. Verum enim vero, ſicuti plures in ſcriptis medicorum reperiundæ ejus obſervationes; ita forſan crebrius accidit parturientibus hæc uteri laceratio, quam quidem ab auctoribus adnotatum eſt. Ita enim, teſte *Bartholino* [ *a* ], *Jo. Gaſp. Fauſſius in Epiſt. ad Strausſium*, magno judicio & Coi gravitate negat, rarum eſſe, rupto utero fetum in ventris ſpacium illabi. Celeb. etiam *Heiſterus* [ *b* ] affirmat, ſibi hanc affectionem in partu difficili ſæpius contingere videri, quam hactenus vulgo creditum eſt. Cujus rei plura teſtimonia videbimus ex frequentia obſervationum.

## §. V.

Quænam autem cauſa hujus rupturæ extiterit? nunc erit diſquirendum. Satis enim teſtantur obſervatorum hiſtoriæ, uterum gravidum variis de cauſis eſſe laceratum. Ita *Stalpartius vander Wiel* [ *c* ] inter frequentes ejus cauſas recenſet, ſitum fetus in utero malum, uteri ſubſtantiam tenuem, nimiamque ejus extenſionem, item fortiora fetum pellentia aſſumta, internum uteri os non ſatis apertum, prominentias vel excreſcentias carnoſas, ulcera, ſcirrhoſque, infanti exitum præcludentes, nec non pravam uteri a natura conformationem, fetus calcitrantis fortitudinem, ejuſque nimiam magnitudinem, & demum præmaturum aquarum effluxum. Conveniunt etiam cum modo recenſitis cauſis multæ medicorum hiſtoriæ, quibus ſingulis recenſendis non jam immorabor, ſed nomina ſaltem auctorum huc pertinentium allegaſſe, & locos recenſionis indicaſſe ſufficiat. Inter hos ſunt præcipui: modo nominatus *Stalpartius* [ *d* ], *Guilb. Fabricius Hildanus* [ *e* ], *Solingius* [ *f* ], *Scholzius* [ g ], *Salmuthus* [ *h* ], *Dionis* [ *i* ], *Riedlinus* [ *k* ], *Knoblochius* [ *l* ], *Reuſelius & Witzelius* [ *m* ], *Heiſterus* [ *n* ], *Trewius* [ o ], *Schuri-*

[ *a* ] Tr. de inſolitis partus hum. viis, cap. XI. p. 76.
[ *b* ] In act. nat. cur. vol. I. obſ. 176. p. 397.
[ *c* ] Obſervat. rar. cent. 2. not. ad obſerv. 30. pag. 316. 318. 319.
[ *d* ] l. c. obſervat 30. pag. 315. item cent. 1. obſ. 76. p. 284.
[ *e* ] obſ. chirurg. cent. 1. obſ. 64. & 67. item cent. 4. obſ. 57.
[ *f* ] Obſerv. peculiar. de Mulier. & infant. fol. 26. edit. germ p. 776. item in Embryulc. fol. 39. edit. germ pag. 31. ſeq.
[ *g* ] Ephem N. cur dec. 1. an. 2. obſ. 85. pag. 159.
[ *h* ] Obſ. 16. cent. 1. pag. 12.
[ *i* ] Des operations de chirurg. demonſt. II. pag. 119. edit germ. p. 177.
[ *k* ] Obſ. med. cent. obſ. 82. p. 169.
[ *l* ] In Epiſt. ad Horſtium; vid. Greg. Horſt. obſ. & Epiſt. lib. I. ſect. 17. p. 494.
[ *m* ] Miſc. Nat. Cur. dec. II. anno 7.
[ *n* ] Act. nat. cur. vol. I. obſ. 176. p. 397.
[ *o* ] Act. N. C. vol. II. obſ. 49. pag. 112.

*Schurigius* [ *p* ], *Mauriceau* [ *q* ], *Bonetus* [ *r* ], *Preusſius* [ *s* ] & *plures*.

## §. VI.

His modo nominatis cauſis merito etiam accenſendæ ſunt externæ & occaſionales; lapſus nempe ſeu caſus, ictus, vulnus, aut quidquid uterum in aliqua ejus parte vel ſuggillando, vel lacerando, vulnerandoque, ita lædit, ut priſtinam & æqualem reſiſtendi continendique facultatem perdat. Huc pertinent hiſtoriæ, quas *Mauriceau* [ *t* ], *Joan. Maur. Hoffmannus*, [ *u* ], *Joan. Gaſp. Fausſius* [ *w* ], & *Riedlinus* [ *x* ] habent; immo *Roonhuyſius* [ *y* ], cauſam lacerati uteri, injuriæ tantum externæ, & aut lapſui, aut ictui adſcribendam cenſuit, in hiſtoria quadam ab ipſo recenſita, licet de prægreſſa violentiæ ratione certus haud extiterit. His addo improvidam aliquando & violentam nimis fetuum male collocatorum converſionem, & nimium parturientium laborem matricem lacerare poſſe.

## §. VII.

Si ad noſtram reſpicimus hiſtoriam, tria ſunt præcipua, quibus ruptura uteri adſcribi poterit; *Partui* ſcilicet *difficili*, ex infante mortuo, maleque ad exitum diſpoſito; dein *magnis* parturientis ad illum expellendum *laboribus*, & demum *lapſui*, quem aliquot ante partum dies gravida ſuſtinuit.

## §. VIII.

Quemadmodum enim ex pleriſque patet autorum allegatorum hiſtoriis, difficilem partum, ex fetuum prava ad exitum diſpoſitione, anſam rupturæ dediſſe; ita non poſſum, quin eandem cauſam etiam noſtro in caſu primum accuſem. Rarus enim omnino eſt ille caſus, quem *Schenckius* [ *z* ] refert, de fetu quodam, qui, capite deorſum directo, facie ad poſteriora reclinata, corporiſque trunco in longitudinem extenſo, ſitum quidem ad partum facilem alioquin accommodatum obtinuerat, nihilominus tamen utero diſrupto, in

[ *p* ] Embryolog. ſect. 3. cap. 3. §. 7. p. 247.
[ *q* ] Obſervat. ſur la groſſ. obſ. 251. p. 146. edit. germ. p. 428.
[ *r* ] Sepulchr. l. 3. ſect 28. obſ. 2. §. 2. 3. 4. p. 1373.
[ *s* ] Ephem. nat. cur. cent. 9. obſ. 19. p. 21.
[ *t* ] L. c.
[ *u* ] Ephem. nat. cur. cent. 10. obſerv. 29. pag. 30?.
[ *w* ] Bartholinum de inſolit. partus viis p. 76.
[ *x* ] Loc. c.
[ *y* ] In obſ. med. l. 2. obſ. 1. edit. germ. p. 18. 19.
[ *z* ] Obſ. lib. 4. p. 611.

in ventris inferioris capacitate liber inventus eſt. Plurimæ autem hiſtoriæ de ſitu fetus ad partum minus compoſito teſtantur; ſiquidem alius infans, exemplo ab *Hildano* delineato [ *a* ], tranſverſe collocatus, uterum pede altero perforavit; alius autem ano inclinato, pedibuſque ſurſum protenſis, ut ex *Reiſelii* [ *b* ] hiſtoria patet, exitum affectavit, ſed non, niſi intra cavitatem abdominis, invenit; alius alio modo complicatus, edi haud poterat; alii autem & plerique altero brachio, per vaginam exerto, prodeuntes difficilem exeundi viam ingreſſi ſunt.

§. IX.

Cum enim infantes, præſertim grandiores atque maturi, brachio prodeuntes, unanimi omnium conſenſu, partum ſibi reddant difficilem, immo ex *Hippocratis* [ *c* ] ſententia, lethalem; ideo magis difficilem redditum eſſe noſtro in caſu partum, plura ſunt, quæ comprobant. Si enim, teſtibus *Deventero* [ *d* ] *Mauriceau* [ *e* ]. *De la Motte* [ *f* ], aliiſque, infante mortuo, prægrandi maleque collocato, partus admodum, totidemque nominibus, difficilis compellandus eſt; hæc in noſtra parturiente convenere, ejuſdemque labores magis doloroſos reddidere, utero per lapſum antea ſuggillato & læſo.

§. X.

Fetum enim, qui ante, quam gravida lapſu eundem offenderet, valde ſeſe moverat, poſt caſum perpeſſum vitam perdidiſſe, vel inde apparet, quia mater nullum dein motum infantis amplius ſenſerat, & ipſe infans, utero in ſectione extractus, tanta correptus fuerat putredine, ut faciei partes internæ, cerebrum, maximaque oſſis frontis pars, jamjam in tabum mutata & colliquata, cutis etiam ſua cuticula privata, ſpongioſa, pulmones natantes, inteſtina flatibus turgida, ipſeque liquor amnii a putrida colluvie conſpurcatus, obſervata ſint.

§. XI.

A laboribus autem parturientis vehementibus atque nimiis uterum rumpi gravidum, id nonnullis vero haud ſimile videri poſſet. Verum enim vero, aſſenſum ab his me facile reportaturum confido, ſi modo hiſtorias ſupra memoratas, attento perluſtraverint animo. Non enim tantum *Hildanus* & *Knoblochius* [ *g* ] abuſui medicamentorum fetum pellentium cauſam diſrupti in

[ *a* ] M. cent. c. IV.
[ *b* ] An. 7. obſ. 10. p. 16.
[ *c* ] Lib. 10. de extract. fetus.
[ *d* ] De arte obſtetric.
[ *e* ] Tr. des malad. des femm. groſſ.
[ *f* ] Trait. des malad. des fem. groſſ. paſſim.
[ *g* ] Miſc. nat. cur. dec. II. an. 7. obſ. 115. p. 194.

in partu uteri plurimum adſcribunt; ſed & *Andr. Loew* diſſertis verbis affirmat: *parturientem quandam in maximis doloribus & ad parturiendum conatibus fuiſſe conſtitutam, cum ingens audiretur fragor, uteri tum temporis ſine dubio diffracti ſignum. Schurigius* [*h*] etiam, in ea, quam recenſet, obſervatione propria, ita: *Primipara*, ſcribit, *vegeta & robuſta - - - - ad majores excluſionis niſus ab obſtetrice admonita, in tanto labore ex improviſo magnum in abdomine crepitum atque dolorem peculiarem perſentit, quem ſonum adſtantes quoque auribus percipiunt; quo facto omnino ſtatim niſus ceſſat, ipſaque puerpera paulo poſt animam exhalat; fetu extra uterum diſruptum in ſectione defunctæ reperto.*

## §. XII.

Idem in noſtra puerpera accidiſſe, patet teſtimonio ipſius hiſtoriæ. Cum enim illa inter niſus vehementes, & poſtquam crepatura audita erat, brachium fetus ederet, dubio procul uterus rupturam ſimul paſſus eſt. Namque a laceratis membranis fetum involventibus fragorem tantum & internum effici non potuiſſe, plura ſunt, quæ mihi perſuadent, argumenta. Aquæ enim, pridie effluxæ, chorion & amnion jam ante diſruperant, & ob putrilaginem ſuam adeo tenues jam reddiderant iſtas membranas, ut tantum fragorem edere haud potuiſſent. Dein parturiens continuandis partus laboribus haud amplius ſufficiens, & e ſella aſſurgens, ſevere enunciavit, ſe infantem ſuum haud poſſe edere; ſine dubio, propter immanes dolores, quos auctos ſenſit, quoties abdominalium muſculorum compreſſione fetum urgebat, & ad amplius lacerandum uterum impellebat. Demum etiam inter ſigna rupti modo uteri pertinet, in pleriſque recenſitis hiſtoriis obſervata, ſubitanea dolorum ſeu niſuum uterinorum ceſſatio, quæ etiam cum illo tempore coincidit, quo mulier hæc a laboribus partus deſtitit. Poſtremo ſanguis e ruptura profluens, & liquamini putrido, ab infante & amnii liquore provenienti admixtus, ſtatim poſt crepaturam uteri viſus, id magis confirmat.

## §. XIII.

Ita quidem de tempore, quo ruptus ſit uterus, judicium haud erit difficile. Non enim ſtatim a lapſu matricem diſruptam eſſe, partim ex accidentibus commemoratis, partim ex aliorum auctorum obſervationibus conſtat. Nam ſimulac crepatura uteri facta eſt, tunc ex laceratis copioſis & inter ſe per anaſtomoſes connexis, vaſis uterinis profluens ſubſequatur neceſſe eſt hæmorrhagia, ut, aut exemplo *Dionis* [*i*] mors gravidam cito excipiat, aut ſanguinis profluvium, cujus cel. *Trewius* [*k*] meminit, accidat; aut ſanguis,



[*h*] L. c.

[*i*] Loc. cit. item miſc. nat. cur. dec. II. anno 2. p. 475. ubi prolixa extat hiſtoriæ recenſio.

[*k*] L. cit.

guis, cumulatus in abdomine, vitam gravidæ ad octo dies, ſicut in noſtra, protrahere haud permittat, id quod hiſtoria *Stalpartii* [*l*] & *Solingii* [*m*] ſatis teſtantur. Poſtquam autem hæc, de qua agimus, mulier, per 8. vel plures dies, a caſu ex alto, non tantum ſuperſtes manſit, ſed etiam domeſticis negotiis ſuis ſat prompte præfuit; hinc non in ipſo lapſu, ſed ipſos inter partus demum labores uterum ejus ruptum eſſe, concludimus.

## §. XIV.

Ipſos autem nimios partus labores, non parum attuliſſe ad uterum lacerandum, ex pravo infantis ſitu facile eſt judicatu. Fetus enim grandis, dextro brachio per vaginam emiſſo, & axilla præeunte, utero exire haud potuit, ſed quo magis is, ano pedibuſque antrorſum verſus abdomen protenſus, a preſſione muſculorum abdominalium urgebatur, eo magis & capite & olecrano, utriſque ad latus uteri poſitis, matricem hoc loco diſtendit, eandemque hoc facilius diſrupit, quo magis hæc a ſugillatione, e lapſu prægreſſo accepta, tono ſuo reſiſtendique potentia erat privata. Unde non potuit non fieri, quin tandem in latere iſto rumperetur uterus.

## §. XV.

Caſus ex alto ſymbolum ſuum etiam huc contulit. Sicuti enim ſupra §. VI. allegatæ *Hoffmanni*, *Mauriceau*, *Riedlini* & reliquorum hiſtoriæ, lapſum gravidorum tanquam cauſam, rupturam uteri præcedentem, merito accuſant; ita etiam ſimili ratione uterum hujus, de qua loquimur, mulieris ſuggillatum eſſe, vero videtur ſimillimum, partim propter dolorem continuum, qui gravidam ad illud decumbere latus haud amplius permiſit, partim etiam, quod eodem doloris loco uterus in partu diſruptus eſt. Exemplum enim *Riedlini* a noſtro non multum diſcrepat, ubi ſcil. militis cujuſdam uxor, per aliquot ſcalarum gradus delapſa, eodem loco, quo poſt caſum, aliquot ſeptimanas prægreſſum, de dolore continuo conqueſta erat, uterum præter morem tenuiſſimum, & a brachio fetus perforatum, in ſectione difficili partu defunctæ, monſtravit.

## §. XVI.

Quamquam enim noſtra non ex prono in terram lapſu abdomen adeo alliſerat, ut *Hoffmannus* l. c. de muliere quadam refert; attamen ſupina noſtræ in terram proſtratione, pondus infantis majuſculi adeo ad marginem circularem oſſium pelvis allidere, & intermedium uteri latus ita contundere valuit, ut non ſolum fetus lethalem reportaret læſionem, ſed & uterus mag-

[*l*] Cent. II. obſerv. 30.
[*m*] L. cit.

magnam & doloris plenam incurreret ſuggillationem, levemque fibrillarum membranaceo carnoſarum divulſionem. Siquidem ſi in locum rupti uteri ſingulis in hiſtoriis inquirimus, rariſſime, aut vix unquam, accidit in fundo, quippe qui natura ſua nonnihil robuſtior, & ab adhærente placenta munitus eſſe ſolet; communiſſime autem rupturam invenimus in alterutro ejus latere, vel illa parte, qua recto inteſtino incumbit, adnotatam eſſe.

## §. XVII.

Cognitis itaque rationibus, quibus mater æque ac infans ſuccubuere; nunc in eas inquiramus, quæ utriſque ſervandis inſervire potuiſſent. De fetu quidem certo enunciare haud poſſum, an ſtatim a lapſu, an altero quodam die vitam ſuam finierit? Inter ea enim, quæ mortuum fetum arguunt, ſigna, nullum a puerpera attente obſervatum eſt, niſi quod motum infantis vivum ab illo tempore haud amplius ſenſerit. Ipſa tamen fetus putredo, tumida ejus & inflata cutis, & reliqua corruptionis ſigna, ſatis indicant, fetum jam ante partus initium vita defunctum, nec, cum ederetur, ſervandum fuiſſe.

## §. XVIII.

*Matrem* autem, ſecura ratione a fetu mortuo liberatam, forſan evadere potuiſſe, ſpem non abjicio omnem. Quanquam enim illa uterum eo loco, quo dolores a lapſu perpeſſa erat, ſuggillaverit; iſta tamen læſio haud omnino lethalis cenſenda eſt; quia præter mediocrem dolorem, nullis, quæ *Celſus* [*n*] vulnerato utero tribuit, ſymptomatibus affecta mulier, per octiduum rebus domeſticis ſat prompte præfuit, nec ulla hæmorrhagia ante, quam crepatura audita, ſeſe prodidit. Quodſi ergo ſtatim, ac conatus parturiendi ingruebant, orificio uteri ſatis connivente, decens obſtetricantium encheireſis adhibita, ſitus nempe infantis pravus emendatus, & aquis modo effluentibus, laxoque adhuc utero, fetus aut capite pronato, aut pedibus prehenſis, extractus fuiſſet; mulier rupturam uteri leviter ſuggillati forſan haud eſſet paſſa. Irritis etiam his fetum educendi artibus, per embryulciam, aut per cautam infantis in utero diſſectionem, mater ſervari potuiſſet, dummodo laboribus nimiis matricem haud laceraſſet, nec lethalia ſibi accerſiviſſet ſymptomata.

## §. XIX.

Uteri enim vulnera haud difficulter ſanabilia eſſe, non ſolum *Jonſtonus* [*o*] pronunciat, ſed etiam e ſectione cæſarea feliciter inſtituta clarum patet. Accidit etiam non raro, mulieres caſu, ictu, & alliſione uterum gravidum offendiſſe, & tamen feliciter peperiſſe. Fetum etiam in utero mortuum alium,



[*n*] Lib. 4. cap. 26.
[*o*] Idea medic. pract. lib. X. tit. 12. cap. I. artic. I. p. m. 695.

alium, carnibus putredine abſumptis, fruſtatim via ordinaria exiiſſe, alium per abſceſſum inguinalem, alium per alvum, membris ſaltem oſſeis, ſingulis per vices editis, extractum eſſe, ex *Sennertii*, *Roonhuyſii*, [*p*] iiſque, quas *Schurigius* [*q*] collegit, hiſtoriis, nec non exemplo *Gaſſeri*, ad *Cornacem* [*r*] tranſcripti, ſatis conſtat. Taceo varias ſententias, quas de infante Muſſipontano habent *Bartholinus* [*s*] *Deuſingius* [*t*] & *Roſſetus* [*u*]. Ex antecedentibus enim ſatis liquet, uterum quidem a fetu perforatum, eundem tamen denuo ſanatum & conſolidatum eſſe.

### §. XX.

Quapropter uterum, in partu licet ruptum, medelam tamen interdum admittere, probabile eſt, his præſertim ſub conditionibus, ſcilicet ſi locus per abſceſſum quendam ſucceſſive, &, ut in abſceſſibus fieri ſolet, ſine larga hæmorrhagia ſubſequente perforetur, dein bene mundificatus conſolidetur; porro ſi, ruptura recens facta, nec adeo ampla exiſtente, infans quantocyus extrahatur, nec magna ſinceri ſanguinis copia abdominis cavitatem ingrediatur, ſed cruor exitum cum lochiis inveniat; ſi matrix etiam, dum poſt partum contrahitur, hiatum rupturæ ſimul claudat; item ſi infans, aut vivus, aut nondum putridus, extractus fuerit; & demum, ſi matris optime valentis vires adhuc ſalvæ exiſtant, nec matrix ſphacelo vel alio morbo jam correpta ſit. Tunc enim per medicamenta convenientia, externa æque ac interna, vulneraria, antiſpaſmodica, mundificantia, balſamica, roborantia, & diſcutientia conſolidationem uteri diſrupti promoveri aliquando, & puerperam ſervari poſſe, ſpes quædam eſt reliqua.

### §. XXI.

Noſtro autem in caſu mulierem, fetu licet per operationem dexterrime inſtitutam feliciter extracto, nulla ratione e mortis faucibus, quibus jam tum hærebat, eripi potuiſſe; ex iis, quas hiſtoria habet, ſignis abunde conſtat. Puerpera enim viribus exhauſta, frequentibus horroribus ipſaque epilepſia jam convulſa, atque agonizante, ſanguine etiam per hæmorrhagiam largam extravaſato, eoque in abdomine contento, & ab admixto fetido infantis putreſcentis liquamine ad corruptionem prono, matrice etiam gangrænoſa exiſtente (ſiquidem mulieris hujus uterus in ſectione non pallidus, ſed atrorubens inventus) operationem aut embryotomiæ, aut ſectionis

[*p*] Pract. medic. lib. IV. part. I. ſect. II. cap. 18. p. 109.

[*q*] Loc. cit. p. 21.

[*r*] Embryol. ſect. III. cap. 2. & 3. Enchirid. medicæ conſultat. in append. hiſt. & epiſt. p. 209.

[*s*] Cit. loc. p 18.

[*t*] Hiſt. fetus extra uterum in abdomine.

[*u*] Vid. ejus exſectionem fetus vivi e matre viva, circa finem.

nis cæſareæ ſuſcipere, non tantum fruſtraneus, ſed etiam famæ chirurgi diſpendioſus labor nominandus erit.

## §. XXII.

Plura quidem ad rupturam uteri ſpectantia argumenta perluſtrare poſſem; verum, ne limites mihi propoſitos tranſcendam, progredior ad phænomenon *pulmonum* fetus noſtri, in aqua non ſubſidentium, ſed *natantium*, licet is certe auram inſpirando hauſerit nuſquam, nec vivus editus ſit. Fallax hinc utique ſignum partus vivi e pulmonibus in aqua natantibus deſumi poſſe videretur; ſicuti ex adverſo pulmonum in aqua ſubſidentiam de partu mortuo haud certo teſtari, non ita pridem notabili nobis comprobavit exemplo laudatus D. D. *Weiſſius*. Cum enim is pauco abhinc tempore infantem maturum, vivum quidem, at ſine ullo clamore editum, & poſt aliquot oſcitationes, corporiſque leves commotiones, mortuum cultro aperiret, pulmones extracti, & in aquam injecti, in hac ſtatim ſubſidentes obſervati ſunt, qui tamen ipſi, ſemel inflato per tracheam ſpiritu, fundum non amplius petierunt, ſed ſupernatarunt; manifeſto indicio, fetus quidem edi poſſe vivos, quorum tamen pulmones in aqua ſubſident, ſi ſcilicet ſpiritum nondum hauſerint; &, ex adverſo, fetus aliquando naſci mortuos, quorum tamen pulmones in aqua ſupernatant.

## §. XXIII.

Quamquam autem ex utriſque his experimentis dubium reddi videatur ſignum fetus vivi aut mortui editi, e pulmonum in aqua natantium aut ſubſidentium examine deſumtum; limitata tamen regula, facile erit, veritatem hujus indicii ita determinare, ut non tam inde evertatur, quam potius confirmetur. Certum enim & indubium eſt, pulmones fetus in aqua ſubſidentes indicare, quod infans nunquam & nondum reſpiraverit; ex adverſo, iiſdem ſupernatantibus, ſi modo recentibus, infantem certo, atque aut ſponte, inſpiraſſe, aut aërem, more obſtetricibus aliquando ſolemni, per os infantis inflatum eſſe, conſtat. Quodſi autem pulmones e cadavere infantis, ab aliquot inde diebus mortui, & jam adeo putreſcentis corpore extracti ſint, ut cutis fetus ejuſque inteſtina, quæ alias non ita, ſicut in fetu noſtro, flatu turgida viſuntur, a fermentatione putredinoſa multum inflata appareant; tunc pulmones in aqua natantes de infantis prægreſſa inſpiratione non abſolute teſtantur. Quamquam enim celeberr. D. D. *Teichmeyer* [x] pro certo affirmet, pulmones fetus per nullam, atque ne extremam quidem putredinem, ad eam levitatem adduci poſſe, qualis in pulmonibus reſpirantium, obſervatur; nihilominus tamen noſtro convicti experimento non dubitamus, pulmonem infantis, in matre viva mortui, concepta

[x] Inſtitut. med. legal. cap. 24. p. 239.

ta intus putredine, fetum valde inflante, ita prompte in aqua natare, nec ſubſidere, ac infantis pulmones inſpiratione inflatos. Forſan enim illius in pulmonibus vitulinis factum experimentum tanto aëris proventui & retentioni haud opportunum extitit, ubi nec caloris tepidi gradus admotus, nec aëris ambientis, flatumque intus natum abſorbentis, acceſſus ita, ut in noſtro caſu, interdictus erat.

§. XXIV.

Quod demum ad diſcrimen in utroque ovario conſpicuum attinet; illud quidem *Hippocratis* [y] ſententiam, qua *maſculos fetus a dextra, femininos autem a ſiniſtra uteri parte* vult proficiſci, ſatis confirmare videtur; ſcilicet quod hæc mulier tempore conjugii ſui novem filios, nullam autem unquam filiam, ediderit, & manifeſto ſiniſtri ovarii, male conformati, vitio laboraverit. Verum, ſicuti ex ſingulari quadam obſervatione ad naturam mulierum univerſam argumentari haud licet; ita loci hujus, quo maſculus aut femininus fetus concipiatur, certitudinem aliæ evertunt obſervationes, imprimis ea, quam *Cyprianus* [z] refert de fetu feminino, e dextra matris vivæ tuba Fallopiana exciſo; ubi ſimul notatu dignum, mulierem iſtam altero anno puellam, altero gemellos, maſculum nempe & puellam poſtea peperiſſe, licet præſumi poſſit, viam, quæ e dextro ovario ovulum impraegnatum ad uterum devolutum ſit, ob ſectionem prægreſſam, plurimum præcluſam fuiſſe.

§. XXV.

Ex iis itaque, quæ præmiſimus, ſatis patet, mulieres gravidas, ſi quando a lapſu, ictu, vel alia ratione, vel morbo quodam læſionem uteri aliquam acceperint, & dolore inde afficiantur, in partu mollius, & magna cum providentia, tractandas eſſe, eaſdemque nec validos nimioſque ad enitendum labores ſuſtinere, multo minus medicamenta fetum pellentia, hoc imprimis male ad exitum diſpoſito, aſſumere debere; niſi rupturæ uteri periculum incurrere velint. Plures nunc, quas ante propoſui, regulas haud repetam, ſed potius hujus laboris, quem B. L. æqui bonique conſulet, faciam finem; *Deo ter opt. max.* pro omnibus, quibus a prima juventute me cumulavit bonis, & imprimis ſtudia mea promovit auxiliis, gratias agens, quas poſſum, maximas.

[y] Aphoriſm. ſect. V. aph. 48.
[z] Epiſt. de hiſtoria fetus humani exciſi.

DIS-

LXXXIII.

# DISSERTATIO

## *MEDICO-CHIRURGICA,*

DE

RUPTO IN PARTU UTERO.

*Quam tuebatur*

JO. JACOB. MULLER

HELVETO-TOGGIUS

Baſileæ 26. Martii 1745.

§. I.

UT enormes caſus præternaturales , quibus partus expoſitus eſt , rectius intelligantur , operæ pretium erit ex Phyſiologia & ſtructura naturali partium præmittere ea pauca , quæ lucem affundere poſſunt obſcuris alias phænomenis. Quum autem organa partium generationi & fructificationi dicatarum in receptaculo duro , rigido , oſſeoque ex parte contineantur , quemadmodum plantarum partes , huic operi dicatæ , in calyce , hinc primum ejus ſtructura paucis determinanda erit.

§. I I.

Receptaculum autem modo memoratum a Medicis pelvis appellatur , cujus partium concinnatio atque connexio intelligi nequeunt , antequam ſitus totus determinatus ſit ; hunc autem determinaturi ponimus fœminam in ſitu corporis erecto , ſive ad horizontem perpendiculari collocatam eſſe. Ipſa autem compages oſſium pelvis , ut ad naturalem fœminæ erectæ ſitum accedat , opus habet fulcimento , pollicem unum regium pariſienſem una cum octo lineis alto , & ſupra horizontem commiſſuræ oſſis ſacri cum coccyge ſuppoſito.

§. I I I.

In pelvi ita poſita , demiſſa perpendicularis in fundum ejus , quæ inter umbilicum fœminæ , & os coccygis per mediam pelvis capacitatem concipitur protenſa , vocatur axis pelvis , vel , ut poſtea videbitur , ipſius uteri ; & facit cum plano imaginario , ( quod inter oſſa pubis & ſacrum intermedium , horizontique parallelum eſſe concipitur ) angulum rectum.

§. I V.

Orbita pelvis ſuperior figura ſua prope ad ellipſin accedit , cujus diſtantia inter focos eſt trium pollicum plus novem linearum , & parameter octo linearum ; ergo longitudo fili æqualis erit quatuor pollicibus plus quinque lineis. Tota vero pelvis capacitas refert conum truncatum elliptoideum , cujus baſis terminatur marginibus oſſium ilei , pubis & ſacri ; apex coni truncati deſignatur ramis oſſium pubis , iſchii cum ſuis tuberoſitatibns , & oſſe coccygis. Notandum vero ob nominatorum oſſium varias figuras , valdeque irregulares , conum non eſſe

rectum in ſceleto ſicco, ſed paullum a poſterioribus verſus anteriora incurvatum: in ſceleto autem recenti, ac pelvi, carnibus, viſceribuſque reliquis adhucdum repleta, erit axis uteri longitudinalis dicti coni verus axis.

## § V.

Non opus eſſe arbitror, ut ſingula oſſa pelvis ſingulatim pluribus deſcribam, quippe quod a tot Anatomicis jam factum eſſe, nemo ignorat. Quare ſufficiet differentias quasdam hic innuiſſe præcipuas, quæ intercedunt inter pelvim muliebrem & virilem.

## §. VI.

Differt pelvis muliebris a virili 1°. ratione figuræ ſuæ cavitatis, quæ, ut vidimus, in muliere eſt coni truncati elliptoidei; in viris autem eſt figuræ tribus lateribus curvilineis terminatæ, ſuperius majus, inferius minus ſpatium intercipientibus. 2°. ratione capacitatis; nam inveni inſtituendo experimentum, muliebrem eſſe in ratione ad virilem, ut 70. ad 50. Tertio ratione partium differunt, quod arcus oſſium pubis in fœmina ſit figuræ ad parabolam accedentis, cujus abſciſſæ creſcunt in ratione ſemiordinatarum, ita quidem, ut ſemiordinatarum maxima ad parabolæ diametrum ducta, inſigni ratione ſuperet illam in pelvi virili, in qua ſemiordinatæ minori creſcunt ratione.

## §. VII.

Præterea minime reticendum, oſſa pubis non in plano horizontali ſita eſſe cum oſſis ſacri origine, ſed in plano inclinato, cujus angulus eſt dimidius recti in muliere, cum in viro tantummodo ſit graduum viginti quinque; ſolaque hæc, quæ inter pelvim muliebrem & virilem intercedit differentia, ab altitudine oſſis ſacri, inſigniter majori in muliere quam in viro, dependet. Ultima quoque lumborum vertebra cum protuberante oſſis ſacri origine, & interpoſita his utriſque cartilagine, conſtituit in pelvi muliebri adeo eminentem clivum, ut perpendicularis, quæ concipitur e ſinuoſis lumbis retrorſumque incurvatis ſupra dictum clivum demiſſa, neceſſario cadat in ſummum oſſium pubis faſtigium. Cæterum in muliere os ſacrum latius, rectiuſque eſt, quam in viro, qui idem brevius, magisque introrſum flexum habet.

## §. VIII.

In pelvi oſſea delineata ſitus eſt uterus medio inter inteſtinum rectum & veſicam urinariam loco; ita quidem, ut cum vertice ſuo tangat

gat planum (§ *IV.*) memoratum, ea ſimul cum directione, quæ cadit nihilominus in ipſum axin pelvis deſcriptum.

§. IX.

Hujus figura adeo irregularis eſt, ut ad nullam aliam cognitam ſimplicem vel compoſitam referri, multo minus ita definiri poſſit, ut ex ejus data definitione idea clara & adæquata acquiri poſſit; aliqualem tamen ejus ideam acquiremus, ſi ad ſequentia attendimus, & uterum ipſum conſideramus tanquam opus peculiare naturæ concameratum, cujus ſuperficiem externam generari concipimus ex duabus ſuperficiebus, anterius & poſterius leviter ac modice ex plano circa axin fornicatis, tribuſque lineis curvis ita terminatis, ut ſuprema uteri teſtudinem deſignet, duæ vero curvæ laterales, quæ parietes uteri utrinque terminant, ad axin communem intermedium accedentes latitudinem ipſius ſenſim minuant; extremumque uteri terminent mucrone reſciſſo, gracili, brevi, rimaque transverſim acta pertuſo.

§. X.

Quo igitur ea, quæ ad ſtructuram uteri pertinent, luculentius pateant, atque major rei alias obſcuræ concilietur claritas; examinemus uterum tranſverſim, & ſecundum profunditatem, ſive craſſitiem ſuam ſectum, ita ut prima ſectio uteri latitudinem maximam metiatur, quæ eſt inter tubarum in eundem inſertiones. Secunda inſtituatur ad originem cervicis. Et tertia ipſam cervicem uteri dividat ſupra adnatam ſibi vaginam. Hoc enim modo inſigniora notatuque digniora uteri loca deſignantur clariſſime; ejus nempe vertex ſive fornix inter utramque tubam comprehenſus, & ſupra harum lineam horizontalem prominens; ejus partes laterales ſive ſolidum cavum inter tubas & cervicem contentum; ejus tertio cervix proprie ſic dicta cum ipſius reſecto mucrone.

§. XI.

Vertex uteri ſive ſolidum ſupra tubas prominens vocatur alias fundus uteri, & ad curvam hyperbolicam in ambitu ſuo accedit; ductis ergo lineis perpendicularibus a dicta curva ad axin tranſverſum maximum, qui eſt inter utramque tubam, erit diſtantia maxima inter dictum axin & verticem curvæ, minima vero diſtantia erit ad eum locum, in quo tubæ inſerentur, eſtque ibidem craſſities fundi uteri minima, & unam alteramve lineam non ſuperat, cum e contra fun-

dus circa clavum fornicis [*a*] quinque & plures lineas craſſitie ſua probe æquet.

§. XII.

Solidum vero inter utramque tubam & cervicem contentum limitatur, uti dictum, duabus lineis modice curvatis ſenſim ad ſe mutuo propius accedentibus, adeoque uteri latitudinem perpetuo imminuentibus, ita ut hujus ſolidi latitudo minima ſit eo in loco, in quo cervix incipit. Eſt autem ſectio hujus ſolidi elliptoidea, ſolidumque ad angulos rectos vel lineas ſibi parallelas ſectum in totidem taleolos elliptoideos, perpetua imminuta longitudine fili delineandos, reſolvi poteſt, eſtque ſectio elliptoidea ultima & minima, quæ principium cervicis deſignat.

§. XIII.

Cervix autem in medio lateſcens, & in fine rurſus gracileſcens, haud incongrue refert duos conos reſectos, ſibique oppoſitos communi baſi junctos, quorum apex alter reſectus cum ultima ſectione elliptoidea intermedii ſolidi confluit; alteri vero circumnaſcitur vagina, in cujus cavum medium, ſpatio circiter quatuor vel quinque linearum protenditur extremum uteri libera & prominula proboſcide, rima tranſverſali prædita, quod orificium ejus appellatur.

§. XIV.

Ipſe uterus adhuc exterius utrinque annexa habet duo ligamenta, lata ſcilicet & rotunda. Lata oriuntur ab ipſo peritonæo uterum involvente, quod a margine ſupremo oſſium pubis incipiens aſcendit, & ſuper uteri verticem ſcandendo poſt ipſius faciem poſticam replicatum, efficit involucrum quaſi uteri duplici compaginatum lamella, & in ſe ipſum rediens commodiſſimum prorſus pro ordinandis & fulciendis vaſis, ac baſi firma ſuſtinendis, dirigendisque ovariis & tubis fallopianis, ut & involvendis ligamentis teretibus, nec minus utero retinendo in ſitu (§ *VIII.*) indicato, per pelvis latera replicatu ſuo continuatum.

§. XV.

Alterum ligamentorum par vocatur rotundum, & conſtat utrinque faſciculo

(*a*) Hoc vocabulo utuntur Architecti ad deſignandum lapidem medium, ſummum, arcuatum & in fornicem cæſum, craſſiſſimumque, qui lapideam utrinque fornicis columnam, qui aptatus innititur, firmat. Nobis autem eodem vocabulo uti liceat, ad deſignandam fornicis uteri mediam, ſummam ac maximam craſſitiem, cui haud male convenit.

faſciculo tereti ex vaſis ſpermaticis & hypogaſtriois contexto, qui ſub tubarum origine & paullum anterius ex utero emergunt, deorſumque ſupra vaſa iliaca inflexi egrediuntur per annulos abdominales, & in cutis adipe diſtribuuntur: hi pari cùm latis artificio, utero in ſitu recto retinendo, inſerviunt.

## §. XVI.

Ita exterius conſtructus uterus, interiori & propria ſubſtantia, ſi eruditiſſimos alias viros, qui de utero ſcripſère, audias, ex meris vaſis conflatus eſt. Horum autem ſententiæ, licet plurimum auctoritate apud me valeant, ſubſcribere haud poſſum; mihi enim videtur, uterum potius ex fibris muſcularibus compoſitum eſſe, omnis generis vaſis & nervis iisdem intertextis ita egregio apparatu, ut cuncta ſimul conſtituant miram hanc machinam, quæ tanto gaudet robore muſculoſo, tanto ſenſus acumine pollet, & tantæ molis ſanguinis capax eſt.

## §. XVII.

Eſt vero ſubſtantia ſic mixta non ubique æqualis craſſitiei, neque omni tempore vel loco æquali copia ſanguinis gaudet. Nam adeo compacta eſt ante imprægnationem, ut ratione majori fibrarum ad vaſa albicet tota, uterusque tum aliquibus in locis incruentam ſectionem ferat; contra quam fieri ſolet in utero prægnante, qui ſpongioſus & ingenti humorum affluentium copia turgidus eſt ita, ut fibrarum robur a vaſorum vi tum ſuperari haud incredibile ſit.

## §. XVIII.

Vaſa, quæ ad uterum ipſiusque ſubſtantiam appellunt, ſunt ſpermatica & hypogaſtrica; hæc in virginibus ſerpentino flexu ad uterum accedunt, in ſimilesque arcus expulſa per univerſam uteri molem anaſtomoſibus oppoſitis ſe contingunt, jucundo certe ſpectaculo; ut egregrie Ovidius Metamorph.

*Ducit in errorem variarum ambage viarum*
*Non ſecus ac liquidus phrygiis mæandros in arvis*
*Ludit; & ambiguo lapſu refluitque fluitque:*
*Occurrensque ſibi venturas adſpicit undas: &c.*

## §. XIX.

Venæ quoque valvulis carentes, innumeris anaſtomoſibus ſibi invicem junctæ, & cum hæmorrhoidalibus communicantes, comparibus arte-

arteriis ubique anguſtiores ſunt, ſimul tamen rigidiores, quam in omnibus cæteris corporis fœminini partibus. Vaſorum quoque lymphaticorum vim magnam adeſſe demonſtrant ligaturæ, injectiones mercurii in vaſa lymphatica cruralia, microſcopia & tumores lymphatici cyſtici, nullibi quam circa uterum frequentiores; hæc quoque vaſa in itinere concurſu ſuo formant anaſtomoſes frequentiſſimas, delineantque rhombos, variasque figuras alias. Tandem & nervis gaudet uteri ſubſtantia a lumbaribus, ſacris & ſympathetico magno ad eam demandatis, vixque in utero locus aſſignari poteſt adeo exilis, in quo non ſenſus vividiſſimus adſit, aut motus, nervorum in omni puncto uteri præſentium luculentiſſimi teſtes.

## §. XX.

Præmiſſa ſic uteri virginei levi adumbratione quoad ejus conſtructionem externam, progredimur ad examinandam ipſius cavitatem, quæ lævis & inter craſſas uteri carnes quaſi compreſſa & exigua eſt pro ipſius dignitate, qua ad ſumma opera deſtinata eſt a ſummo Opifice. In ea ante omnia attentione digna eſt plicatura illa lateralis acuta, qua in omni ſuo ambitu terminatur hæc cavitas uteri, nec non cervicis: in cujus cavo ſimul conſpiciuntur copioſiſſimi lacerti, qui ex communi trunco anterius & poſterius educuntur ramorum ad inſtar verſus latera cervicis incurvatorum, & ſe mutuo in angulo plicaturæ decuſſantium. Hi lacerti cervicis cavo ita aptati ſunt, ut anterius & poſterius intervalla relinquant, in quibus tuto locantur corpuſcula ſphærica, mucidoque liquore referta.

## §. XXI.

Hæc plicatura ab omnibus Anatomicis, quantum ſcio, omiſſa eſt: imo ipſe *Grafius* [a], qui ſolus exhibet uterum in taleolos tranſverſales ſectum, peſſime tamen cavitatis uteri, B. *DE. DE. TAB. VIII. p.* 119. latera depingit curvilinea: cum potius utrinque delineanda fuiſſent; in acutam hanc admodum plicaturam deſinentia. *TAB.* vero *IX. X.* & p. 120. & 122. paullo melius hæc plicatura delineata eſt, licet non indicata ab Authore.

## §. XXII.

Uteri cavi axis longitudinalis eſt, qui ipſum in duas partes utrinque laterales & æquales dividit. Axis vero tranſverſus uteri eſt linea recta inter tubarum inſertiones comprehenſa. Hæc; ſecundum Celeberrimos Ana-

[a] De Mulier. organ. *Lugd. Batav.* 1672.

Anatomiæ Magiſtros *Euſtachium* [*a*] *Winslovium* [*b*] alioſque; ſubſtantiam fundi uteri ſecat, utpote clavo ſuo inſtar portionis curvæ cycloidalis inverſæ in uteri cavum prominentis; cujus convexitati oppoſitæ ſunt ad latera duæ aliæ ſimiles curvæ, ſibi tamen convexitate ſua obverſæ. Et hæc in immaturarum puellarum uteris potius obſervantur, licet non negaverim, ſimilem ſymmetriam quoque inveniri in utero virginum ad concipiendum apto, qualem quondam me vidiſſe memini.

§. XXIII.

In virginibus autem magis maturis ut plurimum uteri axis tranſverſus eſt baſis curvæ cycloidalis, generatæ ope circellorum æqualis diametri cum ovulorum diametro; ita ut puncta deſcribentia curvæ incipiant a puncto inſertionis tubarum, moveantur verſus axin, tandemque in axe ſe contingant. Hi duo circellorum vertices ſi ob propinquitatem conjungantur ope arcus curvilinei circularis, generatur ſimilis curvæ cycloideæ portio, ut in priori caſu: ſed cujus concavitas obverſa eſt duabus lateralibus, ſimilibusque curvis convexitate ſua ſibi oppoſitis, ſeu quod idem eſt, prioris curvæ cycloidalis concavæ evolutis.

§. XXIV.

Portiones autem iſtæ curvarum duobus circellis ovulis æqualibus generatæ & ope arcus minimi conjunctæ, æquales ſunt dimidiæ curvæ cycloideæ, ope circuli generatoris, radio $\frac{1}{4}$ diſtantiæ a fundo uteri ad ipſius cervicem, deſcriptæ.

§. XXV.

A fine uteri cavitatis proprie ſic dictæ incipit cervicis cavitas, circa axin communem ibidem anguſtiſſima. Longitudo hujus in priori caſu (§. *XXII.*) æqualis eſt diſtantiæ fundi uteri prominentis a dicta cervice; in poſteriori vero caſu, ubi cycloidis pars concava obvertitur duabus lateralibus convexis (§. *XXIII.*) minor eſt cervicis cavis longitudo dupla diametro circelli generatoris ſive ovuli.

§. XXVI.

Ab initio cervicis uſque ad ipſius medium ſenſim iterum dilatatur cavum ab axe ad latera, quorum delineatio eadem eſt cyclois a circello generata; ponendo punctum delineans in principio cervicis & baſin cycloidis, lineam rectam axi cervicis longitudinali parallelam. Erit ſum-



[*a*] Tab. XIV. Edit. Rom. fig. III. & IV.
[*b*] Expoſ. Anatom. Traité du bas ventre. Paris 1732. p. 574. §. 592.

mum punctum circelli ad latitudinem cervicis maximam. Si vero idem circellus, puncto delineante in fine cavitatis cervicis poſito, volvitur motu contrario ſupra prolongatam prioris baſin verſus ſummum punctum latitudinis cervicis maximæ, generabitur eadem cycloidis portio, priori æqualis. Spatium vero inter deſcriptarum portionum cycloidalium baſes, & axin cervicis longitudinalem, contentum æquat utrinque menſuram dimidiam circelli generatoris ſive ovuli.

§. XXVII.

Axis tubarum poſitus eſt utrinque in producta laterali evoluta cycloidali (§. XXII.) deſcripta, ut ipſis exactiſſimis *Euſtachii* figuris patet. Sunt autem hæ tubæ canales flexiles, capacitate prope ovarium aucti, ab origine ex utero anguſtiſſima & rectiſſima ſenſim ſpirales, quorum fibræ interius ab ipſorum ornamentis foliaceis, tanquam quibuſdam quaſi calycibus, verſus uterum concurrunt, neque recta via progrediuntur, ſed ab ipſo ornamento foliaceo, ex anguſtiori orificio in arcus curvilineos inæquales inflexi tandem verſus inſertiones ad baſes ſuas, ſive chordas magis accedunt.

§. XXVIII.

Quare videmus admirabilem ſtructuram, & ad induſtriam ſummi Geometræ concinnatam id quidem perficere, ut mobiliſſimum ſemen, ſumma vi atque velocitate projectum, & circa mediam cervicem receptum ſecundum axin cavitatis uteri directe feriat ejus fundum, a quo repercuſſum dirigatur verſus tubas. Dum ſimul levior ſeminis pars ab axi ad latera premitur, per tangentes poſtmodum utriuſque evolutæ cycloideæ lateralis verſus ora quoque tubarum propellenda.

§. XXIX.

Ita quoque res comparata eſt cum ovulis; hæc enim in primo caſu (§. XXII.) ſenſim, ſenſimque per acus tubarum curvilineos (§. XXVII.) accelerata, tandem per lineas ſimplices, non variabiles in cavitatem uteri pelluntur, & directione ipſarum curvarum, nec non vi æquali utrinque perveniunt ad centrum fundi uteri prominentis. Quo fit ut, ſive ovula duo utrinque acceſſerint, ſive unicum tantum, retineri ibi debeant ob ſpatium inter tres portiones iſtas curvarum convexas imminutum.

§. XXX.

Neque vero alio modo res peragetur in altero caſu (§. XXXII.) ſive unum, ſive duo ovula ad fundum uteri cavum pervenerint. Nam accedente ſimul

ſimul vi lateris antici ad poſticum uterus hæc duo latera ita ad ſe mutuo compreſſa retinet, ut ratione fornicis uteri concavi faciant ſimul baſin fixam pro cycloidis portione, in qua moventur ovula utrinque ad centrum fornicis deſcripti: eritque in hoc caſu ipſiſſimus locus, cum quo ovulum ovario adhæſerat, punctum circelli delineans cycloidis dictam portionem, quod proin motu ſuo ultimo ſurſum verſum adhærebit in centro fornicis deſcripti: ſi vero duo ſimul ovula acceſſerint, adhærebunt in fine prædictarum portionum curvarum, & quidem in diſtantia utrinque ab axe, quæ æquat duplam dimidiam diametrum ovulorum.

## §. XXXI.

Quis eſt qui hanc traditam ſymmetriam attente penſitando non obſtupeſcat inſignem naturæ ſolertiam, qua ovulum requiſito in puncto minimo ita fixerit, ut directe reſpiceret ipſius egreſſum per ipſum orificium uteri? Enimvero fundus uteri unica hac directione fetum verſus apertum exitum ſine oppoſitione promovere poteſt; hinc ſola erit, quæ partum producet naturalem, debito, lætoque fructu gaudentem. Quod ſi in cunctis lateralibus punctis accreſceret ovulum, partus ſumme difficiles & præternaturales non poſſet non producere, quando nempe obliquo ductu fetus verſus vaginam propellitur.

## §. XXXII.

Ovulum igitur in punctum determinatum (§. XXX.) fundi uteri delatum parte ſuperficiei illa cruenta, cum qua ovario adhæſerat, & quæ pars coincidit cum puncto delineante, adhæret citiſſime, evolviturque receptis humoribus ex uteri ſcaturiginibus ibidem frequentibus: ſimulque emittendo radiculas adeo ſubtiles ab initio, ut commode inſerantur ipſis ſcaturiginibus tum temporis ſphærulæ ſanguineæ rubræ adhucdum imperviis, ſolumque rorem ſubtiliſſimum exhalantibus, aptiſſimum prorſus pro explicandis, multiplicandis, augendiſque diametro vaſculis, quæ jam ſunt placentæ rudimenta adeo brevi tempore ſe in inſignem expanſura molem, ut ipſum purum ſanguinem ex uteri ſinubus abſorbtum ad fetum deducere valeant, ſimulque ſuppeditare materiam pro copioſiſſimo amnii liquore ſecernendo. Quod ita in uno ovulo fieri videmus, id etiam in altero fiet ſi gemella ſunt; ita tamen ut vix vel raro radiculas ſuas in iiſdem inter ſe confundant uteri cavernis. Et cum placentarum incrementum reſpondeat fundi uteri incremento, fit ut duæ placentæ ſe contingant in plano ejuſdem cavitatis axis. Quapropter quoties contemplor egregiam illam fornicis uteri concavi adeo concinnam conſtructionem, adeoque aptam recipiendis, retinendiſque duobus ſimul ovulis fœcundis, haud abſque ratione concludo, conceptum gemellorum demum eſſe perfectum, quem natura intendit.

§. XXXIII.

Dum ea, quæ in præcedenti §pho memoravimus, eveniunt ovi incremento celerrimo, mutatur ſimul quoque figura cavitatis uteri. Etenim quæ ante imprægnationem erat figuræ curvilineæ a lateribus plicatura (§. XX.) deſcripta terminatæ, nunc ſenſim induit elliptoideam in lateribus magis ſubrotundam: nam ovum iſto augmento facillime dimovet latus anticum a poſtico. Unde tum focis ab angulo plicaturæ magis diſtantibus neceſſario generabitur figura hæc ſectionis elliptoideæ in lateribus magis ſubrotundæ.

§. XXXIV.

Ab eadem vi viva ovi ſuperante fundi uteri inertiam fit, ut ferme ſolus hic excreſcat in ingentem molem: quo iterum miranda eſt naturæ ſolertia, qua fecit, ut idem fundus aucta mole contentorum, ſimul tamen priſtinam ſuam craſſitiem haud amittat.

§. XXXV.

Fuere haud pauci iique Celeberrimi alias Viri *Mauriceau* [c] *Dionis* [d] aliique plures, qui veritatem hujus ultimi aſſerti negare haud erubuere, uterum comparantes cum veſicæ urinariæ vel inteſtinorum ſubſtantia & fabrica, vel cum cera, quæ expanſa craſſitie ſua perpetuo minuitur. Sed ſi iſtas ſubſtantias attentius cum uteri fabrica comparaſſent, ſi quoque conſideraſſent capacitatem uteri quoad ingentem humorum affluentium vim (reſpectu illarum partium mere membranoſarum, & in totum alio vaſorum apparatu & nexu gaudentium), vix unquam in ridiculum adeo incidiſſent commentum; quaſi nempe uteri organica ſubſtantia cum cera comparari poſſit.

§. XXXVI.

Quotuſquiſque eſt qui auſit de veritate hac mathematica dubitare? Vas rectilineum ex curvilineo generatum eamdem humorum vim capere haud poſſe quam curvilineum, niſi, quantum longitudine ipſi per mutationem decedit, latitudine ejuſdem compenſetur. Nunc autem uterum virgineum tranſcendunt vaſa omni momento punctum flexus mutantia, curvaſque æmulantia variæ indolis, quæ ſimili modo totam uteri ſubſtantiam perreptant. Quare, quum hæc vaſa in utero gravido ſenſim magis in rectitudinem expellantur, neceſſario latitudine augebuntur, uteruſque cum aucta vaſorum latitudine craſſitiem ſuam amittere haud poteſt. Enimvero

[c] Traité des Maladies des Femmes groſſes, *à Paris* 1718. *in* 4. p. 19-24.
[d] Traité Général des Accouchemens, *à Paris* 1718. *in* 8. p. 32.

vero quantitas liquidi, quæ in multis myriadum millibus vaſorum curvorum continebatur, nunc in totidem rectis contineri debet. Omnis autem recta eoſdem inter terminos cum omni curva comprehenſa ſemper eſt breviſſima. Ergo dilucide hinc ſequitur, latitudinem vaſorum tantum augeri, quantum ipſa vaſa rectificatione breviora redduntur.

## §. XXXVII.

Jam vero adeſt cauſa manifeſtiſſima latitudinis vaſorum auctæ, ſiquidem motus humorum in arteriis uteri laxis adeo tardus eſt, ut nullibi ſanguis majorem in curſu ſuo patiatur moram. Venæ quoque valvulis deſtitutæ & in univerſum comparibus arteriis rigidiores ſimul & anguſtiores, & in ſimilem cum arteriis rectitudinem expulſæ, indeque minus capaces redditæ refluxuro ita ſanguini reſiſtunt, ut creſcente ſingulis momentis vi ſanguinis in incredibilem adeo vaſa expandi debeant capacitatem, qua pollicis interdum menſuram diametris ſuis æquent.

## §. XXXVIII.

Niſi enim haud imminuta craſſitie uterus in tantum volumen expandi poſſet & revera expanderetur, vix ad ſequentia reſpondere poſſent adverſarii. Primo, cur ſcilicet, ſi pro incremento voluminis uterus extenuaretur, ejus craſſities ad finem noni menſis ſit adhuc aliquanta? Ponamus enim integro nychthemero uterum ad ſummum pollicem unum regium pariſienſem craſſum perdere de craſſitie ſua partem centeſimam quadrageſimam quartam pollicis, ſive lineæ partem duodecimam. Triginta nychthemerorum vel unius menſis ſpatio jam perdet $\frac{10}{144}$ partem pollicis. In quinto vero menſe amiſſa craſſitiei quantitas æqualis erit $\frac{150}{144}$ parti pollicis. Ergo tum uterus prorſus evanuiſſet & $\frac{6}{144}$ parte pollicis minor eſſet quam nullus. Secundo, unde uterus adeo tenuis redditus tantas in talia deſumet molimina vires? Quomodo reſiſtet immani cumulo aquarum in undarum ſpeciem curvatarum? Quomodo reciprocas opponet vires ingenti copiæ humorum in vaſis ipſius dilatatis commorantium? Et qui denique canales omnes ſimul ſumti augeri poſſunt, niſi uterus maxima vaſorum vi pollens craſſeſceret? Sed quid opus eſt pluribus, cum ipſa experientia Celeberrimorum Virorum *Friedii* [e] *Boerhavii* & *ejus Commentatoris* Halleri [f] *de la Motte* [g] aliorumque plurium hoc aſſertum confirmatum ſciam.

[e] Quem de inſigni præcipue fundi uteri craſſitie multoties a ſe viſa in Collegio obſtetr. privat. differentem audivi.

[f] Præl. Acad. Tom. V. Part. II. p. 218. & Not. n.

[g] Traité des Accouchemens lib. V. cap. 16. p. m. 678.

ſciam. Immo ipſemet ego toties cum *Celeberrimo* Hummelio. *Proſectore Argentinenſi* ad maximum Anatomiæ damnum nuper defuncto uterum gravidum ſectum, non ſolum circa fundum, ſed & latera ipſius inſigni craſſitie præditum, & quod apprime notandum muſculos abdominales econtra ſummopere extenuatos vidi. Exemplum quoque uteri rupti in partu, quod argumentum hujus diſſertationis eſt, miram ejus craſſitiem monſtravit ubique ſolo eo loco excepto, in quo uterus ruptus erat.

## §. XXXIX.

Sed ut ad uterum redeamus, a quo paulum digreſſi ſumus; plurima adhuc reſtant maxime memoranda. Solidum ſcilicet inter tubas uteri virginei comprehenſum, & ſupra harum lineam horizontalem prominens (quod fornicem uteri ſive fundum appellavimus) in prægnante in tantam aſſurgit molem, ut non ſine ſtupore tanto tubas & ligamenta intervallo ab uteri ſummo vertice diſtantia intueri queas. Claro ſimul argumento, dictum ſolidum omnem hucuſque paſſum eſſe mutationem.

## §. XL.

Uterus etiam tum quoque totus quantus rubedine ſuffuſus conſpicitur, vaſiſque adeo capacibus ubique coronatur incredibilem ſanguinis copiam continentibus, quam tam enormes ſæpe hæmorrhagiæ probant, & ſectio ejuſdem, & artificialis injectio. Enimvero uterus nonniſi tenuiſſimis vaſorum interpoſitis parietibus a proximo ſibi ſanguine diſtare videtur. Et quemadmodum uterus inflammatus quaſi apparet, ita & ligamenta ipſius præcipue rotunda præ ſanguinis turgeſcentia funes ſanguineos, craſſos, rigidoſque æmulantur. Ovaria non ſecus ac tubæ præ rigiditate ſplendent, & haud paulla quoque magnitudine aucta ſunt.

## §. XLI.

Subſtantia vero ipſius uteri ſi cultro anatomico inciſa inſpiciatur, ſinubus amplis, irregularibus ac crebris eſt diſtincta, in quos cera infuſa ſe fingit. Hi ſinus jam erant in utero virgineo præſentes ſub delineatione minima, ſed compreſſi ante impregnationem & ſanguine magis orbati.

## §. XLII.

Reperiuntur præterea in fundo uteri eo in loco, in quo antehac clavum poſuimus, fibræ luculentæ, quas (quicquid ab aliis anatomicis contra eas allatum ſit) toties cum celeberrimo *Hummelio* diſtinctiſſime videre mihi contigit, ut nullum amplius de earum præſentia mihi ſuperſit dubium. Dictæ autem

autem fibræ revera muſculares ac ſpirales concentricæ planum efficiunt tenue & vorticoſum (ſit venia verbo) ita ut fibræ vaſorum in uteri cavum hiantium lumina cingentes totidem quaſi ſphincterulorum munere defunguntur. Has fibras primus detexit perſpicaciſſimus anatomicus *Ruyſchius* [*b*], earumque inſignem, quam præſtant utilitatem in ſeparanda placenta, quæ ipſarum vi motrici ſubjacet, primus indigitavit innumeriſque exemplis illuſtravit.

§. XLIII.

Ultimis tandem geſtationis menſibus dilatatur ſenſim ita ea ſolidi uteri pars, quæ infra tubas eſt, ut eadem conferat ad efformandum ſolidum ellipticæ figuræ.

§. XLIV.

Cervix uteri ſimul tum quoque mutatur, & corpuſcula ſphærica in eodem hærentia (§. XX.) mucido liquore referta egregio certe ſpectaculo in majores extra lacertos protuberant arcus: dum ſimul ſenſim ſenſimque tumidum fungoſumque orificium uteri dehiſcens magis magiſque reperitur. Orificium præterea, quod ſua gaudet craſſitie haud contemnenda figuraque præditum eſt, contractione ſua naturali, conica, non poteſt vi deſuper a baſi verſus apicem coni intruſa eandem retinere figuram. Etenim a dicta vi facillime dimovetur labium anticum a poſtico: unde tum focis ab angulo, quem efficit concurſus utriuſque labii, magis diſtantibus generabitur neceſſario figura orificii, ejuſque amborum luminum ſectionis ellipticæ in lateribus magis ſubrotundæ.

§. XLV.

Solertiſſima natura in his apparandis elegantiſſima, uti vidimus, nos ducit via ad ipſum præcipuum, quod intendit opus: partum ſcilicet ſive excluſionem fetus maturi definito tempore ſuo. Quem autem requiſito ordine deſcripturi attendemus ad ea, quæ partum antecedunt, concomitantur & ſequuntur.

§. XLVI.

Ea phænomena, quæ partum antecedunt, primum abdomen gravidæ ſolet manifeſtare. Hoc enim hactenus in magnam molem ſphæroidicam intumeſcens deſcendere ac ſubſidere incipit, ſubſidentique abdomini jungitur continuus ad mingendum ſtimulus: accedunt una e regione lumbari dolores ad inguina expanſi, poſt levem ſtatim teneſmum, per intervalla intenſiores ſæpiuſque recurrentes. Vocantur hi merito dolores partum præparantes.

§. XLVII.

[*b*] In tract. de muſculo in uteri fundo reperto.

## §. XLVII.

Quibus excitatus prudens obſtetricans ad ſtatum orificii uteri tactu examinandum accedit, de inſtante partu ſolidum laturus judicium. Quod ſi digito ipſius tangenti opponitur breve, tumidum, inſtar fungi laxum, dehiſcens corpus, ac in medium vaginæ cavum tanquam tubus elliptoideus protenſum lubricumque, cujus lumini ſupremo & interno incumbat caput fetus membranis obvolutum, ita ut directe ipſius vertex reſpondeat axi longitudinali dicti tubi elliptoidei; partum mox futurum naturalem (ſi cætera omnia ſunt paria) haud ſine juſta ratione ſperabit.

## §. XLVIII.

Hæc quidem cuncta manifeſto tactui offeruntur, ſed cur ſubſidere incipiat abdomen, fetuſque in ultimo graviditatis ſtadio ſitum occupet ab illo, quem in primis geſtationis menſibus occupaverat, adeo diverſum? Quæſtio eſt ante omnia attentione digniſſima.

## §. XLIX.

Cui ut veriſſime reſpondeamus, oportet ut fetus ipſius ſitum naturalem, quem in primis geſtationis menſibus obtinet, deſcribamus. Hunc ſi attente examinemus, manifeſtum erit fetum in utero quaſi ſedere pedibus deorſum verſis genubuſque flexis ita, ut calcanei nates tangant in plano imaginario ſub natibus ſedentis fetus concepto; dorſum ipſius incurvatum eſt & ſpinæ dorſi matris applicatum, fronte umbilico matris obverſa. Caput vero antrorſum flexum genubus innixum ſuſtinetur; manu utraque ſub eodem ſe decuſſante. Hic ſitus partium fetus maxime frequens, naturaliſque omnium optime congruit ad figuram cavitatis uteri elliptoideam, eſtque optimus pro diſtribuendo æquabiliter liquore amnii.

## §. L.

Situs haſce varietates a fetu vario ſed definito tempore occupati *Mauriceau* [*i*] cum earum affectionibus deſcripſit. Quapropter cunctos, quibus hac de re nondum ſatis conſtat, ad egregias ejus icones lucem iis affuſuras relego.

## §. LI.

Centrum gravitatis fetus cadit intra planum cui inſidet, tum demum igitur deſcendet cum ea parte corporis ſui, quæ ipſum extra illud planum cadere cogit. Cogit autem caput reliquas cunctas ſenſim pondere ſuperans, hoc

[*i*] Traité des maladies des femmes groſſes, lib. II. cap. 4. p. 132.

hoc itaque deſcenſum præ cæteris molitur. Sufficit enim minimum capiti acceſſiſſe ſuprapondium, ut deſcenſus ejus ſequatur. Hic autem ſecundum leges, quibus corpora deſcendendo auſcultant, in loco ab aëre vacuo inſigniter acceleraretur, niſi accederet altera cauſa deſcenſum hunc egregio artificio moderans.

§. LII.

Quapropter aquæ ubique circa fetum collectæ, & in duabus membranis chorium & amnium appellatis contentæ, uterum expandendo liberum capiti fetus deſcenſuro & ſat amplum parant ſpatium. Sed pari modo id ipſum ita ſuſtinent immerſum, ne nimis pernici motu deſcendat fetus cum capite, partum alias moliturus præmaturum.

§. LIII.

Cum autem velocitates deſcenſus corporum ſolidorum fluidis immerſorum ſint in liquido eodem & temporibus æqualibus in ratione gravitatum ſpecificarum; pronum erit concludere fetum in primis geſtationis menſibus vix vel parum deſcendere ob creſcentis capitis volumen inſigne, pondere vero parum cum ipſius volumine aucto. In ultimis vero geſtationis menſibus pondus ad volumen creſcit majori ratione; hinc deſcenſus fit velocior, magiſque manifeſtus, ita tamen ut volumen capitis cum ejus pondere ſemper ea ratione æquilibretur, ut, quantum pondere acceleratur, volumine retardetur.

§. LIV.

Quare, ut ex his videmus, conſulto naturæ ductu eadem cauſa quæ lubricum parat iter capiti fetus deſcenſuro, idem a pernici nimis deſcenſu arcet.

§. LV.

Experimentum facile inſtitui poteſt in gravida ſextum circiter graviditatis menſem agente. Nam examine obſtetricio, ſi conditio uteri totius infimi ope digiti indicis vaginæ immiſſi exploretur, reperietur tota circumferentia uteri infima laxa, minimeque tenſa pondere aliquo ſuperincumbente; quod ſi vero idem digitus altius ſenſim ſubter oſſa pubis ſurſumque trudatur, hærens ibi quædam ſphærica durities, pilæ minoris molem referens, ſentietur, quæ preſſa digito in altiora cedit, ad priſtinum finita preſſione reditura, quem occupaverat, locum.

§. LVI.

Hæc vero, quam tetigiſti, durities nihil aliud eſt quam caput fetus in a-

quis libere quidem fluctuans, ſed ab iiſdem ita ſuſtentatum, ut nulla opera effici queat, ut profundius in eaſdem demergatur. Repetatur vero idem experimentum poſt quatuordecim dierum intervallum, jam reperies caput paulo profundius ſubſediſſe: donec tandem id ipſum ſentias circa finem graviditatis perpendiculariter lumini interno tubi elliptoidei, (ad §um XLVII. dicti) incumbens, ita ut in admirationem rapiaris neceſſe ſit, cur non fetus unico temporis minuto ſecundo elabatur ex utero, quod non poſſet non fieri, niſi ab oppoſitis viribus in alto retineretur ſuſpenſus, paulo longiori tempore ac ſolius demum naturæ beneficio excludendus.

§. LVII.

Minus igitur ſolliciti ſint celeberrimi plurimi viri de limitibus præfinitis inquirendis, ultra quos uterus expandi nequeat. Nam ipſa natura cautiſſima optime ſcit, uti vidimus, certo tempore fetum uſque ad ſitum rectiſſimum, altiſſimumque ſuſpendere in aquis, certo etiam præfinitoque ad deſcendendum inclinare, ſimpliciſſimo prorſus artificio & ſine concurſu actionis uteri, qui, etiam poſito termino ipſius extenſionis, non tamen iſtas duas affectiones in fetu produceret. Maximo autem in errore verſari puto eos, qui argumentis potius ab authoritate divi *Hippocratis*, quam vero ponderoſis a rerum cognitione ipſa petitis, ſitum fetus in ultimis graviditatis menſibus præcipitem audacter ponunt. Quæ enim hic aſſerui experimenta de deſcenſu fetus lento & per certos gradus moderato, per temporum intervallorum ſeries uſque ad exitum ſæpiſſime confirmata expertus ſum, quamdiu mihi contigit in Noſocomio Civitatis Argentoratenſis ampliſſimæ gravidas tempore vario, tactu probe & ad id intento explorare.

§. LVIII.

Recenſitis cauſis mechanicis, quibus fetus ad orificium uteri collocatur nonniſi vim expellentem ab utero avide exſpectans; attendendum eſt ultimo ad modum, quo expulſionis negotium, ſive partus abſolvitur.

§. LIX.

Non defuere graviſſimi in arte viri, qui attentius partus negotium perpendentes in varias ſententias & errores haud ferendos inciderint. Sunt enim qui ſtatuerunt fetum gravem in ultimo graviditatis ſtadio magis inquietum, magiſque utero affrictum, vel pedibus exporrectis calcitrantem partus cauſam ſibi vendicare, utero hoc modo ad contractionem valide ſtimulato. Inquietudinis vero ipſius fetus aliqui cauſam poſuere in fecum, urinæ vel aquarum ipſum cingentium acrimonia, vel ipſarum defectu. Aliqui in aviditate aërem hauriendi, vel ſolidum alimentum capiendi. Aliqui in anguſtia loci, qua

qua fetus anxius redditur & ex eodem egrediendi cupidiſſimus. Alii denique in ſitu fetus præcipiti adeo facto ad orificium uteri atque ſimul ita inverſo, ut ipſi inde ſumma naſcatur moleſtia, veram partus inveniſſe cauſam ſibi perſuaſerunt. Et quid non motuum horum inſuetorum cauſa accuſarunt?

## §. LX.

Hæc eleganter quidem quiſque pro ſuo ſcopo de partus origine propugnat, quibus ne aſſentire queam, plurima me retinent. In hiſce vero recenſendis impedit me nimia dicendorum prolixitas, in quam hoc ſpecimen meum excurreret. Quamobrem contentus ero ſequentes propoſuiſſe quæſtiones, ex omnibus memoratis hypotheſibus non ſolvendas.

## §. LXI.

Qui fit, cum inquietudo & calcitratio fetus partus cauſa ſint, quod demortuus non minus recte ſolius naturæ beneficio naſcatur ac vivus vivaxque? Nulla enim a demortuo exſpectari poterit inquietudo, etenim talem crudeliſſimi non excitabunt ſtimuli. Secundo, qui fit, quod acrimonia, ſi quæ adeſt, adeo prudenter noſcat tempus definitum, quo fetui ſit egrediendum, & non alio? Tertio, quomodo fetus cum pedibus præviis partum moliturus ab iiſdem calcitrantibus egrediendi veniam impetrabit? Cum orificium ſpaſmo agitatum, tantum abſit, ut fetum propellat, quin potius ipſi egreſſuro viam præcludat? Quarto, unde fit, quod fetus poſt effluxum aquarum præmaturum tamen naſcantur? ut non infrequentes ſunt ejuſmodi caſus. Fetus enim tum arctis hæret in anguſtiis uteri, & adeo undique ab utero premitur, ut nulla amplius fruatur poteſtate artus ſuos pro arbitrio regendi. Ergo etiam tum, ſi vel ſummam acrimoniam in infinitum ſtimulantem accerſeret in auxilium, nihil magis proficeret, quam ut arctius ab utero amplecteretur retineretur que. Tandem quinto, qui denique remedia ſic dicta pellentia & venæſectiones, quas adeo ſæpenumero dolores creare fetum pellentes obſervavi, quomodo, inquam, hæc utraque fetum monent, ut calcitret? Sane res eſt ſcrupulis multifariis plena.

## §. LXII.

Quare, cum hæ cauſæ phænomenis explicandis non adæquatæ ſint, haud verebor judicium meum firmiori, ut puto, baſi innixum hic interponere, ſimulque ea, quæ obſtetricanti obſervanda ſunt ab initio ad finem partus, indigitare. Uterum autem gravidum conſidero tanquam machinam peculiarem, ex tot tantiſque partibus in unum ſolidum elliptoideum corpus efformatam ita, ut non ſolum ope fabricæ hic ſingularis in enormem adeo molem expandi aptus ſit, ſed & vi præterea abundet inſigni, qua ponderoſos

pigroſque fetus per anguſtiſſimas vias & haud raro difficiles expellere queat.

## §. LXIII.

Sed quoniam in eodem utero oriuntur motus varii, quandoque ſibi contrarii, & diverſis in locis alii, conducet illum dividere in tres partes præcipuas. Harum prima deſignat ſegmentum uteri majus, ſive ſolidum ſupra tubas prominens, cujus media, maxima ac ſuprema craſſities fundus appellatur. Secunda eſt ſolidum inter tubas & vaginam contentum. Tertia comprehendit ſegmentum uteri minus ſive complementum ejus, quod toto vaginæ ſupremo ambitu terminatur, & ex cujus medio & infimo loco educitur tubus ille brevis, fungoſus & elliptoideus, quem orificium uteri appellant.

## §. LXIV.

Nunc autem, ut quam clariſſime intelligantur motus uteri ſucceſſivi, continui, reciprocique, gradu ſenſim aucti, abſque verborum ambagibus ſimpliciſſime recenſenda ſunt ea phænomena, quæ attento ſucceſſive obſervanda proponuntur. Ante omnia vero meminiſſe oportet.

1. Uterum ſemper eſſe in ſtatu violento diſtenſionis, ideo in contractionem ſemper niti omni graviditatis tempore.

2. Cauſam, quare hic uſque ad partum in perpetua ſit quiete cum fetu, eſſe motum vel niſum contrarium priori æquipollentem.

3. Hujus autem æquilibrii naturam talem eſſe, ut modo deſtrui, vel reſtitui poſſit ad aliquot momenta, prout antagoniſtæ actio major, minor vel æqualis erit.

4. Motus uteri fieri per actionem fibrarum muſculoſarum; has autem ob varias, quas affectant directiones, non eaſdem in motu ſuo obſervare leges. Etenim ſpiralibus fundi uteri fibris agentibus pellitur quodcunque in uteri cavo hærens corpus ſecundum axin, proinde quoque hæc longitudine ſua imminuitur; dum contrario modo orbicularibus magis ad latera uteri fibris agentibus efficitur, ut idem corpus undiquaque æquabiliter preſſum in axe retineatur, & ſic ſecundum eam moveatur rectiſſime breviſſimeque. Orificii vero uteri ejuſque ſegmenti minoris & infimi vim validam arguunt fibræ in arcus breves & obliquos expulſæ ſeque decuſſantes. Ex quibus cunctis eluceſcit, uteri fibras, licet ſingulæ minimo per ſe gaudeant momento, poſſe tamen tam celeritate quam vero obliquitate virium, quibus ad obſtaculum applicantur, tantam exſerere efficaciam, ut maximi inde ſequantur effectus. Quod facile patebit ei, qui chordarum elaſticarum in ſpiram vel orbiculum convolutarum vim penſitaverit. Nam ea, quæ moventur per ſpatia infinite parva, ſumma cum celeritate, vim habent, quæ eſt ad obſtaculum reciproca, ut ſpatia a potentiis percurſa.

5. Hinc fit, ut ſi fetus foret axi uteri longitudine æqualis, is ad partus uſque

uſque legitimum tempus non poſſet in utero remanere, ſed primo jam menſe expelleretur, quoniam niſus fundi uteri in ſupremum ipſius verticem agendo, cito ſuperarent orificii ejus reactionem, fetuſque, eodem ſuperato, uno impetu egereretur. Quapropter fetus etiam adultus non prorſus æquat dictum axin.

6. Ipſæ denique partes fetus tantam poſſident flexibilitatem atque mobilitatem, ut ſe in minus ſpatium redigere patiantur ab actione fundi uteri, ac parietum validorum ejus: & hæc ipſa flexibilitas conjuncta cum gravitate fetus cauſa eſt momentorum fundi uteri agentis. Nam, niſi primo pars aliqua fetus cedat, altera nondum mota ſequi nequit. Ex quibus jam clare apparet, uterum fetum perfecte rigidum nunquam expellere poſſe; intelligitur ſimul funeſta illa in partu difficili ex obliquo fetu oriunda quies. Enimvero tum fetus compreſſione valida uteri redactus in ſtatum fetus rigidi perfecte reſiſtit, eritque tum reſiſtentia potentiæ æqualis & una alteram deſtruet. Vidimus ita fetum, qui in utero preſſus in perfectum globum coactus fuit, quique tum ulterius promoveri non potuit.

## §. LXVIII.

Hiſce præmiſſis nunc facilis erit expoſitio motuum partus.

α. Gravitat fetus cum capite ſuo in uteri ſegmentum minus, ejuſque infimo loco ſitum orificium.

β. Hæc gravitatio fieri non poteſt, quin uteri ſegmentum minus ejuſque orificium extendantur & amplientur.

γ. Eo ipſo puncto temporis deſcendit fetus atque removetur ab uteri fundo.

δ. Quo vixdum contingente, aquæ in ſpatio inter fundum & ipſum fetum contentæ, deſerunt fundum, quoniam ruunt in ſpatium ipſis paratum in dilatato infra & ampliato uteri ſegmento minori orificio ejuſdem.

ε. Ergo jam aderit cauſa deſtruens æquilibrium (§. LXIV. n. 2. & 3.) attenuatio ſcilicet & extenſio ſegmenti minoris & orificii, nec non deſcenſus fetus & aquarum.

ζ. Nam dum deſerunt aquæ fundum, ſequitur eodem inſtanti ipſe fundus, quoniam vacuum inter ambo dari nequit propter fundum uteri flexilem & elaſticum.

η. Fundus autem, dum aquas jam in fugam actas ſequitur, eo cum exceſſu virium, quo nunc prævalet ſuo antagoniſta, pellit reſiduas inter ipſum & fetum collectas tanto cum impetu, ut membranæ intumeſcant ante fetum.

θ. Hæc cum ſimul fiant unico motu, vocant motum ſive contractionem uteri ſpontaneam & naturalem.

ι. Hujus autem motus præſentiam declarant nixus illi teneſmodes, qui vulgo ſed improprie, dolores vocantur, quique e regione lumborum orti ad inguina uſque pergunt. Optime autem cognoſcitur ex orificio tactu examinato;

nato ; durante enim ejuſmodi nixu objicitur tangenti obſtetricàntis digito inferior ovi deorſum compreſſi vertex.

κ. Dum in hæc impenditur prima uteri fundi actio ( per §. LXIV. n. 4. ) paulatim ſe reſtituit ſegmenti uteri minoris & orificii reactio , unde tum reſtituitur æquilibrium. Hinc partus promotio & retardatio pendet intra datum tempus a frequentia majori vel minori iſtarum actionum reciprocarum fundi uteri & orificii. Pone enim fundum uteri ad pellendam molem contentorum pollere vi ducentorum momentorum , centum vero & nonaginta novem reſiſtere ſegmentum uteri minus & orificium, poſtquam unicum momentum fundus uteri in motu ſuo impenderit, ſegmentum ejus minus & orificium jam æquipollebunt pondere. Prout itaque frequentius hoc æquilibrium denuo turbabitur , eo etiam fetus magis promovebitur , tam diu progreſſurus , donec ſemper æquilibrium reſpectivum reſtituatur.

λ. Is vero , qui hucuſque dicta conſideraverit , intelliget ſummam vim illam , qua manus obſtetricantium intra uterum premuntur , quæque aquas ad magnas adeo diſtantias projicere valet , ob taleolorum , in quos ſectum eſſe uterum ponimus , ſummam propinquitatem.

μ. Ex dictis ſimul quoque intelligitur , quid ſtatuendum ſit de doloribus ſic dictis ſpuriis , & quanto in errore verſentur omnes , qui eorum ſedem putant eſſe inteſtinum colon ſpaſmis reciprocis contractum : cum , ſi cognoviſſent admirandum , quem deſcripſimus , mechaniſmum , ſi quoque perpendiſſent reciprocas , quas indicavimus , vires pellentes & reſiſtentes , facile inveniſſent cauſam tanti phænomeni , quod plerumque in partuum difficilium vel ſaltem minus naturalium initio apparere ſolet , & quod cauſa ſua accuſat ſegmenti uteri minoris & orificii , uno verbo , antagoniſtæ vim abundantem ultra fundi uteri vires pellentes , generatam ab obliquo fetu vel quocumque male ſito & difformi. In ejuſmodi doloris paroxyſmo , ſi uteri ſegmentum minus ejuſque orificium tactu examinantur , ſiſtitur utrumque ſuſpenſum altius , ita ut ſegmentum minus ad planum rectilineum accedat quam proxime , dum præterea orificium contractum , vel digitum non amplius admittat , vel ipſi admiſſo in ſupremo ejus lumine offerat laxas corrugataſque ante fetum membranas. Hæc res cum ita ſe habeat , quis nunc auſit rerum gnarus cum obſtetricibus imperitis affirmare , partum horum dolorum ope unquam abſolutum iri ? Sane impoſſibile eſt , niſi invertatur ratio virium dictarum reciprocarum fundi uteri pellentis & orificii ejus reagentis. Dolores autem dicti ſpurii ſe manifeſtare ſolent ingenti cum cruciatu circa regionem oſſium pubis tranſverſalem fixo , cum annitendi , interdum quoque incedendi , impotentia ſtipato , quo miſeræ affliguntur parturientes. Præſentis vero ejuſmodi doloris affligentis & infructuoſi conditio omnium optime innoteſcit obſtetricanti , orificio ac ſegmento uteri minori tactu examinatis , uti ſupra dictum eſt. Tandem vero & hi dolores ſævire deſinunt mutati in veros dolores , quorum beneficio ſolo abſolvitur partus.

## §. LXIX.

Sunt autem hi dolores veri nixus partum præparantes, quibus ad attenuandas partes & aperiendas viarum anguſtias vix alia datur par energia. Is enim præſentibus rigeſcunt membranæ ante fetus caput, & cunei ad inſtar intruduntur tubo illi elliptoideo (§. XLVII. & LVIII.) qui dilatatur ab iiſdem, & divino creatoris conſilio ſalutaris adeo hic mechaniſmus diſpoſitus eſt, qui vias valide, lente, ac ſine rupturæ periculo, alias certo ſecuturæ, aperiat.

## §. LXX.

Sequuntur tandem, ad hoc negotium maturandum, citiſſimeque expediendum, nixus validiores intolerabili cum teneſmo ſtipati, non aliter ac ſi duriſſima expellenda eſſent ſcybala. Animæ retentio in hiſce nixubus adjuvandis ſimul longa adeſt cum tremore artuum inferiorum. In ſuperioribus inflantur venæ jugulares, facies roſeo nitidoque colore perfunditur. Pulſus ſimul omnes citatiores de uteri contracti preſſione valida in vaſa teſtantur. Vocantur hi dolores merito partum maturantes, deſideratique ad eumdem feliciter ceptum abſolvendum.

## §. LXXI.

Horum enim nixuum robore pellitur liquor amnii vi magna deorſum, unda ſuperiori in proxime contiguam inferiorem mobiliſſimam ruente tanta tum celeritate & impetu, ut optimum ex perfecto dolore ſecuturum eſſe effectum parturienti ſpondere poſſit obſtetricans. Immiſſo enim tum digito, & aliquandiu in vagina retento, ſentitur inferior ovi vertex expanſus ab irruente fluento, rigidus & cunei ad inſtar orificio uteri intruſus. Sequitur tum mox effluens mucus ex corpuſculis ſphæricis, inter lacertorum orificii intervalla (§. XLIV.) ſitis, muco turgidiſſimis & protuberantibus in modicos arcus. Hæc intenſius nunc preſſa mucum fundunt lentum, ſanguini immiſcendum, ac in emolliendis partibus cuncta pinguia ſuperantem.

## §. LXXII.

Remittentibus vero doloribus oriuntur ſtatim motus prioribus oppoſiti, molleſcunt membranæ, flacceſcit ovi vertex & retroagitur liquidum ab elatere ſegmenti minoris & orificii (§. LXVIII. n. $\varkappa$.) fetuſque caput membranis obvolutum tangi poteſt ita quidem diſtincte, ut incautus juraret ſe nudum caput tangere.

§. LXXIII.

Redeunte demum uno alterove ſimili paroxyſmo ſummo huic naturæ operi coronis imponitur. Orificium enim omnem (§. LXXI.) memoratam vim ſuſtinens ita dilatatur, ut tranſverſo rictu hiet inſtar oris aperti humani, mox unum continuumque conſtituturum tubum quoad omnem ferme uteri ambitum inferiorem cum ipſius cavo coincidentem. Ovum nunc quoque manifeſta cum celeritate actum properat ad exterius & anguſtum vaginæ lumen, quo dilatato protuberat in tumentem adeo veſicam, ut minus æquabiliter preſſum ruptumque viam aperiat liquido ad inſignem interdum diſtantiam prorumpenti. Puero interim hærente, cum capite ſuo facieque oſſi ſacri obverſa, in inferiori oſtio pelvis elliptoideo ſive apice coni truncati (§. V.), vix ibi aliquam moram tracturo, ſi cætera bene dicto oſtio reſpondeant.

§. LXXIV.

Quare videmus totum hoc opus fieri ſolius naturæ beneficio per vires vitæ, ullo nec conſilio nec ulla ope moderandas. Adeo igitur ſubordinatione partium elegante in rite maturo partu aperiendo abſolvendoque utitur natura &

*alterius ſic*
*altera poſcit opem res & conſpirat amice.*

§. LXXV.

Neque alio modo res peragitur, ſi gemelli excluduntur, eo tamen cum diſcrimine, quod gravior pondere fetus axin uteri occupando, leviorem ſuum ad hoc vel illud latus collocatum ſocium, præcedat. Plurima quidem adhuc alia ſupereſſent de partu gemellorum dicenda, ſed hæc generatim dicta ſufficiant. Nam rem graviſſimam & parum exacte inquiſitam pauciſſimis hic delineare, ejus dignitas vetat: malo igitur eam reſervare in tempus, ubi ad illam ſerius pertractandam plus otii ſupererit.

§. LXXVI.

Propoſiti vero ratio nunc exigit, ut paucis exponamus phænomena, quæ partum naturalem deſcriptum ſequuntur. Et primo quidem loco quædam dicenda erunt de placenta, quæ medio uteri fundo accreta, eo in loco, ubi clavum poſuimus & fibras delineavimus ſpirales concentricas ibidem reperiundas (§. XLII.) ſponte ſeparata ab utero, fetum in mundum editum ſequitur. Qui enim mente agitaverit directiones fibrarum deſcriptarum, ſimulque attenderit ad vim, qua pollent arctandi vaſorum orificia,

is

is facile intelliget, qui placenta integra, agente univerſo plano muſculoſo, ab omni cum utero contactu liberari poſſit; radicibus nempe placentæ conoideis ex uteri ſinubus, quibus inſeruntur, nunc arctatis, quaſi excuſſis. Quod mirum quantum confirmatur experientia in iis præcipue caſibus, in quibus aliqua placentæ pars deprehenditur jam ab utero ſeparata, reſidua ipſi adhuc valide accreta & artificio obſtetricantis ſeparanda. Claro profecto argumento, valide utero adhucdum accretæ placentæ partem, extra ſphæram motus memorati plani muſculoſi hæſiſſe, alteram vero & jam ſeparatam egregiæ ipſius vi motrici auſcultaſſe ſubjectam.

## §. LXXVII.

Separata ſic ab utero placenta & ſponte ſecuta fetum vel leni tantum attractione per funiculum promota, ſtatim ſe contrahit uterus, roboris ſui muſculoſi teſtimonia luculenta edens. Hæc contractio cruoris ab initio ſinceri ac copioſi effluxum comitem habet, quem lochia vocant, quæ ſenſim quantitate imminuuntur, aliumque induunt colorem. Etenim dicta contractione comprimuntur vaſa & arctantur eorum lumina, ad quæ perpetuo accurſurum fluentum ſe fingit. Unde fit, ut ex eodem liquido tranſmittantur particulæ, quæ, cum luminibus vaſorum ſint proportionatæ, diverſi quoque coloris proinde ac molis erunt. Tandem ipſe uterus ex tanto volumine ſenſim redit in priſtinam, quam occupaverat, formam.

## §. LXXVIII.

A partu naturali, quem paucis hiſce deſcribere conati ſumus, aperta directaque via ducimur ad hiſtoriam partus difficilis ac præternaturalis. Hæc autem ambiguis & implicitis ſibi invicem ſemitis perplexa, adeoque prolixa eſt, ut jejuna etiam obliquitatum omnium enarratione cancellos nobis præfixos tranſilire neceſſe foret, ſi omnes determinare vellemus. Quapropter miſſis iis, quæ nos a ſcopo noſtro abducerent, præcipuam tantum tot graviſſimorum partuum cauſam perpendemus. Hæc ſemper in uteri a ſitu recto deviatione poſita eſt, quam ejus obliquitatem vocant.

## §. LXXIX.

Eſt autem obliquitas illa uteri prægnantis conditio, in qua ipſius axis longitudinalis ab axi imaginario (qui concipitur inter umbilicum gravidæ & os coccygis per mediam pelvim protenſus) ita recedit, ut cum plano imaginario horizontali (§. III.) faciat angulum minorem recto.

## §. LXXX.

Ut vero ſitus uteri recti, ſic quoque obliqui, a primo ſtatim conceptus momento dependet; licet diu admodum nullis ſignis appareat manifeſtis. Res facile intelligetur, ſi ea, quæ de uteri cavitate & puncto adhæſionis ovuli jam diximus, (§. XXIX. & XXX.) hic applicemus. Nam ovulum, quod in ſtatu naturali ferri debet ad punctum uteri medium per portionem cycloidalem debitam, vel per aliam curvam, motibuſque uteri perverſis generatam movetur, quo fit ut ad ſolitum vel naturale punctum uteri non dirigatur: vel in debita licet curva motum nimis acceleratur ultra debitum ac medium in fundo uteri punctum progreſſurum, niſi accedat alterum ovulum ex oppoſita plaga occurrens, quod vi contraria & æquivalente prioris motum tollat: vel in motu ſuo nimis retardatur, quo efficitur, ut ad medium uteri fundum non perveniat. Cunctis hiſce accidentibus ovulum non ad punctum uteri debitum dirigetur, ſed huic vel illi laterali, magis antico, vel poſtico, adhærebit emiſſurum placentæ rudimenta, quæ ſenſim in majorem creſcendo molem tantum pedetentim huic vel illi lateri uteri addent ſuprapondium, ut ipſe haud æquis libratus ponderibus e ſede ſua & ſitu recto reclinetur.

## §. LXXXI.

Haud equidem me latet, quantum huic meæ ſententiæ de adhæſione placentæ diverſis in utero locis, indeque pendentis obliquitatis uteri variæ adverſetur Illuſtris *Deventrius* [*k*] aſſerendo pro diverſa conſuetudine prægnantis collocandi corpus, etiam uteri ſitum variare. Sed ſi de veritate hujus ſententiæ ita certus eſt vir alias merito ſuſpiciendus, ut eos, qui placentam a latere vel prope orificium adhærere poſſe ſentiunt, *inſtar jumentorum piſtrinenſium cæcutientium in eadem ſemper recurrere veſtigia* aſſerere auſus fuerit; videant quæſo ii, qui in ejus ſententiam eunt, quomodo hoc aſſertum audax ipſa aliqua experientiæ ſpecie tueri queant? Indicent nobis fæminam prægnantem corpore viribuſque valentem adeo conſtanter eumdem ſitum corporis obſervare, ut a tali cauſa notabilis ratione ſitus uteri acciderit diverſitas? Si enim ſitus corporis ad ſitum uteri mutandum quicquam conferret, qui gravida certo alicui ſitui aſſueta ſex vel ſeptem partus poſſet edere vel plures ſucceſſivos naturales, ſolo demum octavo, eadem manente ſitus conditione, difficili vel præternaturali? Ut jam non addam, ipſam experientiam demonſtrare ſucceſſivam uteri inclinationem, adeo evidenter ex orificio uteri tactu examinato, cognoſcendam. Quare, cum certum ſit ex antea dictis, placentam in ſtatu naturali medio uteri fundo adnaſci, in præternaturali vero huic vel illi lateri ejuſdem, manifeſtum erit primo in caſu

[*i*] Nov. Lum. obſtetricant. cap. 9. p. 33-43.

caſu uterum ſic æquilibratum eſſe, ut axis ipſius a medio fundo perpendiculariter tranſeat per centrum orificii mediamque pelvim; in ſecundo vero, pro diverſa placentæ adnaſcentia, in diſtantia varia ab axe, uterum etiam variam neceſſario a pondere laterali acquirere obliquitatem. Unde aperte *Deventrius*, qui toties ad modeſtum lectorem verba ſua dirigendo modeſtiam in aliis laudare videtur, hancque virtutem nunquam ſatis commendandam in lectoribus requirit, haud parum ipſemet in eandem peccavit, adverſarios jumentis piſtrinenſibus comparando. Reſpondeant ſane, qui eum tueri conabuntur, ad tot & graves adeo difficultates, quibus ipſius ſententia premitur. Quis enim paulo cordatior poſſibile eſſe unquam putabit, tantam utero poſſe conciliari obliquitatem, ut fundus poſſet pervenire in locum ipſius orificii? Vel, quod effugii potius loco eſſet poteſt, quam vero ſententiæ tanto viro dignæ, placentam a fundo uteri delapſam orificio denuo ejuſdem agglutinari ulla parte poſſe?

## §. LXXXII.

Pendent ergo plurimi partus difficiles ac præternaturales ab obliquitatum uteri diverſis gradibus, quarum cognitio licet ardua, adeo tamen neceſſaria eſt, ut ſine lumine ullo in tenebroſiſſimis locis verſanti ſimilis ſit obſtetricans ipſa haud imbutus. Unde dolendum tantos adhucdum reperiri viros, qui lucidiſſimæ huic veritati ſophiſmata opponunt nullius ſane momenti, vel veram ejus theoriam negligunt præpoſtere. His itaque poſtpoſitis unice ſequimur illuſtrem Virum *Henricum* à *Deventer*, obſtetricantem inter batavos celeberrimum, qui, etſi veram obliquitatum uteri cauſam ignoraverit, prius tamen hoc aſſertum recte cognovit, ejuſque theoriam validis argumentis ſuffultam, innumeriſque exemplis illuſtratam condidit. Hunc proxime ſecutus eſt *von Hoorn* [*l*], vir imprimis fidus ac probus. Maximam vero præſtantiſſimæ arti lucem affudit Illuſtriſſimus *Friedius*, primarius obſtetricans juratus in ampliſſima civitate Argentinenſi *dexterrimus*, præceptor meus in arte obſtetricia pio ſemper cultu proſequendus; qui egregiis ſuis inventis adeo hanc artem promovit, ut immortales ei omnes boni & periti debeant laudes & gratias.

## §. LXXXIII.

Ne tamen in vaſtiſſimo dicendi campo, in quem mihi omnes obliquitatum uteri gradus determinaturo deſcendendum foret, a via recta deflectam, præcipuas tantum & ad quas reliquæ ab attentioribus facile referuntur, determinandas ſumam, illas diſtribuendo in tres claſſes, quarum prima ſub ſe continet eam uteri obliquitatem, in qua axis ipſius longitudinalis pelvis capacitatem reſpicit, totumque orificium in eamdem pro-

 ten-

[*k*] *Weh-Mütter. Stockholm und Leipzig*, *in* 8. 1737.

tenſum eſt. Secunda ſiſtit obliquitatem, in qua dictus axis margini ſupremo oſtii pelvis obverſus eſt, ac orificium dimidiam tantum ſuæ molis partem, ſive hoc vel illud labium in pelvis oſtium protenſum tangenti digito offert. In tertia denique claſſe axis uteri educitur ſupra marginem oſtii pelvis ſupremi, ita ut orificium totum abſcondatur a dicto margine, digitumque tangentem obſtetricantis etiam peritiſſimi vaginæ immiſſum ſurſumque truſum fugiat.

## §. LXXXIV.

In prima claſſe fetus ſolius naturæ beneficio naſcuntur, non tamen abſque difficultate majori, minorive, pro varia obliquitatis ſpecie. Illa enim uteri deviatio, quæ ipſius rectitudini proxima eſt, non tantam, ut quivis mecum ſentiet, pariendi producet difficultatem, quantam maximus obliquitatis ejuſdem claſſis gradus. In hoc etenim caſu $\frac{1}{4}$ ad minimum capitis fetus pars extra orbitam pelvis ſupremam hærens, ingreſſum ejus in pelvis capacitatem difficilem quidem reddet, ſed non impoſſibilem: dolorum enim efficacia unice in hoc obſtaculum directa, ſenſim ſenſimque minima capitis oſſi inhærentis pars urgetur ab ambitu verſus axin pelvis, donec integro cum capite ipſius capacitatem intret fetus lente progreſſurus per eamdem ob varia, quæ ipſi in itinere ſuo ex fricationis augmento occurrunt, feſtinandi impedimenta.

## §. LXXXV.

In ſecunda autem claſſe jam occurrunt cauſæ manifeſtæ difficillimi partus, ope tantum & arte obſtetricantis ſuperandæ. Ope dico, quoniam vires vitæ ſolæ non ſufficiunt partui promovendo. Arte dico obſtetricantis, quia, ſi (ut plurimi ſuadent) caput flectendo fetus in pelvis oſtium ſuperius dirigant, vanus non modo, ſed & exitioſus matri fetuique futurus ſit laboris exitus. Quid enim quæſo hic capitis fetus in pelvis oſtium deſcenſus matri fetuique proficiet? Retardatur enim fetus omni momento, & adeo non pellitur motu rectilineo juxta radios ad axin pelvis parallelos, quin potius caput cum reliquo fetu falcem referat, hinc maximo licet niſu pulſum vix tamen cedat promoveaturque. Præcipue quum aquæ, quarum auxilium imprimis hic requireretur, in ejuſmodi caſibus nimis cito effluant membranis ruptis; quare tum ob defectum præſtantis adeo mechaniſmi ſolum caput fetus aquis haud ſtipatum, acuminandum fingendumque ad orificii uteri ſectionem, id ipſum dilatare debet, quod quidem perficitur, ſed lente & haud abſque periculo, cui manifeſto mater fetuſque exponuntur. Tertio accedit huc, quod humeri fetus non raro eumdem occupent locum, cui prius caput inhærebat, haud exiguo futuri obſtaculi

ſtaculi loco in promotione partus. Ut adeo nihil dicam de inſigni mora capitis in cono, quem pelvis capacitas refert (§. IV.), in quo ipſum perpetuo magis magiſque retardatur; eritque retardatio ultimi motus, uti retardatio primi evecta ad potentiam, cujus exponens eſt numerus ſerierum retardationum, i. e. retardatio ultimi motus erit ferme infinita, fetuſque caput hærebit in pelvis iſthmo, nulla re amplius quam inſtrumentis promovendum.

## §. LXXXVI.

In tertia & poſtrema claſſe obliquitatum uteri, in qua ipſius axis ſupra marginem oſtii pelvis ſupremi ipſi utero oppoſitus eſt, facile quivis paulo attentior colliget, fetum eamdem cum uteri axi directionem ſervantem, & cum maxima capitis ſui parte in ipſum uteri oppoſitum parietem arietantem, eidem rupturam minari.

## §. LXXXVII.

Atrox hujus rei exemplum cum videre mihi contigiſſet, atque caſus rariſſimi a nemine, quantum ſcio, dilucide explicati deſcriptique varia accidentia animo contemplatus eſſem ſedulo, hujus potius ultimæ claſſis caſum pro ſpecimine academico ſelegi. Optarem tantum ut ſectionis anatomicæ deſcriptionem ampliorem obtinere potuiſſem; erunt tamen & ea pauca, quæ ex ore Experientiſſimi ac Humaniſſimi *D. Friedii* didici, notatu & attentione lectorum academicorum digniſſima.

## §. LXXXVIII.

En autem ipſum caſum. Menſe Martio Anni 1741. fæmina quædam in ultimis graviditatis diebus corripitur doloribus (non quidem veris illis partum maturantibus, ſed ſpuriis acerbiſſimiſque) in tranſverſum oſſium pubis decurrentibus, adnitendique impotentia ſtipatis. Junguntur hiſce doloribus ægram miſere vexantibus ſitis ingens, pulſus magnus, durus celeriſque. Vix accerſitus Illuſtriſſimus *Friedius* obſtetricans feliciſſimus, ut in adeo inopinatorum ſymptomatum cauſam inquireret, cum ſtatim in ingreſſu cubiculi ægrotantis illam invaderet horripilatio cum ſiti inexplebili, ad quam reſtinguendam frigidæ hauſtum ardenter deſiderabat, quæ quum ipſi porrigeretur, continuo poſt vomitum materiæ mucidæ flaveſcentiſque copioſum paſſa eſt, inſequente vomitum placida corporis animique tranquillitate, vix tamen per tempus conſideratione dignum durante. Priſtinas enim mox denuo movebat querelas parturiens de crudeliſſimis doloribus oſſium pubis regionem percurrentibus, modoque ardentibus, modo ſcindentibus, quos rurſus ſequebantur vomitus materiæ primum flaveſcentis, mox in atro-fuſcum colorem mutatæ degenerantes cum crebris animi

ſupervenientibus deliquiis. Vomitus vero abſque apparente nixu, aperto ſolum langueſcentis ægrotæ ore, ac capite ad alterutrum latus ſine molimine ullo reclinato, fiebant; donec tandem ipſa parturiens ſine prægreſſo tremore aut tendinum ſubſultu, ceu convulſionum prodromo, placide obdormiret.

## §. LXXXIX.

Sectione anatomica per ſolertiſſimum Anatomicum *Hummelium* peracta, ſequentia viſui ſeſe obtulerunt notatu digniſſima. Muſculis abdominalibus inciſis & aperto abdomine in conſpectum prodiit ſtatim magna liquidi ſanguinolenti copia, totam abdominis capacitatem replens ſingularemque odorem ſpargens, ſimilem odori placentæ recens ex utero prodeuntis; huic liquido innatabat fetus ſitum obtinens maxime ſingularem. Nam dimidia capitis pars abſcondebatur utero inferius ac ſupra marginem oſſium pubis, magiſque ſiniſtrorſum rupto; univerſus vero reliquus fetus per dictum vulnus in abdomen ejectus uteri externam & anteriorem faciem obtegebat, dum femur ipſius dextrum dictam uteri faciem tranſverſim ſecabat, ipſius ſiniſtri pedis digiti inflexi ſuperiora abdominis, talus vero inferiora reſpiciebat. Et quod mirum attento videbitur, ipſa placenta per vulnus egreſſa ex utero in abdomine, atque ab omni cum utero contactu libera reperta erat. In fetu ipſo nulla aderat difformitas, neque alia quævis partium diſproportio; quemadmodum neque in pelvi demortuæ, neque ullibi, tam ratione compagis, quam vero capacitatis, vitium repertum erat.

## §. XC.

Uterus ipſe e cadavere exemtus ſollicite, ac examini anatomico ſubjectus, fundi ejus ac laterum craſſitiem inſignem poſſidebat, dum tamen ſimul ad locum rupturæ adeo tenuis eſſet, ut vix unam alteramve lineam craſſitie ſua æquaret. Orificium ipſius itidem in inſignem craſſitiem tumebat, ac ſubſtantiæ tantumnon carneo-cartilagineæ eſſe videbatur. Ipſe exitus vaginæparteſque genitales exteriores nitido, duro tumore ſplendebant. Fuerat autem defuncta non primipara, ſed paucis ante fatalem diem annis partum paſſa admodum difficilem.

## §. XCI.

Ex quibus jam ſubito apparet, omnium fatalium ſymptomatum cauſam neque in diſproportione partium, neque in præpoſtero ipſarum nexu, ſed unice in uteri fetuſque funeſta obliquitate quærendam eſſe.

§. XCII.

## §. XCII.

Quoniam vero haud quævis uteri obliquitas ei in partu rupturam inferre poteſt, inquirendum nunc erit in tantam obliquitatem, cui rupturæ cauſa efficiens ſufficienſque merito adſcribi poſſit.

## §. XCIII.

Nulla eſt inter omnes obliquitates gravior & periculi plenior illa, quam ſupra (§. LXXXV.) memoravimus, nulla quæ rupturæ efficiendæ aptior. In hoc etenim caſu uteri axis totumque orificium ejus patent ſupra orbitam pelvis ſupremam, ita ut fetus dolorum vi & impetu neceſſario impellatur cum tribus capitis ſui partibus in ipſum uteri parietem oppoſitum, reſidua $\frac{1}{4}$ parte capitis dimovendo oſſi, cui inſiſtit, impenſa. Talem vero in noſtro caſu fetum obtinuiſſe ſitum, ocularis inſpectio uteri rupti declaravit, veroſimillimumque eſt, uterum prægnantis ſpinæ dorſi ita admotum fuiſſe ac dextrorſum paullum inclinaſſe, ut fetus ſupra eminentem curvaturam (quæ generatur ex concurſu tumentis originis oſſis ſacri & ultimæ vertebræ lumborum cum interpoſita his utriſque cartilagine) tanquam ſuper clivum pergens, capite ſuo oſſi pubis ſiniſtro appreſſus fuerit, maxima capitis parte ſupra marginem oſſis dicti detorſa, reſidua vero oſſi directe obverſa.

## §. XCIV.

Hoc autem modo fieri non poteſt, quin ſubſtantia uteri, caput fetus inter & os ipſum intercepta inſigniter extenuetur. Ponamus enim uterum propellere fetum centum momentis, reſiſtentiam vero ipſi propellenti opponi duplam momentorum ab oſſe, cui is cum aliquota capitis parte innititur, tum adeo non movebitur fetus, ut potius ipſe uterus, potentiam inter atque reſiſtentiam interceptus, mutationem pati cogatur æqualem ſummæ momentorum, quibus ſi ſubtrahas id, quod in mutandam capitis mollis ac compreſſilis figuram abſumitur, reſiduum deſignabit quantitatem extenuationis uteri.

## §. XCV.

Preſſio igitur hæc capitis in uteri ſubſtantiam, illam ſumme attenuare valet, nunquam tamen integerrima ſolutio continui hinc orietur. Nam in minima etiam uteri craſſitie erunt puncta cohærentia, quæ a mutuis nexubus ulterius non ſeparabuntur ob ſuperficiei tenuitatem, vel ob capitis irruentis mollitiem cum aucta ſic planitie: oportet itaque ut his accedat ultimum elementorum nexum cito ſolvens cauſa.

§. XCVI.

## §. XCVI.

Caput nempe fetus ſupra marginem oſſis pubis ſiniſtri protuberat, ita ut uterum eo in loco ſurſum elevet & trochleæ ad inſtar inſerviat fibris ſupra eamdem dirigendis. Quantum igitur uteri pars ea, quæ ultra fetus caput eſt, ab axi ob eminentem hunc tumorem recedit, tantumdem fibræ dicti lateris, urgentibus denuo doloribus, plus extenduntur, dum ex ſitu rectilineo coguntur expandi in curvilineum, eruntque dictæ fibræ diſtractæ a mutuis nexubus in ea ratione, quæ eſt arcus ad chordam, & cum omnis diſtractio fibrarum producat debilitatem in iiſdem, ideo hinc quoque, memoratæ fibrarum debilitati accedente omni momento premente a tergo vi, continuo creſcet fibrarum debilitas.

## §. XCVII.

Concipiamus jam in loco, in quo caput fetus hæret, uteri ſubſtantiam tanquam claviculis innumeris quibuſdam affixam eſſe, quibus alligatæ fibræ elaſticæ fixæ hæreant, locoque haud variabili, dum interea trahuntur per appenſum pondus æquale fetus ponderi, vi uteri accelerati verſus partem contrariam. His poſitis, non poterunt profecto diſtractæ hoc modo fibræ ab inſigni pondere fetus, validis adeo viribus acti, non ab eodem ſuperari, atque tandem eo in loco rumpi, in quo maxima tractionis vi ſollicitantur. Eſt vero ille locus, ut aliis experimentis phyſicis patet, in extrema parte fibrillarum claviculis immediate annexa; ibi enim applicatur vis maxima, nempe ponderis & ſummæ tractionis elementorum reſpectivorum. Quando vero fibræ trahuntur ſecundum longitudines ſuas, cohærebunt in ratione craſſitierum: Quare eædem rupturæ omnium proximæ erunt eo in loco, in quo ſub minima craſſitie diſtrahuntur fortiſſime. Id contingit, quando caput fetus vi propulſum ſubſtantiam uteri, inter ipſum & marginem oſſis pubis ſiniſtri interceptam, continuo minuendo, eoque, quo minutiſſimæ jam fibræ ſunt, loco vim tractionis maximam applicando momentum cohæſionis ſuperat, orieturque neceſſario ibidem in utero ruptura, quam non parum adjuvat ipſe fetus, cujus flexiliſſima vertebrarum dorſi columna inter duo quaſi prela compreſſa in arcum aſſurgit perpetuo majorem, qui fibras ſimul uteri in ſimiles curvaturas expellendo, earumque terminos ſic fortiter ad ſe mutuo trahendo, ad rupturam in utero maturandam haud parum facit; ut & experimenta demonſtrant, quibus fibram longam ſub eadem cum breviori craſſitie multo citius divelli compertum eſt. Neque ſane exiguum tempus requireretur ad uterum dilacerandum, niſi fibrarum in curvaturas ſenſim majores converſio, earumque ſic aucta longitudo, & ad locum preſſionis ipſarum continuo imminuta craſſities, tempus, quo alias ſuperandæ forent, inſigniter diminuerent.

§. XCVIII.

## §. XCVIII.

Sufficiat nobis hiſce locum determinaſſe ac modum, quo uterus rupturam pati poſſit. Nam, cum ſummi viri in re Mathematica & Phyſica cohæſionis cauſas, gradus & vires determinare ita præciſe neſciant; neque fibrarum uterum componentium actiones, directiones & celeritates, nec minus momenta, quibus utero pellenti reſiſtunt, comparari inter ſe poſſint: malo me tanto negotio non immiſcere, donec certiora experimenta & labores ſolertiſſimi magnorum virorum me de hiſce rebus plura forte aliquando docebunt.

## §. XCIX.

Animus erat aliquot rupturarum uteri exempla hinc inde apud obſervationum ſcriptores occurrentia cum noſtro conferre caſu, eaque ſedulo annotare, quæ in iiſdem, tam ratione loci, in quo ruptura contigerat, quam etiam cauſæ diverſæ ejuſdem ac ſymptomatum diverſorum eruere poſſem. Sed adeo perfunctorie pleraque ſcripta eſſe reperii, ut exiguos admodum profectus ex iiſdem haurire mihi licuerit. Si enim in genere excipias ſolummodo hæc quatuor ſequentia, quæ ex iiſdem elici poſſunt, cætera omnia adeo manca & breviter ita conſcripta ſunt, ut nihil certi de eorum circumſtantiis aſſerere audeas. Sunt autem hæc 1. ſubſtantiam uteri in loco rupturæ fuiſſe tenuiſſimam. 2. Ora rupturæ ſemper fuiſſe corruptela quadam vel ſphacelo vitiata. 3. Rupturam frequentiſſime fieri circa uteri cervicem. Et 4. fundum uteri & latera ejuſdem plerumque inſigni craſſitie prædita viſa fuiſſe. Hæc enim ſola ſunt, quæ ex variis admodum ac a ſummis viris conſcriptis exemplis haurire potui. Solent enim plerumque authores, & quidem haud parvi ſæpe nominis, obſervationes ſuas magno artis detrimento ad ſtuporem potius apud ignaros excitandum, quam vero ad lectores ſuos ingenue inſtruendos accommodare: liceat nobis ex quamplurimis duo tantum horum exempla referre. *Gregorius* [*m*], celeberrimus apud Pariſienſes obſtetricantium magiſter illuſtri Regiæ Societati Scientiarum exemplum refert uteri rupturæ, per quam egreſſus fetus ipſi utero pedibus divaricatis inſtar equitis inſidebat, ſolius hujus exempli inter ſedecim, quæ ſpatio triginta annorum ſe obſervaſſe aſſerit, ita memor vix verbum addidit de cauſa iſtius rupturæ vel de circumſtantiis amplioribus, quas alias ſectio anatomica manifeſtare ſolet, multo minus de ſymptomatibus, quibus femina parturiens affligebatur, in omni obſervatione conſcribenda adeo non reticendis: parum pro more illuſtrium hujus Academiæ ſociorum, qui nobis tot reliquerunt obſervationum accuratiſſime ſcriptarum & obſervatarum nunquam intermoritura exempla. Alterum eſt celeberrimi *Heiſteri* [*n*], qui deſcriptionem rupturæ



[*m*] Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, l'année 1724. p. m. 52.
[*n*] Act. phyſico-med. Acad. Cæſar. vol. I. annus 1727. p. 397.

uteri parum pro rei gravitate exactam exhibuit, ita ut mirum non ſit, ſi parum conſideratis perpenſiſque cauſis & circumſtantiis hujus caſus, in ridiculum adeo inciderit commentum, ac eſt ſphacelus novimeſtris uteri, magnum tamen robuſtumque fetum uſque ad geſtationis ultimum tempus alere valentis. Certus enim ſum, virum hunc celebrem & inter anatomicos ſumma cum laude recenſendum, ſi circumſtantias omnes, quas ſectio anatomica manifeſtavit, accurate examinaſſet, præcipueque attendiſſet ad ſitum fetus aptiſſimum prorſus utero ſphacelo repente vitiando, non potuiſſe non in veram, naturalem atque mechanicam cauſam hujus ſphaceli incidere, ſicque rem omni miraculo carentem non ipſemet invenire quam clariſſime.

§. C.

Sed ut ad noſtrum caſum redeamus, a quo paulum digreſſi ſumus, illud aliquanto clarius determinari poteſt, cur per dictam rupturam fetus pedibus, mox dorſo cum pectore & dimidio capite egreſſus fuerit? Supra enim memoravimus (§. XCVII.) fetum durante fundi uteri actione adeo inter duo quaſi prela comprimi, ut flexile ejus ac compreſſile dorſum aſſurgat in eminentem arcum, ſenſimque creſcentem omni momento. Et hæc compreſſio adeo cauſa eſt, ut fetus, ultimam tandem uteri efficaciam expertus cum corpore ſuo in ſpæroidicam figuram coacto ac parieti antico uteri oppoſito & cedenti valide appreſſo, per largum infra ſecutum vulnus ita inverſus & pernici cum celeritate expulſus fuerit: capite interim prope os, cui inhærebat, remorato, & ſupra lævem oſſis pubis faciem ita volubili, ut ſimul reliquo fetui ſupra eandem volutando ejaculandoque in abdominis cavum commodum præſtiterit fulcimentum.

§. C I.

Immo, quod incauto magis ſtupendum eſſe videbitur, placenta quoque per dictam rupturam in abdomen egeſta eſt. Nihilo tamen difficilius hujus phænomeni ratio ex præcedentibus erui poteſt. Nam id vi uteri elaſtica, qua ejaculato in abdomen fetu in ipſam placentam continuaverit, factum eſſe, facile colligitur. Cui rei licet objiceret aliquis, placentam in noſtro caſu extra ſpæram motricem plani muſculoſi fundi uteri poſitam (XLII. & LXXVI.) ipſi firmiſſime potius adhæſuram, quam vero fetum ſecuturam eſſe (quemadmodum in partu difficili haud raro accidere ſolet, in quo fetum adeo non ſequitur, ut potius dexterrimi obſtetricantis manu in uterum ducta ab ipſo caute ac artificioſe deglubenda & extrahenda ſit). Attamen merito hiſce reſpondemus, maximam intercedere differentiam inter motum uteri integri & motum ejuſdem rupti. In integro enim eſt terminus fixus, in quo fibræ contractæ quieſcunt omnino. Nam poteſt fibrillarum minima conſiderari tanquam latus polygoni infinite parvorum laterum, & ſe contrahet quævis fibra tenſa in tantum, quantum ultimum latus polygoni dicti permittet,

quod

quod ex natura infinite parvorum pro recto ideoque breviſſimo haberi poteſt. Hinc neceſſario fieri debet, ut placenta extra ſphæram motricem memorati plani muſculoſi hærens inſigniter quidem ab utero, in præfinitum quendam terminum contracto, comprimatur, ſed non ſeparetur; dum in utero rupto fibræ a terminis quieſcentibus ſolutæ eodem defungantur munere, ac fibræ dicti plani muſculoſi uteri integri, atque hoc modo ſumma cum velocitate adnatam in vicinia pellant placentam & ejiciant.

## §. CII.

Quoad reliqua tandem phænomena, quæ anatome defunctæ exhibuit, haud minus præcedentibus expeditior erit eorum cauſarum explicatio; uti ſemper, ſemel vera cauſa detecta, concomitantia ſymptomata & effectus facile pateſcunt. Erat hic ſingularis orificii uteri intumeſcentia & durities ſubſtantiæ carneo-cartilagineæ, vix alias occurrens: cujus ortum & cauſam facile intelliget is, qui uteri fabricam comparaverit cum legibus, quas ſequuntur corpora flexilia magiſque compreſſa. Eſt enim hæc orificio uteri nata intumeſcentia & durities effectus productus ab uteri compreſſione & niſu in orificium, quæ uterum in uno loco extenuare, in altero vero craſſiorem reddere neceſſario debuerunt. Hanc compreſſionem ſimul juſte accuſamus tanquam cauſam prædiſponentem ad uteri rupturam. Scimus autem quod preſſio, quæ fit in plano ex fibris flexilibus compoſito, a corpore lata cum ſuperficie impingente, ſuaque preſſione partium minimarum cohærentiam ſuperante: quod, inquam, preſſione illa fibræ introrſum ut cedant neceſſe ſit, vel extrorſum, quoniam nihil eſt quod reſiſtat. A partibus vero introrſum cedentibus imminuitur craſſities; cum contraria ratione partes extrorſum cedentes lateraliter in proxime adjacentes ita irruant, ut vicinæ hiſce non æque cito cedentes primis validius propiuſque apprimantur; hinc a punctorum plurium contactu validiori corpus etiam validius denſatur. Pari modo gluten ultimas fibrillas nectens hac ratione condenſatum, majori eaſdem trahendi vi pollebit. Quocirca, cum inter cartilaginem & carnem non niſi multiplicatarum ſuperficierum cohærentium i. e. firmitatis interſit differentia, facile perſpicere licebit, quomodo fungoſa caro orificii in cartilagineam ſubſtantiam, vel ſaltem tali haud abſimilem denſari potuerit. Nec alia ratio eſt tumoris duri, nitidique partium genitalium externarum, licet circa has ratio virium cauſæ, ob majorem a ſphæra preſſionis diſtantiam, inſigniter decreſcat.

## §. CIII.

Optandum eſſet ut prædictorum ſymptomatum cauſæ aſſignari poſſent ſubſidia magnitudini mali paria. Sed proh dolor! ipſa cauſa (§. XCIII. XCVIII.) indicat nullum par hiſce malis eſſe auxilium, nullam denique artem obſtetricantis quicquam poſſe. Nam ruptura tandem eſt effectus funeſ-

tiſſimi ſphaceli in loco rupturæ orti, cui quis unquam auſus eſt promittere auxilium? niſi qui ſphaceli uterini hiſtoriam nunquam ſatis apud ſe perpenderit. Unicum tantis in malis ſolatium eſt, ut in iis præcavendis citiſſime omnia molimina egregiæ artis impendamus, quæ ferme nulli dignitate & utilitate cedit. Hæc enim eſt, quæ valet reſiſtere armatæ doloribus contra ſua viſcera matri: hæc eſt, quæ puerum dirigere ipſumque coërcere noſcit, ne in propriæ matris ſuæ viſcera ruat. Hæc eſt, quæ ſalvatum vivumque eundem demum ac efficaciſſimæ artis veriſſima teſtimonia viva voce edentem omnium conſpectui exhibet. Quod univerſum negotium tantum pendet a prudenti ſolertique verſione fetus juſto adhuc tempore maturanda; nec non leni collocatione ejuſdem ad facilem citamque extractionem, variiſque *πολυμηχανίας ἐγχείρεσι* obſtetricantis periti dirigendam. Quibus cunctis optata tandem deſiderataque attingitur meta.

TANTUM!

QUÆS-

LXXXIV.

# QUÆSTIO

## *MEDICO-CHIRURGICA,*

*Quam Præſide*

## JAC. BENIG. WINSLOW.

*Tuebatur*

## GUILL. RUELLAN

*DINANNÆUS.*

*Sub hac verborum ſerie,*

AN AD SERVANDAM PRÆ FETU MATREM, OBSTETRICIUM HAMATILE, MINUS ANCEPS ET ÆQUE INSONS, QUAM AD SERVANDAM CUM MATRE FETUM SECTIO CÆSAREA?

Pariſiis 24 Junii anno 1744.

# I.

PAriendi difficultas communis omnibus, diſpar in ſingulis, levior his, illis gravior, extrema nonnullis, quibuſdam ineluctabilis, imo nec ſola manu, nec ullo umquam medicamine ſuperanda. Poſtrema hæc parturienti fetuique infenſa, modo utrique, alteri ſubinde magis, minus alteri, exitialis. Cauſæ multiplices; aliæ parturienti moleſtæ, fetui aliæ; in fetu moles univerſi corporis, ejuſdem vel capitis abdominiſve hydrops, partium majorum numerus inſolitus, &c. In parturiente, oſſium innominatorum conformatio prava, ſymphyſium oſſeæ pelvis durities, coccygis incurvatæ renixus, orificium uteri ſtrictius; partium vicinarum tumores, &c. Verbo, qualiacumque pariendi ac naſcendi impedimenta ſive obſtacula; quibus annumerare licet mortuum in parturiente viva fetum, mortuam fetu nondum extincto matrem. In caſſum huc referri memoratas ſymphyſes forte ſuſpicaris, eadem in partu laxari negantium opinioni favens? Chirurgos urbis peritiores conſule; expertas obſtetrices interroga; teſtes oculatos examina. Non ita pridem in ſcholis medicorum Pariſienſium, Clariſſ. *D. Bouvard* exquiſitiſſima Theſi publica, & ſimul e ſuggeſtu monſtrata fæminæ ex partu demortuæ oſſea pelvi recentiſſima, id ſatis ſuperque comprobaſſe memento. Anteriora ſcholæ noſtræ doctorum monumenta itidem ſcrutare. At omnium inſtar tibi ſit priſcum fidumque ejuſdemque ſcholæ oraculum, experientiſſimus *Riolanus*: „ Fateor quidem, inquit, in viris „ cartilagineam copulam oſſium pubis duram eſſe, quæ tamen ſi culter per „ copulam exacte ducatur, nullo negotio ſeparatur. At in mulieribus, „ mollior eſt, & in gravidis ante partum unctuoſo humore imbuta, craſ- „ ſior apparet". Citatis deinde *Jac. Sylvio*, *Fernelio*, *Spigelio &c.* idem teſtantibus: „ Sed quid opus eſt, pergit, teſtibus in re tam manifeſta. „ *Sola* experientia fidem faciet. Sæpius atque *Pluſquam Trigeſies* in mulieri- „ bus a partu extinctis, vel paulo ante enixum, *Vidi* præſentibus medi- „ cis & chirurgis, cartilaginem quæ oſſa pubis colligat, minimi digiti la- „ titudine diductam, ita ut hiulca pubis oſſa apparerent, ſi digito *intus* „ attrectarentur. Quod etiam ante diſſectionem cadaveris innoteſcebat, uno „ crure ſublato; ſic enim oſſa pubis mobilia deprehendes, unumque alteri „ ſuper-eminere. Atque anno 1631 menſe Januario, cum publicam ana- „ tomen adminiſtrarem mulieris, quarto die a partu ſuſpendio ſtrangulatæ, „ præſentibus ac ſpectantibus trecentis auditoribus, in ſcholis medicorum „ demonſtravi, commiſſuræ oſſium pubis interjectam cartilaginem digiti „ latitudine laxatam; quin etiam *oſſis ſacri cum oſſibus ilium commiſſuras* „ *mobiles* admodum ſcalpello tenuiſſimo facile ſeparavi. ( *Anthrop.* l. 6. c. „ 12. *ed.* 1649. ) Hæcque ſymphyſis ( *inquit in Comment. de oſſibus* ) in „ viris atque mulieribus non adeo eſt ſtricta atque volunt recentiores, ut

„ diri-

„ dirimi nequeat, niſi vi adacto ſcalpello; nam qui commiſſuram exacte „ deprehendere poteſt, ſcalpello acutiſſimo, cujus dorſum æquale ſit aciei, „ facillime ſeparabit, tam in viris quam in mulieribus". Verum, ut unde receſſum, revertamur, in deſperatiſſimo ac deplorando parturientium ſtatu, ubi nec ſolæ manus, nec qualiacumque pharmaca ſolari poſſunt, ecquid auxilii? Binæ dumtaxat in univerſum, tanquam anchoræ ſacræ, hactenus innotuere encheireſes, obſtetricium armatum ſeu hamatile, & Cæſarea ſectio.

## I I.

Encheireſeon memoratarum prior, *Embryulcia* a compluribus appellari ſolita, reſpectu habito ad vocabula Gallica, *crochet*, *accouchement par crochet*, obſtetricii hamatilis ſive armati potius titulum meretur. Organum hujus præcipuum uncus eſt, hamo majori æmulus, inſtrumentis aliis, partim auxiliariis, ſuccedaneis partim, ſubinde ſtipatus. Variam unci formam varii excogitarunt. Antiquiſſima ſimplici unco perſimilis. Roſtrum unci diverſe fabricarunt periti ſequiores; magis minuſve inflexum alii; alii verſus cuſpidem latius; nonnulli ibidem foraminulo pertuſum; quidam rima patentiori fiſſum. Collum unci longius breviori præſtare iterata poſtmodum experientia docuit. Primarii hujus organi inſtrumenta auxiliaria, cultelli varii, tum recti, tum diverſe falcati, imo annuli perexigua cuſpide falcata artificioſe muniti, aliaque ejuſmodi ferramenta. Succedanea varia varii protulerunt, varieque prætulerunt; v. g. tractorium orbiculare *Mauriceau*, marſupium reticulare *Amand*, cochlearia gemella *Palfin*, forcipes feneſtratos *Meſnard*, uncos odontoïdes *Peu* &c. Altera deſperato partui dicata encheireſis, titulo ſectionis Cæſareæ inſignita, ſimpliciori vocabulo *Gaſtrotomia* nuncupari poſſet. Tranſeat longa nominis diſquiſitio hiſtorica. Silentio tamen forte non eſſet prætereundum, ſcriptorem germanum *Schmit* illud ſutori, cui Cæſar nomen erat, & qui primus in uxore ſua morti proxima extremum hoc auxilium felici eventu arripuit, attribuere. Inſtrumenta huic inſervientia quam maxime ſimplicia, nec alia fere quam quæ vulneribus integumentorum abdominis communiter adhiberi ſolent, v. g. novaculæ, ſcalpelli, ſpecilla, acus, fila, linteamina, faſciæ &c. Nullæ hic inventiones novæ. En primum encheireſeon iſtarum diſcrimen. Secundum oſtendet uſus earumdem expoſitio, ut, ſi alteram fetui vivo fere ſemper, nec raro parturienti vivæ nocuiſſe, altera vero & fetum & matrem una ſuperſtites ut plurimum evaſiſſe conſtiterit, iſtam non minus anceps nec æque inſons in tali caſu remedium eſſe, quam hancce, legitima concluſione cenſeri poſſit.

## I I I.

Uſus obſtetricii hamatilis, ſeu *Embryulciæ*, primævus erat fetum mortuum,

tuum, miniſterio ſolarum manuum nullatenus cedentem, unco hanc vel illam capitis partem &c. penetrante extra ſinum vivæ matris eliminare. Aliquo deinceps tempore hos intra limites uſus ille conſtitit, minoribus præcipue fetibus extrahendis apprime ſufficiens. Cæterum hocce nec majores fetus educi, nec varia etiam minorum obſtacula tolli poſſe experti, aliis inſtrumentis viam unco paraverunt, amputando partes molem augentes, findendo cranium, ut evacuato cerebro vel ſero minueretur caput, pertundendo ventrem hydropicum, ut effluerent aquæ. Remotis ita impedimentis ejuſmodi, moles reliqua unco, fere veluti hamo piſcis, excutiebatur facillime. Invaluit poſtea in tali caſu uncorum uſus, varie tamen, uti dictum, ad varias utilitates aptatorum: felici quandoque ſucceſſu a vere peritis, fœminei corporis ſtructuræ gnaris, in obſtetricio frequentiſſime verſatis, probitate ac prudentia claris adhibitus. Quot etenim parturientes miſeras trunculento obſtetricio hamatili mactaverunt imprudentes atque impudentes ſcioli, qui fetum mortuum aut vix ſemianimem diſcerpendo vivam matrem funeſte vulnerarunt; uterum lacerando, fodicando veſicam, inteſtinum rectum lædendo, aliaſque vicinas partes cæcis & errabundis tentaminibus inhumaniter carpendo? Quot nondum extinctos necavere fetus, eoſque proinde, quod imprimis horrendum, ſacro, ſine quo nullus ad vitam æternam aditus, baptiſmali lavacro orbarunt? Aurea hac de re monita Clariſſimi *D. Heiſteri*, ex locupletiſſimo ac doctiſſimo ejuſdem tractatu chirurgico propriis tranſcribi verbis merentur: „ *Oportet autem* (inquit, p. m. 1061.) *hic ante omnia, & quam fieri poteſt diligentisſime*, „ *vere-ne jam mortuus, an vivus adhuc infans ſit, explorare*, ne vivum adhuc infantem temere ac præmature in partu difficili ferramentis aggrediamur, eumque ſic vel interficiamus, vel ſaltem graviter lædamus ac laceremus. Atque id ipſum magis etiam ideo, *quia maximam partem incerta* „ *ſunt atque fallacia, quæ proponi communiter ſolent, dijudicationis hujus in utero judicia:* præſertim ſi vel in axillam, vel in clunes, vel in dorſum, „ vel in alterutrum capitis latus converſus eſſe infans deprehenditur; ſiquidem his in partibus vel nulla omnino, vel ſaltem perobſcura & incerta vitæ fetus in utero ſigna ſeſe oſtendunt; ita ut facile mortuum „ exiſtimemus, qui tamen adhuc vivit, licet ſæpe valde jam a partu diuturniori ſit debilis. . . . Ut ne quid (p. 1062.) enim hic diſſimulem, „ fateri omnino cogor, memetipſum olim, hoc atque aliis ſignis aliquando inductum, infantem aliquem pro emortuo habuiſſe, ac proinde velut „ emortuum eduxiſſe; quem tamen vivum poſtea adhuc exſtitiſſe cognoſcebam. . . . Similiter (pergit, p. 1069.) Chirurgi etiam atque etiam „ hortandi ſunt, *ne inſtrumenta prius admoveant, quam de fetus in utero* „ *hæreſcentis morte fuerint certisſimi.* Vix enim abſolvi ab imprudentiæ, „ negligentiæ, imo crudelitatis vitio chirurgi illi poſſunt, qui fetum adhuc „ vivum atque diſcerptum vel dilaceratum ex utero protrahunt". Eadem

ingenuitate peritiſſimus olim in hac arte *D. Peu* fatetur ſe quamplurimis una concurrentibus ſemel deluſum fuiſſe ſignis demortui ac putreſcentis fetus, quem tamen poſtea vivum reperit. Itaque cum non raro fetus extincti ſigna, quæ credita erant certiſſima, etiam ſagaciſſimos & experientiſſimos quandoque fefellerint, itidem non raro necat inſontes fetus obſtetricium hamutile: cumque compertum ſit, idem non raro evenire poſſe, imo eodem varie, quamvis inopinanter, lædi poſſe matrem; ſatis patet nec raro anceps, nec ſemper inſons id eſſe remedium. Verumtamen de aliis obſtetricii armati inſtrumentis ad viventes educendos fetus excogitatis mitius judicium. Scrupulum nihilominus injicere poſſet ingenui, probi, periti, ac mox laudati chirurgi uncus odontoïdes, propterea quod, licet in eum præcipue finem, ne ſacro fonte privarentur miſelli fetus, ſe illud excogitaſſe, ſeque illo, quamvis interdum laborioſiſſime, vivos ut plurimum eduxiſſe fetus, ad ædem ſacram deinceps feliciter deportatos, abunde teſtetur; attamen eorum quoſdam ex inflicto vulnuſculo, ut ut inde curato, poſt aliquot dies imo ſeptimanam integram obiiſſe fatetur. Cæterum ſi hic operandi modus culparetur, hunc etiam ſe deſerere declarat vir erga religionem & utilitatem publicam egregie animatus. Commodiora eumdem in finem ferramenta bina, cochlearibus oblongis minuſque latis haud abſimilia, chirurgus Gandavenſis *Palſin*, paulo ante ſuprema publicavit. Illa ſine ſucceſſu adhibita Clariſſimus *D. Heiſterus* emendare ſtuduit, ſed, ut ipſemet fatetur, non ſuccedente negotio. Feliciſſimo interea ſucceſſu eadem ingenioſe transformavit peritiſſimus & in hoc opere exercitatiſſimus chirurgus *Gregoire*; qui duodecim annorum, & quod excurrit ſpatio, ultra ſeptuaginta fetus orco fere proximos, illorum ita aptatorum ope liberavit ac vivos in lucem protraxit. Quæ imitatione qualicumque in tractatu chirurgico *Meſnard* delineata videntur, neque artificium, nec facilitatem, imo nec ſimplicitatem variis uſibus accommodatiſſimam inſtrumenti Gregoriani referunt.

## IV.

Sectionis Cæſareæ ſive gaſtrotomiæ primævo tentamini anſam dediſſe fertur vivum e defuncta matre fetum eruendi, vivumque ſervandi ſpes avidiſſima temere non minus quam audacter concepta. Optato temerarii auſus eventu edocti poſtea ſapientiores ſectionem illam in ſimili caſu, ſpeque non minori, majori vero prudentia, a peritioribus adminiſtrari poſſe, imo debere, cenſuerunt. Quot ab inferis per eam deinceps ereptos eſſe infantes, non fictæ, ſed veræ teſtantur relationes? Ea vero rarius abhinc adminiſtrata, vel demum fere neglecta, quot vivorum fetuum una cum matre mortua funerationes, quotque proinde, quod magis lugendum, fontis ſalutiferi privationes æternum funeſtæ? Huc cedro digniſſima *Riolani Magni*

dictata

dictata referre expedit : ,, Eſt enim, (inquit, Anthrop. l. 6. c. 8.) res ,, magni momenti ad humani generis conſervationem ſcire, an cor in fetu ,, propria vitali facultate præditum moveatur ? Quæ ad medicum, juriſ- ,, peritum, & Theologum pertinere videtur. Nam ſi cor in fetu vitali fa- ,, cultate præditum moveatur, per aliquod tempus poteſt vivere, quo ,, temporis ſpatio extinctæ matri fetus adhuc vivens, ſecto utero eripi po- ,, teſt ſalvus & incolumis... Eſt enim inhumanum, poſt obitum matris, ,, fetui pereunti & ſuffocari parato, auxiliares manus denegare, & ſæpe ,, viventem adhuc cum matre mortua eodem tumulo contegere & obruere. ,, Idcirco *Juriſconſulti* eum necis reum damnant, qui gravidam ſepelierit, ,, non prius extracto fetu, quod ſpem animantis cum gravida peremiſſe ,, videatur. Intereſt quoque *Theologo* ſcire, an cor in fetu moveatur, ut ,, extinctæ matri ſuperſtes Baptiſmi particeps fiat, & ad cælos rediens, in ,, beatorum ſedibus Dei conſpectu fruatur ; quia nunc Pariſiis conſuevi- ,, mus in moribundis, atque etiam mortuis gravidis, ſi digito .... ca- ,, put infantis .... deprehendatur, aqua benedicta aſpergere, vel digito ,, intincto rigare, prolatis verbis Baptiſmi .... Deinde ſi contingat mulie- ,, rem nono menſe gravidam morbi violentia perire, vel in ipſo pariendi ,, conatu convulſionibus enecari ; ſi parentes, amici, conjux prolem de- ,, ſiderent, conſuevimus ſtatim atque extincta eſt mater, ex medicorum ,, & chirurgorum adſtantium certo judicio & accurato examine .... ma- ,, tris mortuæ ventrem aperire, ut fetus extrahatur. Sicque *Vidimus* plu- ,, res ſalvos & incolumes eductos fuiſſe .... Hæcque pia & ſalutaris fetui, ,, nequaquam mortuæ crudelis, operatio, fieri deberet in qualibet præ- ,, gnante mortua, juxta edictum Juriſconſulti ". Maximi profecto momen- ti videntur ulteriora magni *Riolani* dictata, ut eorumdem præcipua hic etiam non poſſim non allegare. ,, Ad claudendum hoc caput adjungam, ,, inquit, memorabilem quæſtionem medicis Pariſienſibus propoſitam Bru- ,, xellis 1633 & illorum judicium : ſupponitur mulier gravida ſeptimeſtris ; ,, quæ convulſionibus epilepticis die Jovis circa nonam veſpertinam ſuffo- ,, cata fuit. Die veneris ſpuma ex ore matris prodiit .... tumque venter ,, aſſidentibus obſervatus attolli atque deprimi. Die ſabbati circa decimam ,, matutinam profluvium ſanguinis coëgit adſtantibus denudare corpus, ,, & intra femora matris provolutus infans deprehenſus adhuc calidus .... ,, De quæſtione ita cenſemus. ... ſpatium illud moræ & manſionis in utero ,, triginta ſex horarum ab interitu matris, quibuſdam ſuſpectum eſſe poteſt... ,, Itaque in ipſis convulſionibus incepit parturire mater, ..... Sed in ipſo ,, conatu parturiendi extinctam fuiſſe matrem, & poſt aliquot horas fetum ,, ſuopte impetu, ruptis membranis, quibus incluſus erat, vivum adhuc ,, erupiſſe cenſemus. Sanguinis vero iſtud profluvium quod die ſabbati ob- ,, ſervatum fuit ab utero matris mortuæ ſanguine plero manaſſe, ut in qui- ,, buſdam cadaveribus tertio vel quarto die ab interitu, ſanguis ex ore, vel

 nari-

„ naribus, magna copia profluxiſſe viſus eſt . . . . . . Veriſimile eſt mulierem
„ poſt illas convulſiones epilepticas & hyſtericas ſpiratione, ſenſu, motuque
„ orbatam, habitam & derelictam fuiſſe pro mortua, ut in mulieribus &
„ epilepticis ſæpiſſime accidit, quæ ad funus elatæ revixere . . . . . Attamen
„ ſub finem die veneris, & matrem & fetum, mulieris corpus adhuc calens.
„ . . . Et abdominis ſubſultus ac elevatio manifeſte indicant & atteſtantur. . .
„ . . . Ac proinde potuit fetus ſeptimeſtris die ſabbati ſuopte impetu . . . .
„ vivus emergere, prius tamen mortua & extincta matre. Conſultum Bru-
„ xellis die 2. Julii 1633, & ſubſignarunt medici Pariſienſes, *And. Duche-*
„ *min*, *Nic. Pietre*, *Joan. Riolanus*, *Abel Brunier.*" His magni *Riolani* dictatis veluti ſuffragium eximii ponderis addere jubet ipſa neceſſitas publica nunquam ſatis deprædicandas, laudatiſſimi *Heiſteri* admonitiones. „ Merito
„ (inquit, inſtitut. chirurg. p. 759. ) inter Chriſtianos & quoſcumque ſanæ
„ rationis homines, a Principibus & quovis Magiſtratu legibus ſeveris eſſe
„ ſanciendum, ut omnes gravidæ defunctæ non ſolum ante ſepulturam, ut
„ leges jubent, . . . . incidantur, ſed potius poſt mortem, & quidem quam-
„ primum id fieri poteſt, a peritis medicis & chirurgis ſcalpello aperiantur,
„ & fetus ex utero ipſarum eximantur, ne cunctando in utero quoque mo-
„ riantur, aut ſectionem prorſus omittendo cum matre vivi ( quod quam
„ maxime deteſtandum ac horrendum eſt) ſepeliantur, vel quod quidem
„ eſſet ac ipſos ſecundum notiſſimum illud dictum, ( *quem non ſervaſti dum*
„ *potuiſti*, *illum occidiſti* ) interficere . . . . " Jam ex illo, qui in gratiam utilitatis publicæ neceſſarius erat, digreſſu ad inſtitutam probationem revertamur. Sectionem Cæſaream ſive Gaſtrotomiam non niſi in defunctis gravidis jamdiu adminiſtratam, æque in viventibus, omni omnino ſpe per vias ſolitas partum vivum edendi ſpe privatis, tentari poſſe ſalutariter, tam ad matrem quam ad fetum habito reſpectu, ſagaces quidam deinceps putaverunt, ſagaciores alii reipſa tentaverunt feliciter. Sufficerent ſolæ *Roſſeti* narrationes, quas nuperrime diſputatione publica Clariſſimus D. *Beſſe* nervoſe vindicavit. Nec vindicationem illam minuet Clariſſimi D. *Bianchi* Profeſſoris Turinenſis diſtinctio inter ſectionem ejuſmodi externam & internam, nec quam inde ſuſpicionem profert, ſectionibus enarratis nonniſi integumenta fuiſſe diſciſſa, fetuſque illos vel extra uteri cavitatem formatos fuiſſe, vel rupto prius utero in cavitatem abdominis illapſos. Id in quibuſdam, ut forte alibi, contigiſſe non negarem, ſed in quinta *Roſſeti* hiſtoria ſectionem ipſius uteri nativa omnium ibi circumſtantiarum expoſitio evidentiſſime teſtatur. Lubet in defenſionem ac laudem *Roſſeti*, præcipuos hiſtoriæ articulos ipſis fere ejuſdem verbis referre: „ Bini convocati chirurgi brachium jamdudum
„ mortui fetus præſecuerant, ſed ejus corpus intra matricem duplicatum,
„ tranſverſimque ſitum nulla manus ductione regere, nullis forcipibus fruſ-
„ tillatim ad liberius id expediendum minuere, nullis *unculis* prehendere,
„ nedum extrahere potuerunt, id diu multumque conati. Secto igitur recto

„ duc-

„ ductu, ſed ſuboblique, abdomine, neque id valde magno (ut ipſa puer-
„ pera ait,) doloris ſenſu, deinde utero, chirurgorum putrem, & ex cæru-
leo ac ſubvireſcente jam nigreſcentem graveolentiſſimumque fetum tandem
„ exemit.... ex locis ſectis pauculo ſanguine exſtillante. Secta ex quinque
„ ſeptimanis decubuit;.... inde gravida iterum facili felicique partu eum
„ fetum depoſuit, rurſuſque ex illo quater facta eſt prægnans, nihilo plus
„ doloris aut periculi quam prius experta". Aliarum poſtea factæ a peritis chirurgis ſectionis uteri hiſtoriarum veritatem luculentiſſime confirmat & coronidis inſtar illuſtrat nuperrimum encheireſeos hujus experimentum ſingulare, feliciſſimo cum ſucceſſu editum a decem peritiſſimis chirurgis Pariſienſibus, *Bourgeois*, *Puzos*, *Souchay*, *Soumain*, ſectore, *Verdier*, *Gervais*, *Gregoire*, *Jard*, *Chauvin*, *Lafitte*, unanimi opere manus auxiliatrices ſibi invicem porrigentibus. Vulnus recens ipſemet *Vidi* & attente examinavi, inexpectatam miratus hilaritatem puerperæ, quaſi ludentis; quæ etiam primo poſt ſectionem apparatui faſciarum ipſamet aciculas forte deſideratas obtulerat, doloris non valde, ut ipſa fatebatur, intenſi oblita. Imo in anteriori partu abortivo, ut & in præcedentibus pariendi conatibus dolores multo majores ſe expertam fuiſſe teſtata eſt. Hæc differentiæ dolorum iſtorum relatio particularis veritatem ejuſdem phænomeni, a *Roſſeto*, aliiſque & a chirurgo Rotomagenſi *Ruleau*, obſervati manifeſte probat. Phænomeni rationem quæris? Partui proximorum, uti & hydropicorum, ventre ultra dimenſionem ſolitam ac naturalem ampliato, fibræ muſculorum abdominis, præſertim ab imo regionis epigaſtricæ ad pubem & inguina, valde protenduntur, attenuantur & abinvicem diſtrahuntur. Recti duorum vel trium pollicum intervallo ab invicem diſtantes, adeoque non linea alba ſed veluti faſcia albicante diſtincti, latitudinem & longitudinem duplo majores acquirunt, ſecedentibus nimirum a ſe invicem & tenſis eorum pariter ac latorum utrinque muſculorum fibris, tam carneis quam tendineis. Vicina hiſce peritonæum, vaſa ſanguinea, nervorumque ſtamina ſimul eodem modo protenduntur & gracileſcunt. Ita in omnibus iſtis partibus & minor ſanguinis alluvies & minus ſentiendi acumen. Utero diſtento idem fere contingit, minus tamen in illa, quæ placentam ſuſtinet, & infima quam reliqua ejuſdem parte. Perpenſis hiſce, non adeo miraberis, ex ſectione Cæſarea minus doloris ac minus cruoris alios obſervaſſe: præcipue ſi memineris, omnes haſce partes, ſublatis obſtaculis iſtis, concidere, corrugari, ſicque affluentis iterum ſanguinis impetum aliquantiſper ſufflaminari. Methodorum enchereſeos optimam elegerunt ſupra laudati chirurgi Pariſienſes; in peculiari tractatulo, quem in gratiam juniorum unus ex illis emiſerat, plenius, quam in commentario majori expoſitam. Hac mater optime convaluit, corpore licet minuſculo, tenerrimo, & ferendis laboribus impari pluries in anteceſſum judicato. Hac fetus ejuſdem matris integerrime vivens valenſque prodiit, & Baptiſmali fonte regeneratus, ad decem uſque dies firma ſatis valetudine

protraxit vitam, quæ nutricis vel defectu vel negligentia deſiiſſe fertur. Nimis longum foret aliis inſuper exemplis teſtificari, *ſectionem Cæſaream ſive Gaſtrotomiam*, opportune, rite, ac perite inſtitutam omni periculo vacaſſe, ex illa (quod notandum) parturientes ſæpe minorem, quam ex partu ordinario, dolorem ſenſiſſe, eaſdem optime convaluiſſe, ac deinceps iterum iterumque prægnantes via ſolita feliciter peperiſſe; atque tum matris tum fetus reſpectu, illam tali cautione propoſitam non adeo anceps quam inſons remedium eſſe.

V.

Verum ſupra dictis omnibus ſerio ac ſimul perpenſis, præſertim admonitionibus ſeveris, tum magni *Riolani*, tum Clariſſimi *Heiſteri* de non admovendis ferramentis ad extrahendum fetum niſi morte ejuſdem certo cognita, & de aperienda poſt obitum gravida, ne fetus intereat; perpenſis etiam incertis ac peritiſſimos non raro fallentibus, tum demortuæ gravidæ, tum fetus extincti ſignis; metus adeſt, non vanus, ſed verus, juſtus ac religioſus, fetum obiiſſe creditum hamatili obſtetricio ſæpius interfici, gravidamque pro demortua habitam ſectione Cæſarea occidi; adeoque admonitiones illas quantumlibet ſeveras in caſibus hiſce quandoque obſervari non poſſe, quandoque prudentia erronea ne quidem obſervandas exiſtimari. Quinimo, perpenſis iiſdem, manifeſte patet graviſſimos admonitores ipſos, *Riolanum* atque *Heiſterum*, illis admonitionibus ſuis admonitiones alias omnino contrarias ſubjungere, ſimilibus licet innixas argumentis. Gravidam nondum extinctam, & fetus forte vivens ſervetur, homicidium judicant. Fetum, ut ſervetur mater, interfici ſine culpa homicidii poſſe, imo neceſſitate quadam crudeli debere, pronuntiant. Dolendum ſane *Magnum Homerum noſtratem* ita dormitaſſe, *Tertulliano* vel hallucinanti ac devio, vel ab aliis perperam expoſito inconſiderate fiſum. Aeterno ſilentio velandum eſſet *Riolani* noſtri offendiculum, niſi celeberrimus *Heiſterus*, eadem veriſimilitudinis bonique ſpecie forſitan allectus, in doctiſſimo ac locupletiſſimo, omniumque in univerſum manibus verſato tractatu chirurgico, illud manifeſtaſſet, ſuoque confirmaſſat ſuffragio. Neminem quippe excuſare poteſt privata, quam ibi allegat ex Theologis Eccleſiæ Romanæ contrariis, interpretatio ſententiarum: *Non occides; Non facienda mala ut eveniant bona; Quem non ſervaſti dum potuiſti, illum occidiſti*, &c. His aliiſque prolixe allatis, ac ſimili interpretatione privata expoſitis omnibus opponere ſufficiet hocce: *Inſontem & juſtum non interficies*, exod. 23. In tali enim caſu fetus omnino inſons; inſons omnino mater; fetus inſons reſpectu matris, mater inſons reſpectu fetus. Propterea neque fetum inſontem, ut ſervetur mater, neque matrem inſontem, ut fetus ſervetur, occidere ulla unquam intentione directa licere, Theologi noſtrates optime ſtatuerunt. Huc confirmandæ ſententiæ noſtræ apponere liceat quod ſuperius in Coroll. IV. locum habere debue-

debuerat, videlicet, Clariſſ. *D. Heiſterum* poſt admonitiones ibidem citatas, in notis quibuſdam ſubjungere ſequentia : „ Hujus rei gratia Senatus Venetus ( ut *Mellius* Lib. de arte obſtetricia, cap. de Partu Cæſareo . . . . refert ) ſancivit, ne gravidæ mortuæ vel pro mortuis habitæ „ decuſſata ſectione incidantur, ſed ſimplici, ut alias in ſectione Cæſarea, „ ubi mater adhuc vivit : ut mater, ſi forte reviviſcat, facilius conſervari rurſuſque ſanari queat ". Adhærentes itaque effato, quod nuperrime protulit illuſtriſſimus *D. Helvetius* noſter, *ne dicas*, inquiens, *Cæſareum partum in certa deſperatione dubiam ſpem eſſe*, cujus effati probationem jam ante hac exemplo ſingulari in Hiſt. Reg. Scient. Acad. Anno 1731, allato innuerat, concludimus.

FINIS.

LXXXV.

# DISSERTATIO
## *ANATOMICO-CHIRURGICA,*
### *DE*
## NOVO ARTIFICIO CURANDI PROCIDENTIAM UTERI.

*Quam Præſide*

ANDR. OTTOMAR GOELICKE, M. P. P.

*Tuebatur*

JOAN. GEORG. PREUNEL.

Francof. ad Viadrum menſ. Novembris 1710.

# PROOEMIUM.

HOmo, ſuperbum natura animal, miſeriæ ſuæ ac deplorandæ, in qua vivit, conditionis, non poteſt efficacius convinci, quam ſeria primæ ſuæ originis penſitatione: *Inter ſtercus enim & urinam naſcuntur* omnes, quotquot in hunc mundum prodeunt, ſorte hac inter omnes mortales æqualiter diſtributa. Sexus præcipue ſequior, cui ſobolem concipiendi, nutriendi, edendi & educandi provinciam demandavit ſupremus rerum humanarum arbiter, innumera quotidie documenta in ſeſe experitur, quibus, ſi vel leviter animum advertere vellet, à vana illa mentis elatione, in quam præ ſexu virili inclinat, facile avocari inque rationis rectæ gyrum reduci poſſet. Silentio jam prætereo infinita incommoda, quibus ſubjiciuntur femellæ, ſi vel tributum ordinarium, quod ſingulis menſibus naturæ ſolvendum eſt, impeditius ſuccedat, vel aliena loca adfectet, vel plane ſupprimatur, vel enormi ac prodigioſa in quantitate ſuccedat. Mitto, quibus teneriores ac ſenſibiliores femellæ ex conſenſu uteri cum aliis partibus excruciantur, pathemata hypochondriaco-hyſterica. In ſcenam tantum produco moleſtiſſima illa ſymptomata, quibus mox à primis ingravidationis momentis toto geſtationis tempore inquietantur mulieres gravidæ: Statim ac enim conceperunt, inappetentia ciborum corripiuntur, quædam illarum adpetitu extraordinario ita aguntur in tranſverſum, ut in res prorſus inſolitas & eſui humano vix inſervientes ferantur: Aliæ vomitu, flatulentiis aliæ infeſtantur, in pleriſque fluxus menſtruorum ſubſiſtit, qui tamen aliis quandoque mediis geſtationis menſibus in ſolita quantitate denuo erumpit, inque præſentiſſimum abortus periculum ipſas præcipitat. Quibuſdam tuſſis moleſta ſupervenit, alias vigiliæ continuæ exhauriunt, aliæ alia hoc potiſſimum tempore experiuntur ſymptomata. Adpropinquantibus porro ultimis geſtationis menſibus difficultates urinæ alvique ſegnities, uti & teneſmus gravidas occupat. Quibuſdam pedes oedematoſo tumore inflantur, facieſque abjecto & leucophlegmatico colore ita defedatur, ut ſibimetipſis prorſus diſſimiles adpareant. Tandemque inſtante partus tempore rem calamitatis pleniſſimam ſubeunt, ſibique ipſis nonnunquam vel fetui exitioſam, qui in lucem proditurus ſæpius infelici matri, à qua vitam ſuam accepit, eandem eripit. Sæpius autem primum ſuum domicilium, in quo per integrum novem menſium ſpatium hoſpitatus eſt, fit ejus ſepulchrum, & contabeſcens in utero tenellus embryo matrem ſuam vivum efficit cadaver. Quibus mitiora eveniunt fata, eas peſſime interdum mulctat obſtetricum imperitia, violentiore manu extractionem fetus molientium, adeo ut nonnunquam una cum fetu ipſe quoque uterus protrahatur, atque ſic extra pudenda muliebria pendulus conſpiciatur; quem adfectum communiter *procidentiam* ſeu *prolapſum* adpellant. Sicuti autem pleraque hæc, de quibus diximus, ſymptomata


prop-

propter viros eorumque cohabitationem patiuntur mulierculæ: Ita nihil naturali, qua erga pulchriorem ſexum ferimur, propenſioni convenientius, aut medicorum provincia dignius, quam talibus imprimis artificiis excogitandis operam navare, quibus uterum extra ſedem ſuam naturalem prolapſum efficaciter reſtituere & retinere liceat, ut ei denuo uſui ſubſerviat, cui à natura deſtinatus eſt. Producemus ejus rei ſpecimen in nova quadam *Peſſuli uterini*, elaterio quaſi gaudentis, ſpecie, qua uterus vere prolapſus in locum ſuum naturalem non ſolummodo dextre reponitur, ſed & efficaciter retinetur. Quibus noſtris conatibus ut *Deus O. M.* in ſalutem & incolumitatem ſexus feminei ex alto benedicat, eſt, quod humillime precamur.

---

## §. I.

DUm novum orbi medico inſinuo artificium curandi *procidentiam uteri veram*, neminem fore exiſtimo, qui probro mihi daturus ſit, quaſi novitates, aliis dudum antiquatas, ſtudioſe adfectem; facile enim largior, aliis antiquum videri poſſe, quod mihi omnino novum eſt. Interim ſcabioſum illud ac propemodum inſanabile qualiacunque aliorum inventa cavillandi cacoethes, quo innumeri literatorum hodie pruriunt, multos moratur, quo minus ea, quæ in humani generis commodum utilia deteguntur inventa, debitum inveniant adplauſum, quin potius in prima, ut loqui amamus, herba ſuffocentur. Ejuſmodi Zoilos, qui nihil bonum, utile rectumque putant, niſi quod ipſi invenerint, non noſtra tantum, in quibus vivimus, tempora gignunt; ſed & ævo Hippocratis uberrimus jam eorundem fuit proventus; proinde tales alienorum inventorum irriſores graviſſime reprehendit libro de arte, dum ita in eoſdem invehitur: *Eorum aliquid, quæ nondum inventa ſunt, invenire, quodque inveniſſe, quam non inveniſſe præſtiterit, ſimiliterque imperfecta ad finem deducere, id mihi videtur illius eſſe munus, qui intelligens exiſtimari cupit: Qui vero ea, quæ ab aliis inventa ſunt, inhoneſtorum verborum artificio contaminare contendit, neque quicquam corrigit, ſed a peritis inventa apud imperitos traducit, is ſane prudentiæ exiſtimationem tueri velle non videtur, ſed potius naturam ſuam aut ignorationem malitioſe prodere. Solis enim artium ignaris hoc opus competit, qui ambitioſius quidem contendunt, neque tamen improbitate ſua ullo modo præſtare poſſunt, ut aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant.* Non autem hic ſermo mihi eſt de novis quibuſdam ſpeculationibus vel opinionibus, quæ ſæpius præter ſolam curioſitatem nihil amplius habent in receſſu, ſed de inſtrumentis ſeu organis novis, ex quorum adplicatione vel in emendanda partium humani corporis vitioſa figura, vel in reſtituendo ſitu membrorum læſo præſentiſſimus ſequitur effectus: Quorſum haud dubie novum hoc

peſſuli uterini artificium pertinet, quo uterus vere extra ſinum muliebrem prolapſus in locum ſuum naturalem reſtituitur.

§. II.

Prius vero quam deſcriptionem ejus plenius perſequar, præmiſſa conſideratione nominali, paucula de ſubſtantia, ſitu & connexione uteri cum partibus vicinis prælibanda ſunt: Hinc enim princeps ſuum argumentum mutuantur, qui procidentiam uteri veram negant aut dubiam ſaltem reddunt, ſicuti paulo poſt patebit. Equidem perinde mihi fuerit, ſive quis adfectum, quem tractaturus ſum, *procidentiam* vel *prolapſum* vel *deſcenſum*, vel *exitum* ſeu *dislocationem* vel *præcipitationem* vel *herniam uterinam* vel *inclinationem uteri* &c. vocaverit: Ea enim ſemper animo meo inſedit opinio, in ipſis rerum denominationibus non eſſe quærenda myſteria: Quia tamen ſenſui communi medicorum, ita & non aliter loquentium, ſtricte inhærendum & à terminis artis receptis vix citra ſonticas rationes recedendum: hinc promiſcuæ ejuſmodi rerum à ſe mutuo diſtinctarum adpellationes non temere adprobandæ. *Deſcenſus* à *procidentia* ſeu *prolapſu* differt gradu; utero enim intra limites vaginæ adhuc ſubſiſtente, deſcenſus tantum adpellari conſuevit: Eodem vero extra labia pudendorum propendente, procidentia ſeu prolapſus vocatur adfectus. *Præcipitationis* vocabulum admodum inſulſum eſt pro eodem adfectu denotando, & plurimis jam aliis barbarum viſum fuit. *Herniæ uterinæ* denominatio æquivocationem admittit, ex quo *Sennertus*, practicus ſui temporis famigeratiſſimus, ſingularem & à nullo medicorum ad illa uſque tempora obſervatam uteri adfectionem ſub hoc *herniæ uterinæ* nomine propoſuit, cujus non ſolummodo *in inſtitutionibus lib. II. part. I. cap. 9.* ſed & *oper. pract. lib. IV. part. I. ſect. II. cap. 16.* mentionem facit, hunc fere in modum: Uxor vietoris cujuſdam ad ſiniſtrum inguen violenter percuſſa eſt, ex quo peritonæum non tam ruptum quam laxatum tantum fuit; nam paulo poſt tumor ad ſiniſtrum inguen obortus, qui brevi tempore tantum ſumſit incrementum, ut intra abdomen recondi nullo modo poſſet. Incidente itaque de utero prolapſo ſuſpicione, eventus omnem tandem dubitationem ſuſtulit; uterus enim conceptu gravidus, fetu indies aucto, dilatatus, ſimulque cum eo cutis inguinis ſiniſtri, qua uterus prolapſus erat, ita extenſa, ut utero & cute concluſus fetus ſacci inſtar aut cucurbitæ oblongæ majoris modo propenderet, motuſque infantis tandem & tactu & viſu manifeſto perciperetur. Atque hinc proinde adfectum nomine herniæ uterinæ merito indigitat, eumque à procidentia ſeu prolapſu uteri vere diſtinguit. Similiter *inclinatio uteri in alterum latus* à procidentia proprie ſic dicta differt, ipſumque *dislocationis* vocabulum, quamvis ſitum uteri mutatum generice inſinuet, ad indigitandam tamen propriam adfectus indolem vix ſatis videtur eſſe adcommodatum.

§. III.

De ſubſtantia uteri, miſſis reliquis, de quibus loquuntur anatomici, id tantum obſervo, eam diverſis temporum intervallis dilatationis æque ac conſtrictionis admodum eſſe capacem, non aliter ac videmus in burſa virili, quæ ad horrorem & frigus externum aliaſve cauſas valide contrahitur, iis vero remittentibus mox relaxatur. Mirum dictu eſt, quomodo ab embryone intus concluſo, & majora pedetentim incrementa ſumente, ita ſenſim volumina ejus expandantur, ut in femellis tenerioribus ac valde macilentis ipſi abdominis muſculi membranarum inſtar extenuati veluti conſpiciantur, craſſitudine interim uteri ne vel minimum remittente, quin potius ſub tanta uteri mole aucta; ſicuti & mihi & quibuſdam auditorum meorum ante triennium videre contigit in muliere ruſtica partui proxima, quæ ex inflammatione enormiori oculi, ad phrenitidem uſque invaleſcente denata fuerat, cujus cadaver (fetus enim vivere adhuc credebatur) in abſentia medici provincialis ordinarii ſecandum nobis injungebatur. Partu autem excluſo in priſtinos anguſtos limites ita rurſus conſtringitur uterus, ut cavum ejus vix amygdalam capiat; quo eodem in ſtatu verſatur quoque in puellis non maritatis.

§. IV.

Quod *ſitum* uteri attinet, ſciendum, occurrere illum in medio hypogaſtrii, eo præſertim loco, quem *pelvim*, ex concurſu oſſium ilii, coxendicis & ſacro formatam, adpellant anatomici, inter veſicam urinariam, quæ immediate incumbit, & inteſtinum rectum. Quem commodum ſitum eum præcipue in finem provida natura ipſi indulſit, ut eo minori prolapſus periculo ſubeſſet; cui melius confirmando varia alia adhuc ligamenta velificantur, quibus partibus proximis adligatur, & anterius quidem ope peritonæi veſicæ urinariæ, poſterius inteſtino recto, utrinque vero a lateribus per duo ligamentorum paria, quorum priora à figura *lata* vocantur, & uterum oſſibus ilii adnectunt, poſteriora vero *rotunda* audiunt, pariterque eundem, quippe à lateribus ejus ortum ſuum deducentia in ſitu ſuo confirmant. Fundum autem undiquaque liberum extitiſſe oportuit, ut pro mole & incremento fetus, quod ſucceſſive adquirit, ſufficienter dilatari & expandi valeret. Et ſicuti ipſum uterum mirificæ dilatationis & conſtrictionis capacem eſſe modo adnotavimus: Ita & ligamenta ejus diverſæ huic toni ſive remiſſioni ſive intenſioni ſubſunt, adeo ut illo præter modum quandoque remittente nihil impediat, quo minus uterus non ſolum quoad partem vaginæ, ſed & fundum ejus, adeoque vere extra ſinum pudoris elabatur.

§. V.

§. V.

Id vero potiſſimum eſt, quod multis magni nominis medicis anſam ſuppeditavit, procidentiam uteri veram vel aperte negandi, vel de eadem ſaltem ſubdubitandi; credunt enim, impoſſibile eſſe, uterum quatuor validiſſimis ligamentis, duobus rotundis totidemque latis non ſuſpenſum, ſed firmatum ita prolabi poſſe, ut extra ſinum pudoris promineat. In horum numero ſuum imprimis nomen profitetur *Theodorus Kerckringius*, *qui obſerv. anat.* 20. phalerato ſarcaſmo graviſſime invehitur in *Veslingium*, *Bartholinum* & *Laurentium*, eoſque, quaſi a ſola vaginæ uterinæ extra pudenda prominentis, iſtaque quandoque ludibria efficientis, laxitate ſibi incaute imponi paſſi fuerint, inſimulat lauteque irridet. *Jobus à Meeckern* prolapſum uteri verum non quidem penitus negat, ſed eundem nec adeo frequentem eſſe, ac vulgo dicitur, nec à cauſa tantum interna, relaxatione ſcil. ligamentorum uterinorum procedere exiſtimat, argumento deſumto à firmiſſima iſta uteri cum inteſtino recto circa os ſacrum parteſque vicinas connexione: Interea utique concedit, externa quadam violentia, in partu nempe difficili & arctiori ſecundinarum cum interna uteri ſubſtantia cohæſione extrahi eundem poſſe; hoc autem modo adfectum, non *prolapſum* vel *procidentiam* eſſe vocandum, ſed *violentam* potius *extractionem*, & mulieres ea ratione adfectas propter lacerationem vaſorum ac ligamentorum vix unquam ſalvari, ſed ſemper neceſſario interire. Quare eodem præjudicio deceptus negat, uterum ita protractum, & ſphacelo corruptum citra diſpendium vitæ arte chirurgica reſcindi poſſe, ſed ejuſmodi operationem, utut à chirurgis temere ſuſciperetur, cum præſentiſſimo vitæ periculo conjunctam eſſe. Eandem cum Meeckerano ſententiam fovet quoque *Barbette chirurg. cap.* 8. ſuſtinens, uterum non facile laxitate, multo minus diſruptione ligamentorum latorum prolabi: Interea tamen in gravi parturientium feminarum niſu & incauta ſecundinarum extractione fundum uteri inverſum ſeſe vidiſſe, non diffitetur. Ipſum autem ſine periculo exſcindi poſſe, intolerabile eſſe audire ſaltem perito anatomico ſubjungit. Huic adſtipulatur quoque *Dolæus*, nullumque alium agnoſcit prolapſum, quam interioris rugoſæque vaginæ uterinæ membranæ, utpote quæ ſola extra labia pudendorum procidere poſſit, relaxationem: Fundum enim uteri inverti nunquam poſſe.

§. VI.

Aſt quid opus eſt contra hos alioſve plures prolixam & ordinatam argumentorum aciem inſtruere? Nullum enim efficacius, ſpeculationes in veritate facti non fundatas, confutandi eſt remedium, quam experientia & oculata practicorum rerum ſuarum ſatagentium fides. Memoratu dignum talis procidentiæ uterinæ veræ caſum ex obſervatione *D. Johannis Conradi*

*radi Peyeri* nobis recenſent *Eph. N. C. Dec. II. An.* 1. *obſ.* 84. ubi primum graviſſime, prout meruerant, reprehenduntur *Kerckringius*, *Roonhuyſius* & *Meeckeranus*, duo cæteroquin chirurgi belgarum famigeratiſſimi, quod matricem unquam *vere* excidere poſſe conſtanter pernegaverint: deinde vero, ne quis exiſtimaret, fuiſſe forſan vaginæ tantum uterinæ relaxationem, additur, uterum ſurſum compulſum nonnunquam cum ſaltu priſtinas ſuas ſedes repetiiſſe, cum interea vaginam in priſtinum ſuum locum reſtituere non liceret. Id quod & poſtmodum autopſia in cadavere mulieris diſſectæ confirmavit, ubi oculis patuit, uterum reapſe prolapſum, neque tamen propterea vincula uteri penitus rupta, ſed laxata tantum fuiſſe. Simile exemplum prolapſus uteri veri ex obſervatione *D. Johannis de Muralto* communicarunt *M. N. C. eadem Decur. eodemque anno obſ.* 112. & quidem inducti per imprudentiam obſtetricis, fetum una cum ſecundinis, utero pertinaciter adhærentibus nimia cum violentia protrahentis, eoque ipſo uterum invertentis, idemque *loco allegato obſ.* 141. recenſet aliam talis procidentiæ à ſimili cauſa oriundæ hiſtoriam, ubi ab incauta obſtetrice uterus loco fetus fuit protractus, ut marſupii inverſi inſtar extra abdomen propenderet. *Isbrandus de Diemebroeck* ſuum quoque addit teſtimonium, & *Anat. Lib. I. Cap. XXIV.* fatetur, ſeipſum in concubina Satrapæ Leerdamenſis vidiſſe uterum ad duorum digitorum latitudinem e ſinu propendere, quem ipſemet etiam (quia chirurgos admittere noluit) manibus tractaverit, & conveniente inſtrumento verſus interiora in locum ſuum retruſerit, & ægram porro ita perſanaverit, ut poſtea illa pars nunquam amplius prociderit: ubi ſimul etiam provocat ad hiſtoriam mulieris, quæ legitur apud *Carpum*, cui uterus non ſolum foras prolapſus, verum etiam exſectus ſit; ad auctoritatem *Paræi*, *Lib. XXIII. cap.* 41. exemplum uteri prolapſi & ab ipſo *Paræo* exſciſſi & poſt mortem mulieris in abdomine non inventi adducentis; imo & ad *Hildanum Cent.* 4. *obſ.* 60. 61. *&* 62. ubi à viro fide digno tria iſtius prolapſus exempla inveniuntur deſcripta. Cum hiſce omnibus poterit, cui volupe eſt, conferre *Nicol. de Blegny Zodiac. Gallic. Ann.* 3. *menſ. Auguſt. obſ.* 8. *Franciſc. Mauriceau de morb. Mul. Lib. II. cap.* 13. *Bonet. Sepulchret. p.* 1320. *Ephem. N. C. Decur. III. An.* 1. *obſ.* 114. *& Petr. Marchett. obſerv. chir.* 61.

## §. VII.

Omnium clariſſime auctoribus antea memoratis glaucoma diſpuliſſe & detraxiſſe videtur *Fredericus Ruyſchius*, anatomicus & chirurgus noſtri ævi celebratiſſimus. Mulieri, *inquit*, triginta circiter annos natæ, uteri admodum incraſſati propendentia tantam adferebat moleſtiam, ut incedere vix potuerit. Conſultum fuit, uteri extirpationem poſt injectam ligaturam moliri. Acu ergo tricipiti, filo duplicato munita operationem adgreſſus quidam magiſter, ligavit ſatis fortiter uterum e corpore propendentem: aſt utinam

utinam nil præter eam partem acu & filo comprehendiſſet! Patiens per unum atque alterum diem nihil reddidit lotii, quod nobis anſam dedit ſuſpicandi, meatum urinarium ſimul acu & filo eſſe conſtrictum, prout eventus quoque docuit. Ægrotæ miſerandæ brevi poſt denatæ cadaver aperui, & conjecturam noſtram non inanem fuiſſe advertimus. Scil. meatum urinarium ſimul cum uteri corpore tam arcte ligatum, ut nil lotii reddere valuerit. Hic mihi, quid de uteri procidentia ſtatuendum ſit, perſcrutandi locus fuit. Notum eſt multos reperiri, qui perhibent, uterum nunquam e corpore poſſe prolabi. Ex iis, qui contrarium propugnant, nonnulli in prolapſu uterum quoque inverti, alii uteri prolapſum nil niſi vaginæ procidentiam eſſe adſerunt. Litem diſſipavit cadaver hujus miſerandæ fœminæ: aperto enim abdomine in pelvi, qui locus eſt uteri, nil vidimus, præter unum ex ovariis cum adnexa tuba & ligamento lato. Uterus totus quantus & non inverſus propendebat, & adeo deformis & ingens factus, ut nunquam ante cadaveris apertionem uterum eſſe dixiſſem, niſi in extimæ partis centro oſculum conſpexiſſem, ex quo levi opera guttulas aliquot ſanguinis exprimebam &c. Atque in eo Ruyſchius habet conſentientes multos alios noſtri temporis medicos celeberrimos; Wedelium; Schellhammerum, qui talem vidit prolapſum & partum ex eo conſummatiſſimum, Johannem Mauritium Hoffmannum, qui ſimilem caſum obſervavit, Regnerum de Graeff, qui in quatuor puellis, de quarum læſa virginitate ne minima quidem ſubeſſe poterat ſuſpicio, talem uteri prolapſum verum, ſola fomentorum adſtringentium adplicatione reſtitutum ſeſe obſervaſſe tractatu de organis genitalibus mulierum ſcribit. Quibus omnibus ſi ex antiquitate teſtimonia adjungenda forent, ipſum quoque Hippocratem hac in parte nos minime derelicturum ſperaremus, quippe qui uteros quacumque de cauſa propelli ſuo jam tempore adſeruit.

## §. VIII.

Equidem inficias eundum non eſt, internam vaginæ uterinæ tunicam, quippe rugoſam ac valde dilatabilem, nimiam quandoque relaxationem paſſam, extra pudendorum labia prominere, & procidentiam, quam veram antea diximus, mentiri, ſicque obſtetricibus, chirurgis atque medicis incautis imponere: qualem prolapſum ſpurium patiuntur quandoque gravidæ, potiſſimum primiparæ, ſi partus tempore legitimo nondum inſtante nimis intempeſtive ad labores partus urgeantur, quale exemplum nobis recenſent *M. N. C. Dec. II. Ann. VII. obſ.* 54. & *An. V. ejuſd. Decur. obſ.* 150. de muliere quadam, cui corpus aliquod carnoſum ovi anſerini magnitudine ſinum pudoris implevit, quod tamen primo partu, quotieſcumque ſponte egrediebatur, facili negotio digitis reponi poterat, imo decubuæ in lecto uxori nonnunquam ſua ſponte retroceſſit, ſicuti herniofis etiam contingere novimus. Cum vero ſecunda vice gravida abortum pateretur, fru-

ſtulum illud carnis extra ſinum propendere iterum cepit, & non niſi ſumma cum difficultate & vix ſine metu ſuffocationis reſtitui potuit. Medicis itaque & chirurgis præſentibus recte judicantibus, procidentiæ radicem non in cavo uteri, ſed in altiore tantum vaginæ parte fuiſſe, ad evitandam gangrænæ periculum merito ſectionem adornandam eſſe cenſuerunt, quam ſucceſſus adeo felix coronavit, ut uxor integre convaluerit ac denuo pepererit. Unde conſtat, procidentiam non fuiſſe veram, ſed tantum ſpuriam: alias enim nec concipere nec parere iterum potuiſſet. Simile exemplum prolapſus uteri nothi occurrit Ephem. *N. C. Dec. II. An. X: obſ.* 181. proceditque, ut modo innuimus, vel ab intempeſtivis iſtis moliminibus, quæ ante debitum parturiendi tempus ſuſcipiunt mulierculæ, vel ex intenſiori ſpiritus cohibitione ſub magni ponderis elevatione, vel ſi exantlatis partus laboribus nimis cito ad conſueta ſua munia revertantur, qualem caſum nuper adhuc obſervavi in muliere quadam paupercula, artem lotriciam profitente, quæ poſt tertium à partu diem ad ordinariam ſuam profeſſionem reverſa, ſpurium talem uteri prolapſum incurrebat, eodemque per vices adhuc laborat. Etſi enim ſubinde prorſus evanuiſſe videatur; ſubinde tamen, ſub ponderum præcipue majorum elevatione revertitur. Nonnunquam nimia alvi durities & niſus fortior egerendi fæces alvinas craſſiores & induratas membranam uteri internam uſque adeo extendit & prominere facit, ut mulierculæ & obſtetrices, interdum etiam medici, anatomiæ & chirurgiæ imperiti, eam habeant pro deſcenſu uteri vero, cum tamen ſpurius tantum ſit, & ſola vaginæ uterinæ relaxatio.

## §. IX.

Ex quibus proinde omnibus liquet, uterum in extremo neceſſitatis caſu, eodem ſcil, ſphacelatione corrupto, arte chirurgica citra diſpendium vitæ amputari poſſe, quicquid etiam in contrarium dicat *Barbette. Platerus* enim hiſtoriam habet mulieris, cui uterus ſphacelo corruptus tandem reſectus fuit, menſtruis poſtac aliorſum vergentibus, & per podicem conſtanter effluentibus. Alium caſum uteri, ex ſede ſua dejecti & ab aere ambiente corrupti, tandemque manu chirurgi & quidem citra vitæ periculum amputati, exhibent *Ephem. N. C. Dec. II. Ann. IX. obſ.* 94. Ut hac vice ſilentio prætercam exemplum puellæ, cujus meminit *de Graaf*, cui pater ob nimiam ſalacitatem, quæ eidem exoſam ſeſe reddiderat, uterum exſcidit, non aliter ac in porcis fieri ſolet, ubi filia nihilominus ſupervixit, omni tamen priſtina libidine prorſus extincta.

## §. X.

Similiter patet ratio & fundamentum noſtræ inſcriptionis in titulo Diſputationis; quippe quæ exhibet *novum artificium reſtituendi prolapſum uteri verum*,

*verum*, ut hoc modo diſtinguatur à *ſpurio*. In illo enim totus uteri fundus marſupii inſtar quandoque inverſus extra ſinum pudoris propendet; in *hoc* vero tunica uteri interior præter modum relaxata extra pudenda tantum prominet. Eſt enim interna vaginæ ſuperficies multis rugis orbicularibus aſpera ac veluti inæqualis, quæ ſicuti ſub ipſis laboribus partus admodum dilatari, & fetui foras proditturo exitum concedere debet: Ita à qualibet alia cauſa nimiam ſui relaxationem paſſa, & à tono ſuo dejecta foras prolabitur, & quandoque veram procidentiæ uterinæ ſpeciem mentitur, ſicque incautos fallit.

## §. XI.

Supervacaneum vero eſt, ſolertem practicum multis inſtruere velle, qua ratione *ſarcoma* ſeu excreſcentiam carnoſam à *prolapſu uteri ſive vero ſive ſpurio* diſtinguere debeat: hæc enim incautis obſtetricibus, medicis vero practicis, anatomiam & chirurgiam callentibus raro imponunt. Nec facile fallere eoſdem poteſt *excreſcentia fungoſa*, ex collo uteri propendens, qualis hiſtoria legitur apud *Bonetum Med. Sept. Vol. II. obſ.* 33. Nec denique *mola*, quæ interdum vaginæ, non fundo uterino inhæret, & prolapſum mentitur, hæc oculis ejus ludibria offundere poteſt: hac enim excluſa prolapſus uterini metus mox evaneſcit, ſicuti talem caſum refert Johannes Jæniſchius, ubi mola uteri tandem excluſa, putatitius iſte uteri prolapſus ſtatim evanuit.

## §. XII.

Eſt quoque hac vice ab intentione & ſcopo meo prorſus alienum, in ætiologicam adfectus hujus conſiderationem diffundi; id enim abunde ab aliis jam præſtitum eſt. Paucis tantum obſervari vellem, prolapſum uteri verum violentam ligamentorum uterinorum diſruptionem, ſicuti vulgo auctores & ſibi & aliis perſuadent, non ſemper arguere; hac enim ratione nullus unquam prolapſus medelam admitteret: ſed perfrequenter à ſola tantum dictorum vinculorum relaxatione, nimiaque toni remiſſione eumdem dependere, à colluvie v. g. ſeroſa inducta: id quod egregie confirmant non ſolummodo hiſtoriæ ſuperius adductæ, ſed & mulieres duæ apud *Bartholinum*, quarum hiſtoria exhibetur à *Boneto Med. Sept. Vol. II. obſ.* 32. Imo & exemplum virginis, quod legitur in *Ephem. N. C. Dec. I. Ann. VI. & VII. obſ.* 73. cui uterus pugni minoris magnitudine extra genitalia protuberabat. Etſi enim alias puellæ non maritatæ rariſſime procidentiam uteri patiantur: attamen eaſdem non prorſus ab hoc adfectu eſſe immunes, ex dictis clare conſtat.

§. XIII.

Potius itaque miſſis hiſce ad curationem adfectus nos convertimus, qui præter incommoda, quæ inter incedendum parit mulierculis; ob ſymptomata ſimul conjuncta, ardorem urinæ, dolorem lumborum ac pubis, & quod ægræ nec erectæ commode ſtare, nec ſedere, nec pronæ nec ſupinæ facile jacere queant, imprimis vero ob metum ſphaceli, qui utero extra ſinum muliebrem propendenti tam ab aëre ambiente & excrementis continuo prodeuntibus, quam a perpetua femorum alliſione promtiſſime accedere ſolet, celerrimam ſui reſtitutionem poſtulat; quæ duobus potiſſimum momentis abſolvitur, *repoſitione* nempe organi prolapſi, ejuſdemque in loco ſuo nativo *retentione*.

§. XIV.

Quod *repoſitionem* attinet, ſuo quiſque ſenſu hic abundat vel luxuriat, imo quorumdam conamina uſque adeo abſurda ſunt, ut riſum invitis merito extorqueant. Nonnulli enim ferramentum candens, quaſi uterum eo ipſo tacturi, ægræ oſtendunt, credentes, hoc modo uterum ad priſtinas ſuas ſedes ſeſe recepturum; qui ſi credant, uterum eſſe animal vivum in corpore vivo, ſicuti deliravit Ariſtoteles, pedibus inſtructum & quaſi currendi facultate donatum, ac proinde in fuga ſalutem ſuam quæſiturum, ſuo fortaſſis fine non excident: jam vero res aliter ſeſe habet. Alii cucurbitulis ſiccis cum magna flamma regioni umbilicali adplicitis reductionem uteri tentant, quorum tamen conatus omnes identidem vanos, irritos atque fruſtraneos eſſe oportet, quia partium ſolideſcentium membranoſo-carnoſarum longe alia, quam humorum in motu conſtitutorum eſt conditio, in quibus quippe vis revulſoria parvam aut nullam exerit efficaciam. Nonnulli eodem revellendi ſcopo præſcribunt vomitoria, putantes laborioſo tali ventriculi totiuſque abdominis conatu uterum verſus ſuperiora in locum ſuum reverſurum: hi vero tantum abeſt, ut prioribus fine ſuo felicius potiantur, ut jure potius metuendum, ne violenta iſta totius corporis concuſſione malum in pejus ruiturum ſit. Rudior quoque, medicoque ac chirurgo rationali indignus eſt modus, uterum reſtituendi baculo ligneo, linteo ſubtili undiquaque obvoluto; ille enim pariter ſine magna violentia organo tenero atque ſenſibili inevitabiliter inferendo expediri nequit. Nonnulli pro eodem ſcopo obtinendo odorifera naribus & graveolentia pudendis admovere ſolent, eventu tamen æque dubio atque incerto: ſicuti enim pathemata hyſterico-ſpaſtica ex odoriferis naribus admotis non in omnibus promiſcue, ſed ordinarie magis in ſubjectis teneris, gracilibus & exquiſite ſenſibilibus inſequuntur: ita etiam effectus, quem inde ſibi promittunt, eventui non æque ſemper reſpondet, licet alias uterum ejuſmodi rerum admotione in diſpoſitis admodum eſſe ſenſibilem non ſit ignotum.

§. XV.

§. XV.

Rectius ejuſmodi miſeris conſulunt, qui ex panno linteo ſæpius convoluto & filo ſtrictius ligato peſſaria parant, vel ſacculis lanugine goſſypii infarctis & oleo probe inunctis reſtitutionem tentant. Imo ipſa mulier prolapſu tali laborans ſibi ipſi tali in negotio abunde ſufficit, ſuiſque digitis uterum in genuinum ſuum locum reponere poteſt, dummodo nimia nondum inflammatione laboret, aut corruptionis primordia in eodem adpareant. Præprimis ſi eum, qui pro commodiori ac faciliori uteri reſtitutione requiritur, habeat ſitum, atque ſupina, cruribus divaricatis genubuſque ſurſum retractis, recumbat. Ita enim ſatis expedite vel ſolis mulieris vel chirurgi aut obſtetricis digitis vel peſſario conveniente in locum ſuum naturalem reponi poteſt: qui tamen conatus ut eo feliciorem ſortiatur eventum, ipſa prius veſica urinaria & inteſtinum rectum, quas partes ſecundum naturam interjacet, ſordibus ſuis excrementitiis liberanda ſunt; quia alias cervicem uteri comprimendo reſtitutionem certiſſime difficiliorem redderent: unde & nequaquam impetuoſe aut violenter, ſed modeſte & ſingulari cum circumſpectione molienda eſt, ut ſi inter reponendum de dolore lumborum & coxarum extraordinario conqueratur ægra, ab ulteriori conatu tamdiu deſiſtat chirurgus vel obſtetrix, donec inſeſſuum vel fotuum emollientium uſu aliquoties repetito, reſtitutio partis prolapſæ facilitata fuerit.

§. XVI.

Aſt enim vero non ſufficit, uterum hoc modo repoſuiſſe, ſed & eumdem in hoc ſuo ſitu confirmaſſe & conſervaſſe juvabit. Quamvis enim interdum ſola quies & decubitus fœminæ ſupinus, coxis pauliſper elevatis & cruribus complicatis ſufficiant, pro utero in ſede ſua naturali continendo, præcipue in juvenculis & ſubjectis habitus firmioris, in quibus inſuper malum adhuc recens fuerit, nec firmiores egerit radices: attamen idem illis haud raro evenit, quod toto die contingere experimur hernioſis, qui ex ſitu corporis horizonti propemodum parallelo in perpendicularem erecti, mox portiunculam inteſtini per dilatatum peritonæi proceſſum in ſcrotum denuo illapſi obſervant. Quare retentionem iſtam uteri per ſuffumigia & fotus adſtringentes ex radicibus biſtortæ, tormentillæ, floribus balauſtiorum, roſarum rubrarum & foliis abſinthii, millefolii, myrthi &c. paratos juvare & confirmare moliuntur. Quibus omnibus, uti haud raro cum opprobrio experiuntur practici, nihil proficientibus, ad ſola peſſaria tanquam ad ſacram quandam anchoram recurrendum eſt.

§. XVII.

Hic tamen iterum tam ratione formæ & figuræ, quam ratione materiæ,

ex qua componuntur, mira eſt luxuria, &, quod alio ſenſu in proverbio dici conſuevit, varietas delectat. Quibuſdam placet figura ovalis, qualem exhibet fig. I. Iconiſmi vel ad ovalem proxime accedens, qualem fig. II. repræſentat, Aliis rotunda & circularis commodior videtur, qualis fig. III. conſpicitur; rurſus aliis quadrata, aliis alia peſſi forma magis arridet. Duos priores funiculo A. & B. ad alterutrum extremorum alligato oportet eſſe inſtructos, non ſolummodo, ut pro lubitu & arbitrio mulieris extrahi queant, ſed & faſciæ abdomini circumjectæ alligari, ne violentius matrice excuſſi in terram impingant, utpote quod menſtruorum tempore perfrequenter contingere ſolet. Nonnulli pro utero in loco ſuo poſt repoſitionem præcedentem retinendo certam ſubligaculi ſpeciem adhibent, quam Zonam Hippocratis vulgo vocant, ejuſdem ferme ſtructuræ cum illis ſubligaculis, quibus inteſtini portio ſcrotum illapſura impeditur, & poſt repoſitionem in naturali ſuo ſitu retinetur. Talia vero ſubligacula, præterquam quod admodum ſint incommoda, toties inſuper removenda ſunt, quoties urinam excernendi neceſſitas incumbit mulieri. Alii nucem juglandem excavatam & cera virginea exterius obductam utero indunt, alii globulis vel pilis ligneis cera inductis eundem in finem utuntur. Oportet tamen hoſce globulos ex ligno buxeo vel ſubere incerato factos non nimis eſſe magnos, quia alias moleſto preſſionis ſenſu adficerent uterum atque hinc vel fluxum album excitarent vel poſt ſe relinquerent. Nonnulli pro utero reſtituto in ſede ſua nativa corroborando, regioni pubis vel lumborum emplaſtrum contra rupturas vel aliud quodcunque fortiter adſtringens admovent, atque effectu, quem inde ſibi præſtolantur, non ſemper excidunt. Wedelius mentionem facit feminæ, quæ pomo in uterum intruſo præcavebat, ne invitæ elaberetur multumque faceſſeret negotii: Aſt halitu retento, & niſu verſus inferiora facto, non pomum tantum cum impetu excludebatur, ſed & uterus ipſe mox ſequebatur: Quod & ne prioribus artificiis facile eveniat, ad modum vereor: Taceo, quod ſordium excrementitiarum profluxum remorentur, aliaſque corruptelas adferant.

## §. XVIII.

Hiſce incommodis quodammodo mederi ſtuduerunt alii, qui peſſos commendarunt annulorum inſtar perforatos, quique proinde ad noſtrum, quem intendimus, ſcopum accedunt propius. *Joannes de Muralto*, celebris Helvetiorum medicus & Gymnaſii Tigurini Profeſſor, quique ab aliquot retro annis non infeliciter artem ſubinde obſtetriciam exercuit, peſſulorum ejuſmodi annulorum inſtar perforatorum meminit: Quæ vero de reliquo genuina eorundem fabrica & conſtructio fuerit, ſubticuit, ſicuti ex *M. N. C. Dec. II. An I. obſ.* 112. manifeſte conſtat. *Joannes Bauhinus* mentionem quoque injicit circulorum, ex filo argenteo rotundo paratorum cum furca trifida ex eadem materia, & quidem utero immittendorum: Aſt cum ipſe ſimul moneat, tale inſtrumentum ab uteri pondere facile iterum foras propelli,

pelli, adeoque faſcia demum commoda retinendum eſſe, patet iterum ſtrucram ejuſdem à noſtro artificio quam diverſiſſimam eſſe. Ita etiam deſcriptio inſtrumenti, quod in arte herniarum curatrice ſuppeditat *Doctiſſ. de Blegny*, ab ea, quam mox adferemus, machinulæ delineatione longiſſime differt. Ut adeo, quotquot ego quidem auctores hactenus evolvi, talis peſſuli, qualem jam deſcripturus ſum, formam, ſtructuram & uſum, à nemine adhuc delineatam aut deſcriptam viderim.

## §. XIX.

Eſt autem peſſulus iſte figuræ propemodum coniformis, baſin habens ampliorem, in conum detruncatum ſenſim deſinentem, atque ex meris circulis ferreis mediocriter craſſis ( *Eyſern Drath* ) ſingulari artificio in talem formam coaptatis, ut digitis paulo fortius compreſſus in ſe quidem promte coëat & contrahatur: ſed preſſione remittente in priſtinam ſuam figuram mox reſiliat & extendatur. Filum ferreum, ex quo machinula paratur, interius oportet eſſe obductum faſciola linea anguſtiore, exterius vero corio molliore, ne uterum rigiditate ſua premat eidemque moleſtiam creet. Utrinque ex baſi latiore propendere debent ligamenta C. & D. ut iiſdem, neceſſitate ſic exigente, inſtrumentum adprehendi uteroque extrahi queat. *Ichnographiam* ejuſdem, prout ex meris circulis ferreis componitur, exhibet Fig. IV. *orthographiam* vero Fig. V.

## §. XX.

Atque ut medici & chirurgi ſolertiores clarius videant, quid præcipue ſubſidii in praxi medica & chirurgica ex hoc invento promittere ſibi debeant, tribus adhuc verbis egregiam illam prærogativam, qua præ omnibus aliis peſſorum uterinorum hucuſque detectorum ſpeciebus eminet, exponam. *Primo* enim hoc artificio duabus ſimul intentionibus & ſcopis curativis ſatisfacimus; quia eodem uterum non ſolummodo in ſedem ſuam naturalem reponimus; ſed & in eadem confirmamus: eſt enim organon virtute veluti elaſtica præditum, quod violentia externa facile quidem comprimitur, ſed eadem remittente mox reſilit, & figuram priſtinam, prout omnibus corporibus elaſticis ſolenne eſt, adfectat: eadem fere ratione, ſicuti ruditer obſervare licet in ſedilibus, quorum ſedes ex filis ferreis certo artificio invicem contortis & corio poſtmodum inductis paratur, quæ, ſi quis iiſdem inſideat, mox deprimuntur, ſi vero reſurgat, mox iterum elevantur, atque, ut ante, protuberant. *Deinde* hoc inſtrumentum in nulla facile corporis concuſſione ac depreſſione abdominis verſus inferiora, utut violenta, ulli exploſioni aut excuſſioni obnoxium eſt, ſicuti hunc defectum in ſphæricis, ovalibus alteriuſque figuræ peſſulis antea obſervavimus; ſed in utero conſtantiſſime concluſum manet, niſi mulier ipſa ob certarum circumſtantiarum rationem neceſſarium judicaverit peſſulum eximere. *Tertio* idem quoque inſtrumentum annulorum inſtar perforatum

eſt

eſt, ut excrementorum per uterum excernendorum tranſitum non remoretur, ſed libere tranſmittat. Reliqua, quæ cum aliis peſſariorum ſpeciebus, quorum deſcriptiones auctores paſſim ſuppeditant, communia habet, ſilentio lubens prætereo.

§. XXI.

Neque vero *curam* tantum *palliativam*, ut pleriſque videri poſſet, ſed vere *eradicativam* pollicetur hæc machinula, adeoque nec per totam vitam geſtare eandem opus eſt, quippe quod intolerabilem ſervitutem miſerarum muliercularum cervicibus imponeret: Succeſſu enim temporis ligamenta uteri, per violentiam externam antea laxata & præter modum extenſa (rariſſime enim actualiter rumpuntur) in ſe mutuo contrahuntur, robur ac tonum ſuum recuperant, atque ita in loco ſuo nativo uterus retinetur, præcipue ſi tonicorum & roborantium internorum uſum aliquandiu continuatum diligenter combinemus; ſicuti idem quoque hernioſis evenire obſervamus, in quibus rariſſime actualis proceſſuum peritonæi ruptura, frequentius ſimplex tantum dilatatio obtinet, quæ facta blandiori inteſtinuli in abdominis cavitatem repoſitione, non ſolummodo, per commodam faſciationem ſed & ſubligaculorum adplicationem ita menſium aliquot decurſu rurſus coarctatur & veluti occalleſcit, ut in ſcrotum amplius prolabi nequeat.

§. XXII.

Unum, quod facile prævideo, & ideo minus quoque nocebit, telum adhuc avertendum eſt; ejuſmodi ſcil. machinularum commendationem practicam, frequentem atque ſæpius iteratam experimentorum circa eam rem factorum obſervationem præſupponere, qualis tamen à nemine, niſi praxi undiquaque circumfluente promanare queat. Sufficeret pro telo hoc avertendo regeſſiſſe, non omnium conditionem æque facile ferre, praxin popularem, prout vulgo exercetur, ſtudioſius conſectari. Sed reſpondeat pro me hac vice *Galenus*, cujus verba aurea, quæ libro primo methodi medendi mox à principio leguntur, mea facio: Cum ægrotare ceperint, *inquit Galenus*, medicos advocant, non quidem optimos, utpote quos per ſanitatem noſcere nunquam ſtuduerunt, ſed eos, quos maxime familiares habent, quique ipſis *Maxime Adulantur*: Qui & frigidam dabunt, ſi hanc popoſcerint, & lavabunt, cum juſſerint, & nivem vinumque porrigent. Poſtremo quicquid jubebitur, mancipiorum ritu facient. Contra quam veteres illi medici ab Æeſculapio oriundi, qui tanquam duces militibus & Reges ſubditis imperare ægris voluerunt: Nequaquam vero Getarum & Phrygum & Thracum emptitiorum ritu parere & obſequi. Itaque is non, qui melius artem callet, ſed qui adulari aptius novit, apud iſtos magis in pretio eſt, huicque omnia plana perviaque ſunt: Huic ædium fores patent, hic brevi efficitur dives plurimum-



Tab. XXIII.




Disp. Chirurg. Tom. III. GOELICKE DE UTERI PROCIDENTIA. pag. 553.

mumque poteſt: Huic diſcipuli multi à cubiculis, ubi jam fuerint exoleti, traduntur &c. Quod vero praxin medicam eo, quo vulgo fieri videmus, modo exercere, non ſit res uſque adeo implicita, partim quotidiana experientia conſtat, partim ex verbis Galeni paulo poſt inſequentibus haud difficulter colligere licet, quando ita pergit: Atque hinc adeo fit, ut nunc etiam ſutores & tinctores & fabri tum materiarii tum ferrarii, proprio magiſterio relicto, in medicinæ artis opera inſiliant; quin & Rhopopolæ ipſi etiam de primo loco certant. Res eſt nimis odioſa, quam ut pluribus eandem proſequi conſultum videatur.

FINIS.

LXXXVI.

# DISSERTATIO

*MEDICO-CHIRURGICA,*

DE

## PROLAPSU ET INVERSIONE UTERI EJUSQUE VAGINÆ RELAXATIONE.

*Quam Præſide*

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO.

*Tuebatur*

FRID. BENJ. WACHTER,

*NORDHUSIA-THURINGUS.*

Halæ 18 Junii anno 1745.

# PRÆFAMEN.

*Uum in accurato cauſarum ſcrutinio medentis labor verſetur, cognitionem earum exquiſitam medico adeo neceſſariam judicamus, ut ſine illa nec morbos rite diſtinguere, nec rationalem principiis veris ſuperſtructam ſuſcipere poſſit curationem. Optime enim ille curat, qui morbum bene cognoſcit. Quare* Hippocrates Lib. de Flatibus, cauſas, *inquit*, morbi bene cognoſcens, valde potens eſt ea afferre, quæ corpori commodent, nimirum contraria morborum natura perſpecta; libroque de natura humana, curationem, ita inſtituere jubet, ut cauſæ morbi nos opponamus; *quo ſimul referendum* Celſi *effatum:* Cauſæ inveſtigatio ejuſque primordia & occaſio in affectionis & remediorum cognitionem deducunt ampliſſimam. *Licet vero arctus cauſarum inter ſe nexus earumque infinitus fere progreſſus ſit, primariæ tamen tantum ex his, utpote formalis & materialis, deinde quæ his antecedunt, tam internæ quam externæ a veteribus* κατ' ἐξοχὴν προηγȣμέναι καί προκαταρκτικαί *dictæ, examini & ſcrutinio medico ſubjici debent. Perſpecto enim hoc cauſarum ordine, omnis medela tam ad motum quam ad materiam dirigitur, cognitio autem earum quid valeat in ſanandis morbis, ex praxi optime dijudicatur, ſub quarum examine rite inſtituto nonnullas dijudicatu eſſe faciliores, difficiliores alias & magis occultas, pro ratione nimirum morborum internorum & externorum, quotidiana confirmatur experientia. Moriuntur plurimi & cauſa mortis ignoratur. Quando puerperæ diem ſupremum obeunt, raro inquiritur in cauſſas mortis. Qui veram cauſſam haud intelligunt, malignitatem imaginariam, aut neſcio quid, accuſant, mechanicas omittendo rationes. Hæc fuit ratio, cur mecum conſtituerim, in præſentiarum examinandi affectus quoſdam uterinos, quo, quid rationalis eorum dijudicatio & juſta remediorum applicatio ad curationem felicem inſtituendam, & ejuſmodi effectus præcavendos valeat, probe cognoſcamus. Elegi mihi thema aliquod de uteri prolapſu & inverſione nec non vaginæ relaxatione pertractandum, fructuoſum omnino, medicoque ſcitu neceſſarium, etſi ad forum chirurgicum maxime pertineat. Anſam mihi præbuere, caſus varii, & affectus quidam inveterati, quorum curatio feliciter ſucceſſit. In memoriam revoco obſervationes, quas in theatro anatomico hinc inde Excell. Dominus Præſes indefeſſo labore & accurato ſcrutinio fecit, quibuſque indagandis confluxus cadaverum uteri affectibus mortuorum commodam hactenus præbuit occaſionem. Unicam ex his mecum benevole communicatam referre liceat hiſtoriam. „ Virgo cachectica XXX annorum, per „ plures annos laboravit fluore albo benigno, ſuccedente ipſi prius prolapſu ute- „ ri incompleto, poſtea vero completo facto. Dedecus ſibi metuit a chirurgorum „ auxilio, forſan ex verecundia, quæ cuſtos virtutum omnium dicenda, hinc „ nulla alia a medicis ſibi expetiit medicamenta quam evacuantia, purificantia,*

„ *& quæ ſpecificam habere dicuntur virtutem in fluore albo. Contigit vero* „ *cauſa mali minus cognita, infelix curatio, & triſtis rei eventus. Sectione* „ *poſt mortem inſtituta*, *partes fere omnes ſanas præter inflammationem uteri* „ *ejuſque prolapſum completum invenimus. Magnitudo hujus prolapſus extra* „ *genitalia erat inſtar capitis fetus, pars ſuperior ejus admodum conſtricta, in-* „ *ferior in circulum majorem expanſa & valde rugoſa, orificium uteri ita an-* „ *guſtum, ut vix ac ne vix quidem acu in cavitatem uteri penetrare potue-* „ *rimus. Ligamenta non diſrupta ſed relaxata nimis, pelvis ampla & rotunda,* „ *veſica urinaria lotio, & inteſtinum rectum ſcybalis induratis repleta, parteſ-* „ *que omnes inferiores inflammatæ obſervabantur*". *Facillime quilibet origi-nem prolapſus a cauſa interna & illi ſuccedentem ſtatum inflammatorium & lethalem dijudicare poterat, & experiri, quid accurata & completa morbi hiſtoria ad cognitionem cauſæ valeat? Differt enim illa, quæ vel ab ægroto perfecte enarratur, vel quæſtionibus ordine propoſitis eruitur, a vulgari & empirica methodo, qua compendioſe plures ſine habito reſpectu ad naturam ægri, ſtatum antecedentem & præſentem, vel per generalia medicamenta, vel per ſpecifica non ſatis dilaudanda, cauſas in genere removere conantur. Alta admiratione dignus erat locus iſte humilis, quo veritas confirmaretur, accidere ſæpius in virginibus ejuſmodi prolapſum uteri completum, a reliquis vulgo dictis uteri procidentiis differentem, ſimulque corporis humani ratio per anatomicas exercitationes magis redderetur comperta, ſiquidem conſtat, medicinam omnem præprimis, quæ manu medetur, ſine illa truncam, debilem, minuſque potentem eſſe. Merebatur quoque exactam indagationem, quo oſtenderetur, uterum, quem matrem quidem dicimus, dum vices in alendo & conſervando gerit, quam diu in ſinu fetum recondit, rectius tamen vocari, matrem plurimorum malorum. Secundum illud enim* Hippocratis fæminam bis pati morbum, & Democriti *effatum* epiſtola ad *Hippocratem* de natura humana, *conſtat uterum millenarium ærumnarum auctorem eſſe, quibus* Wedelius Exercit. Medic. Philoſ. Cent. I. Dec. I. Exerc. VIII. *addit*, uterum, *quem* Plato *dixit animal furioſum*, centrum quoddam morborum conſtituere, ex quo omnes quaſi lineæ ductæ illuc rurſus e toto corpore confluerent. *Itaque liceat e præcipuis eorum momentis, neglectui a medicis datis potiora ſeligere, quæ benevolæ C. L. ſubjicimus cenſuræ.*

§. I.

## §. I.

DE *uteri prolapſu* & *inverſione* nec non *vaginæ relaxatione* utpote diverſis malæ conformationis & figuræ morbis, nobis acturis, neceſſe erit, præmittere veram harum procidentiarum deſcriptionem.

## §. II.

Eſt autem *uteri prolapſus*, oſculi & colli uteri, vel in ſinum pudoris vel extra genitalia procidentia, *inverſio*, deſcenſus fundi uteri per orificium ejus vel in ſinum pudoris vel extra genitalia, *relaxatio* tandem vaginæ, atonia tunicæ præprimis internæ rugoſæ extra pudenda plus minus propendentis.

## §. III.

Hi diverſæ indolis morbi in genere quidem nomine *uteri procidentiarum* [a] veniunt, adeo quidem, ut hoc vocabulum differentibus his ſpeciebus reſpondere & græcorum πρόπτωτις τῆς ὑςέρας [b] teſte *Sennerto* vaginæ relaxationem uterique prolapſum & inverſionem comprehendere dicatur; cum vero a ſe invicem differant, (§. II. XVII. XVIII. XIX. XX.) ſola hac procidentiæ uterinæ denominatione commode comprehendi nequeunt.

## §. IV.

Dividuntur procidentiarum uteri ſpecies vel in *completas* vel *incompletas*. Completa inverſio & *perfectus prolapſus* uteri dicuntur, ſi vel fundus per orificium uteri ductus, vel orificium uteri extra genitalium limites dilatatis labiis deſcendant; *imperfecta* audit utraque ſpecies, ſi vel uterus inverſus

[a] Wedelius *ephem. germ.* & *Barbette* prolapſus uteri vocant hernias uterinas, quibus forſan latus hujus vocabuli ſignificatus arridet; minime tamen his applicandus, cum non omnes herniæ ſint ſpecies procidentiarum. Factum inde, ut per funeſtos uterorum ad inguina more herniarum decubitus *in genere prolapſus* intellexerint. conf. *Taullerus quæſt. V.* Διασκεψεων Χειρυργικων. Sennertus *inſtitut. Part. I. cap. II.* Germ. dicunt *Einen Ausfall oder Fürfall der Gebähr-Mutter*, *Mutterſenckung und Umſtürtzung derſelben*, *Verſchlapſung der Mutter-Scheide.* Duas potiſſimum prolapſus ſpecies recenſet *Mauriceau*, *libro*, qui inſcribitur *Traité des maladies des femmes groſſes Tom. I. Lib. III. cap. IV. pag.* 390. *ſeq.* Priorem quem dicimus incompletum prolapſum, vocat *la deſcente ou relaxation de la matrice.* Sed vocabulo *la chûte ou précipitation* ſignificat prolapſum uteri completum & inverſionem ejus: melius autem diſtinguit ſpecies La Motte *Traité complet des accouchemens naturels nonnaturels & contre nature. Lib. V. cap. XI. pag.* 809.

[b] Prax. Lib. IV. Part. I. Sect. II. cap. XV.

verſus vel orificium uteri prolabentis intra rimam magnam ſubſiſtant. Perfecta poſtea vocatur vaginæ relaxatio, ſi tota tunicæ vaginæ pars tam ſuperior quam inferior extra pudenda prominet, *imperfecta* autem, ſi vel *anterior* pars veſicam urinariam reſpiciens, vel poſterior verſus inteſtinum rectum directa plus minuſve relaxata prolabitur, adeoque portio una vaginæ priori oppoſita ſitum adhuc retinet naturalem. Præterea ſunt vel *ſimplices* vel [c] *compoſitæ*, prout aliarum vicinarum partium ſimul concurrit prolapſus.

§. V.

Ad *poſſibilitatem* & *actualitatem* procidentiarum quod attinet, modus poſſibilitatis explicatur ex ipſa uteri ſtructura, ſitu & connexione. Situs eſt uterus in hypogaſtrio ſeu pelvi, veſicam inter & inteſtinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria, non eam tantum ob cauſam, uti *Graafius* [d] putat, quo *ſcilicet homines ex fragili & peritura materia inter ſtercus & urinam nati, & in terram ac cinerem reſolvendi, vilis & abjectæ ſuæ conditionis memores ſuperbiæ alas demitterent*; ſed ſicuti ipſe poſt modum conſentit, præcipuam hujus ſitus rationem commodum aptiſſimumque generationis locum reſpicere, cum pelvis non liberam ſolum concedit utero expanſionem, verum [e] oſſibus, quibus conſtat, tanquam tutiſſimis mœniis, partes internas nobiliſſimas contra externas defendit injurias.

§. VI.

[c] Vid. Peu *pratique des accouchemens Lib. II. p.* 584.

[d] *De mulierum organis generationi inſervientibus pag.* 92.

[e] An oſſa pubis vel ilei inter parturiendum ſemper ſejungantur? Apertura pelvis in omni partu maxima fiat? Oſſa pubis diducantur? Totaliſque contingat oſſis ſacri retroceſſio? Non conſtat Concedit quidem *Maningham Compend. artis obſtetric.* ſeparationem aliquam oſſis ſacri ab oſſibus ilei, cujus articulatio ad mentem ejus mobilis eſt; neceſſaria autem illa non ſemper eſſe videtur, cum vel facilis vel difficilis partus fundamentum non tam in pelvis magnitudine & apertura, quam uteri potius ſitu rectilineo & obliquo quærendum conf. *Dn. D. Præſidis diſquiſitionem I. de ſitu uteri gravidi* Maningham *Compend. citat. append. loc. addit.* Concurrit tamen ipſius pelvis apertura ad negotium partus, non quatenus a ſejunctione oſſium totali illa amplior redditur, ſed quatenus a retroceſſu oſſis ſacri quoad acumen ſeu os coccygis nonnunquam cavitas augetur, quæ natura prudenter fæminis proſpiciente, initio jam major fuit facta, quum (1) oſſa pelvis tenuiora in ſexu ſequiori obſerventur, (2) notante *celeb. Heiſtero* angulus inter oſſa iſchii & pubis major exiſtat, & ſecundum *Graafii obſervationes* coxarum capacitas amplior ſit viris. Interea non negamus in mala præſertim oſſium conformatione vel nimia ſæpius pelvis anguſtia fieri poſſe, ut ob inſignem uteri expanſionem præprimis autem motuum vim caput fetus in oſſa pubis adigatur, & hanc ob cauſam in junioribus oſſa parum tantum (niſi forſan ſub violenta ejuſmodi fetus mortui extractione plenaria contingat ruptura) a ſe invicem diducantur. Sic Cel. *Morgagnus* oſſium ſæpius dilatandorum per curſum graviditatis diſpoſitionem non vero maturi tantum partus momento productum eventum dijudicat, media & ſicuti judicat, tutiſſima via cum *Spigelio*, *Sennerto*, *Bartholino*, *Verheyenio*, *Veslingio*, *Blaſio*, *Deventerio*, incedens, præprimis cum *Santorinus obſervat. anatomic. cap. XI.* ſententiam *Harvei*, *Diemerbroeckii*, *Ludo-*

## §. VI.

Licet autem uterus præprimis laterales ejus partes, per ligamenta lata membranacea cum peritonæo continua, & ex ejus vera lamina duplicata interveniente celluloſa ſeu externa ſpuria compoſita, pelvis parietibus jungantur, uteruſque [*f*] rotundis ligamentis valde elaſticis, quæ a ſuperiore fere uteri parte, exorta in pinguedine juxta inguina & oſſa pubis terminantur, naturaliter juſto æquilibrio ſervetur, nec non pars anterior ejus & inferior ſeu collum vaginæ cohæreat: fundus tamen uteri, qui a fetu & ſecundinis quidem expanditur, ſed craſſitie [*g*] non imminuitur, liber ſuique juris eſt & variis loci mutationibus nec non expanſionibus & conſtrictionibus ſubeundis aptus [*h*].

## §. VII.

Præter uteri expanſionem in gravidis ultimo geſtationis menſe, nova quædam contingit ſitus mutatio ratione ſpecificæ gravitatis, qua uterus gravidus tendit verſus vaginæ orificium. Vocant illam *uteri deſcenſum*; germanice *Der leib hat ſich geſencket*, variis, in infima hypogaſtrii parte ſtipatum

*Ludovici*, *Paræi*, aliorumque contra *Mauriceau*, *Laurentium Hubertum*, *Ludovicum Mercatum* & alios in contrariam abeuntes ſententiam, fide ac auctoritate confirmet; nam *oſſa pubis*, inquit, *in recenter denatis puerperis*, *quamvis non ſæpius dirempta vidi*, *in aliquibus tamen ita diducta reperi*, *ut & noſtrum & chirurgi*, *qui tum aderat*, *facile fuerit pollicem tranſverſum indere.*

[*f*] De fibris ligamentorum lacertoſis in puerperis & prægnantibus conſpicuis, & de eorum ſtructura conf. quæ paſſim apud *Regnerum de Graaf. lib. cit. pag.* 148. & apud *Santorinum lib. cit. pag.* 220. occurrunt.

[*g*] Vid. Dn. D. *Præſidis diſquiſ. ſupra citatam de ſitu uteri gravidi* &c.

[*h*] Male motum quendam quaſi voluntarium forſan ad *Democriti* mentem, qui uterum vocavit animal in animale ζωον εν ζωῳ *Andreas Laurentius* utero concedit, ventris regionem perambulantem. Hiſt. enim anatomic. Lib. VII. cap. XI. de uſu uteri ligamentorum ſequentia refert. *Horum vinculorum uſus mirabilis eſt. Quum enim ſæpe per totum ventrem aberret uterus*, *dum eſt infructuoſus*, *nunc vel ad præcordia & hepar*, ιχμαλέον *fontem gratioſi vaporis recurrat*, *nunc per latera vagetur*, *nunc deorſum feratur*, *dum libidinis furiis agitatur*: *debuit vinculorum opera hujus motus tanquam fræno coerceri* &c. Melius rectiuſque inter alios explicuit facultatem variæ mutationis localis uteri *Regn. de Graaf.* quando *lib. cit. pag.* 92. *Non ſemper*, inquit, *in medio præciſe collocatur uterus*, *ſed quandoque licet rarius*, *illum nunc magis verſus dextram nunc magis verſus ſiniſtram hypogaſtrii partem ſitum offendimus*, *quod præſertim in prægnantibus ab aliis anatomicis notatum invenimus*, deinde pag. 102. *uterum in gravidis ita amplificari* tradit, *ut*, *qui ante imprægnationem oſſis ſacri initium non ſupergreditur*, *fundus ejus poſtea ad umbilicum & ulterius extendatur*, *ac totam pelvim non ſolum adimpleat*; *verum etiam inteſtina tenuia & reliqua viſcera ſurſum comprimat.* conf. quoque *Deventerius*, qui *Operat. Chirurgic. Obſtetricibus novum lumen exhibentibus c. IX.* hac de re fuſius egit.

tum incommodis [ *i* ]. Plurimi recentiorum eum, vel cum fictitia [ *k* ] fetus verſione, quæ octavo menſe vel initio noni fieri dicitur, confundunt, vel ab hoc figmento originem hujus deſcenſus deducunt.

## §. VIII.

Ab hoc uteri deſcenſu, qui inſtante partus negotio vi motuum ad excluſionem fetus ſecundinarumque directorum æquali vi naturaliter & ulterius promovetur, rugoſæ alias vaginæ longitudo ita mutatur, ut canalis in ſtatu extra graviditatem ſeptem vel octo digitos referens, tempore partus, ruptis membranis & orificio uteri ſatis dilatato, nec non capite fetus verſus pudenda tendente, juſto brevior fiat, orificia autem uteri & vaginæ communem quaſi ductum pro tranſitu fetus facilitando conſtituere videantur.

## §. IX.

Sicuti igitur hoc reſpectu orificium uteri partus tempore ſemper verſus vaginæ os premitur, ita relaxatis nimis partibus ac continuo in partu maxime difficili nixu, niſi cito miſeris parturientibus ſuccurratur auxilio & conſilio, ante fetus excluſionem propelli aut vi ab imperitis obſtetricibus extrahi ſolet. Cujus rei varios triſtes eventus, additis præcavendi ſcopo cautelis quibuſdam practicis paſſim relatos legimus [ *l* ].

## §. X.

Hic naturalis itaque uteri deſcenſus *morboſi poſſibilitatem* indicat, virorum vero clariſſimorum auctoritas & obſervationes quamplurimæ, ejuſdem *actuali-*

[ *i* ] Cum uterus ratione variarum mutationum, quibus obnoxius eſt, priſtinum non ſemper retineat locum; mirandum non eſt, qui fiat, ut utero toto pondere regioni pubis & veſicæ urinariæ incumbente, gravida vel ad mingendum ſæpius frequentiuſque excitetur, vel urinæ excretio plane ſupprimatur; compreſſo vero a mole inteſtino recto alvus nimis adſtricta reddatur, immo a compreſſis vaſis majoribus & impeditum liberum ſanguinis per venas regreſſum tumor pedum oriatur œdematoſus. Vid. *Deventer l. c. p.* 59. Symptomatum periculoſæ aleæ plenorum retentionem urinæ comitantium mentionem faciunt *Mémoires de l'Academ. Royal. des Sciences* 1708. *Koch.* de *affect. veſic. rariſſ.* expanſionis ultra gradum veſicæ. *Edimb. ſoc. IV. pag.* 449. mortis ex retentione urinæ *Chapman improv. of Midwifery. Caſe* 40, iſchuriæ a veſica compreſſa *Ephem. nat. cur. dec. VI. obſ.* 126.

[ *k* ] Impoſſibilitatem dictæ verſionis variis ex rationibus ſufficientibus demonſtrat Dom. D. *Præſes* in *præf.* ad *Compend R. Manningham. & adjuncta ipſi diſquiſ. I. cit.*

[ *l* ] Vid. *Dionis traité général des accouchemens cap. XIII. pag.* 266. Mauriceau *lib. cit pag.* 398. Deventer. *operat. chirurg. cap. XIX. pag.* 130. Manningham *l. c. pag.* 61. Munnick *chirurg. lib. I. cap. XXXIII.*

*tualitatem* [*m*] confirmant. Mirandum igitur nonnullos [*n*] veritatem facti denegaſſe, præprimis autem *Kerckringium* [*o*] eos, qui uterum foras prodire & extra corpus propendere exiſtimarunt, cultro anatomico impugnaſſe, cum tamen nec cultelli acies acuta ſatis, nec ſtrenui deſcenſus uterini impugnatoris dijudicandi ratio exquiſita denegandæ veritati luce meridiana clariori ſuffecerint.

## §. XI.

Infirmis enim fundamentis nititur ejus demonſtratio. Concedimus quidem ſarcomata aut alias vaginæ excreſcentias foras propendentes cum uteri procidentiis confundi poſſe, præprimis cum citat. vir de ſimili fungoſa ſubſtantia, quam in puella obſervavit, refert, ſe inveniſſe *ſarcomatis rudimentum inſtar dactyli, orificio uteri interno adhæreſcens, quod ſi tempore adauctum fuiſſet, eadem ratione incautis chirurgis vel medicis impoſuiſſet, qui uterum ſemper immobiliter loco ſuo conſiſtentem tanquam vagantem per omnes partes ventris cum* Laurentio, *vel tanquam procidentem cum pleriſque aliis indicaſſent:* ab ignorantia tamen nonnullorum ad negationem rei non valet conſequentia, ſiquidem ipſa ratio dictat, fungoſas excreſcentias [*p*] ab uteri procidentiis utpote diverſis affectibus, diſtingui poſſe. Hinc neque his nec aliis ab arcta uteri cum vicinis partibus cohæſione, vel ipſa uteri gravidi ſubſtantia deductis rationibus calculum noſtrum apponimus, ſed uteri partes omnes elaſticas, variis mutationibus, conſtrictioni, relaxationi & rupturæ [*q*], obnoxias eſſe affirmamus.

§. XII.

[*m*] Conf. *Felix Platerus* in *obſerv. Lib. III. Dom. de* Marchettis *anat. Cap. VII.* Jacob. Primeroſius *de morb. mulier. Lib. II. cap. XV.* Veslingius *Syntagmat. anat. cap. VII.* Bartholinus *Anat. reformat. Lib. I. cap. XXVIII.* Peierus *E. G. Dec. II. ann. I. obſ.* 14. 84. 91. 94. Salmuth. *Obſ. cent. I. LXXVII.* Ruyſchius *obſ. anat. chirurg.* Voelter *ſchola obſtetric. pag.* 158. Mauriceau, la Motte, Deventer. *loc. cit.* Viardel *obſerv. ſur la pratique des accouchemens cap. XXX. pag.* 211. Peu *lib. cit. cap. XXI. pag.* 582. Amand. *nouvelles obſervations ſur la pratique des accouchemens obſerv. LXII. pag.* 214. *ſeq.* Meſnard. *libr.* cui titulus *guide des accouchements artic.* 2. *pag.* 49. *ſeqq.* &c.

[*n*] *Etmullerus*, *Barbette*, *Deckerus*, *Hornius* alii prolapſum uteri nunquam aut rariſſime nec niſi a cauſſa tantum externa violenta accidere affirmant.

[*o*] *Obſerv. anatom. XX. pag.* 49. & *obſ. LIII. pag.* 113.

[*p*] *Excreſcentia fungoſa* uterum prolapſum ſimulans deſcribitur *miſcellan. N. C dec. I. ann. II. obſ.* 121. item inverſus uterus carneis excreſcentiis plurimis obſitus *Miſcell. N. C. dec. II. an. I. obſ.* 186. Ruyſchius *excreſcentias uterinas* quas *polypos uteri* quoque dicunt, ſæpiſſime obſervavit, interim bene diſtinguit ab uteri prolapſu & inverſione conf. *obſ. LVIII. pag.* 54. *ſqq.*

[*q*] De utero toto extra vulvam ita prolapſo, ut illum exſtirpandi neceſſitas poſtulaverit, memorabilia quidem referunt exempla *Paulus Ægineta*, *Pareus*, *Mercurialis*, *Fernelius*, *Sennertus*, *Langius*, *Bonetus*; ſed, ſit alias fides penes auctores, quæritur jam dum de veritate facti valde dubitamus; an hæc uteri exſtirpatio, quam ſine vitæ diſcrimine factam fuiſſe affirmant, non potius pro vaginæ prolapſæ abſciſſione ſit habenda? (§. XIV. XV.) præprimis ſi triſte illud exemplum & crudele inſtitutum nobis in mentem incidit, cujus *Ruyſchius* meminit *obſ. anat. medic. chirurgic. obſ. VII. p. X.*

## §. XII.

Itaque, ſtabilita veritate prolapſus uteri, nos accingimus ad conſiderationem *inverſionis* quatenus vel fieri poteſt vel vere contingit. *Poſſibilitatem* ejus evincimus ex libera fundi uteri expanſione [*r*], ligamentorum relaxatione, & violenta placentæ utero præternaturaliter adhærentis [*s*] extractione. Si itaque verum, collum & latera uteri, excepto fundo cohærere partibus adjacentibus, ſequitur illa vi cuidam magis reſiſtere poſſe, fundo uteri, qui, facta poſt fetus excluſionem funiculi umbilicalis violenta extractione in conſortium abripitur, &, niſi contingat ruptura funiculi, per apertum ſatis uteri orificium una cum ſecundinis ducitur.

## §. XIII.

Quamvis autem non negandum, alteram hanc uterinæ procidentiæ ſpeciem ſeu inverſionem, ſub qua fundus uteri inſtar chirothecæ vel marſupii invertitur & per orificium uteri protrahitur, priori rariorem eſſe morbum externum; de ejus tamen poſſibilitate non eſt, quod dubitemus, præprimis cum accedant virorum [*t*] fide dignorum auctoritas & obſervationes, utpote

[*r*] Uterus poſt fetus excluſionem ſæpiſſime inæqualiter vel expanſus vel conſtrictus deprehenditur. Obſervatur id quam maxime in partubus præternaturalibus, in quibus peracta operatione auctores manum rurſus utero immittere jubent, quo ſanguis in illo adhuc contentus evacuetur, & obſervetur, num uterus æqualiter expanſus ſeſe circa manum conſtringat? *Deventer* igitur, van *Horn.*, *Chapman*, *Giffart*, Dn. D. *Præſes*, facta ſanguinis evacuatione, dorſo manus caute uteri fornicem reſtituunt, & quaſvis occurrentes plicas adæquant, quo æqualis contingat uteri conſtrictio, dolores poſt partum vehementes imminuantur, uterique inflammatio, ob vaſa compreſſa, quantum fieri poteſt, impediatur. (§. XXXI.)

[*s*] Ruyſchius *adverſariis anat. num. X. contingit*, inquit, *placentam fundo matricis cavo, convexitate ſui corporis adeo accretam adhæreſcere, ut in unum fere corpus miris coaluiſſe modis viſum fuerit.*

[*t*] Ejuſmodi obſervationes vid. apud *Th. Bartholinum Hiſt. anat. cent. II. hiſt.* 91. Ruyſchium *obſerv. anatom. chirurg. cent. I. obſ. X.* Conf. quoque *Petr. Marchettis obſervat. LXI.* Stalpart: *van der* Wiel *obſerv. LXVII.* Hildanus *cent. IV. obſ. LX.* Iſbrand. Diemerbroeck. *anatom. lib. I. cap. XV.* Mauriceau *lib. cit. cap. V. pag.* 390. Gerh. Blaſius *obſervat. anat. pag.* 128. la Motte *lib. cit. pag.* 806. Amand *lib. cit. obſ. LX. pag.* 160. & *obſ. LXII. pag.* 214. Peu *lib. cit. pag.* 585. Inter alios autem *Chapman lib. cit. caſ. XXIX. pag.* 123. triſtem refert obſervationem, quæ, cum evidens ignorantiæ plurimarum obſtetricum exhibeat teſtimonium, (ſiquidem ab earum perverſo operandi modo, uti antea jam dictum, accidit ut plurimum uteri inverſio,) illam pagellis noſtris inſerere dignam judicavimus.

*CASE XXIX.*

A Woman killed by an Inverſion of the uterus.

*I was, in the greateſt Haſte, ſent for to a Woman* ſix *miles diſtant from me; to whom I went with all poſſible Speed, but found on my Arrival, that ſhe had been dead, near half*

te qui ea, quæ ad hiſtoriam, cauſæ cognitionem, curandi & præſervandi modum pertinent, fideliter tradunt.

## §. XIV.

Tertia procidentiæ ſpecies, *vaginæ* ſcilicet *relaxatio*, non ab omnibus auctoribus ab uteri prolapſu rite fuit diſtincta [*u*], ſed pro eadem ſæpiſſime habita: aliam autem eſſe hujus rationem, aliumque fiendi modum, tam ex vaginæ ſtructura quam partium differentia optime dijudicamus. Præter differentiam enim ſatis notam conſtat, vaginam variis tunicis, muſculoſa, glanduloſonervea, celluloſa, & interna plus minus rugoſa inſtructam eſſe, hinc facillime, ſicuti fit in ani procidentia relaxatis fibris muſcularibus, vel in aliquibus vaginæ locis [*x*], vel in toto ejus ambitu procidentiam oriri poſſe.

## §. XV.

Interim ejuſmodi relaxationem ſæpius cum uteri prolapſu conjunctam eſſe & extra pudenda propendentem uterum verum mentiri, variæ auctorum teſtantur obſervationes [*y*].

## §. XVI.

Quæ itaque inter tres ſpecies intercedat differentia, ex prioribus patet, ſimul-

*half an Hour. I conjectured ſhe hat died by floding; but, upon asking the Queſtion. was anſwered in the Negative. The Midwife told me, that the Afterbirth ſtuck ſo faſt in one Part, that she was not able with all her Strength to take it from her, though she had gained moſt of it. Upon this I deſired the favour of ſeeing the Corps, which being granted, I found, to my great Surprize, that the Uterus was inverted, and entirely out of the Body, hanging down between the Thighs, with the Placenta adhering to its Fundus, which I ſeparated before the Midwife, and ſeveral Matrons there preſent, and convinced them all of the diſmal Accident. This Woman, it ſeems, had a very good and eaſy delivery of the Child; but that born, the Midwife pulled hard at the String, and ſo brought down the Uterus, which as ſoon as she could take any hold of she did: And then pulling with freh violence, and not being deterred by the loudeſt Cries, the poor miſerable Woman in a few minutes fell into ſtrong Convulſions and Deliquiums, and ſo expired. Thus was a young healthy mother cut off. in the Bloom of Life and caſt into the cold Arms of Death, juſt as she was about to claſp her firſtborn in her own.*

[*u*] Conf. *David van der Beeck* in peculiari *diſſ. de uteri procidentia.*

[*x*] Duplex procidentia diverſis in locis duos renes vitulinos referens deſcribitur a *Wepffero Eph. Germ. dec. II. ann. V. obſ.* 150.

[*y*] *Ruyſchius* in muliere annoſa molem propendentem, quæ ſecum rapuit portionem veſicæ, a ſe obſervatam, deſcribit *Obſerv. anat. chirurg.* vid. quoque *Meeckern obſerv. med. chirurg. c. LIV. Miſc. N. C. Dec. II. an. X. obſ.* 181. *Dec. III. ann. V. & VI. obſ.* 226. *Eph. germ. Dec. II. ann. I. obſ.* 84. *Dec. II. ann. IX. obſ.* 149. Peu *l. c.* Mauriceau *l. c. pag.* 397. La Motte *l. c. cap. XI. pag.* 807. Deventer *l. c.* Meſnard *l. c. artic. II. pag.* 49.

ſimulque cognoſcitur, *uteri prolapſum & vaginæ relaxationem*, ſive completa ſive incompleta ſint, tam in virginibus quam mulieribus *extra ſtatum graviditatis & poſt partum* contingere, *inverſionem* autem uteri poſt *excluſionem fetus* aperto ſatis orificio uteri a violenta qualicumque cauſa externa, & ipſi juncta, vi interna tantum fieri poſſe.

## §. XVII.

Ab hac differentia ducimur ad dijudicanda ſigna *triplicis procidentiæ diagnoſtica*. In completa & incompleta uteri inverſione, quæ viſu tactuque explorari poterunt, obſervamus, placentam ope funiculi quidem extractam, ſed fundo uteri ejuſque ſubſtantiæ adhærentem, & aditum in ejus cavitatem occludentem. Placenta ab utero inverſo ſeparata excitat inſignem hæmorrhagiam propter vaſcula eminentia aperta, quæ optime delineavit *Ruyſchius* & aliquoties mercurio vivo injecta inter præparata Excell. Dn. D. *Præſidis* conſpicere mihi licuit. Figuram habet pyri magni inverſi, cujus circumferentia maxima circa vaginæ orificium offenditur, pars vero fundi uteri per ejus orificium deſcendens pediculum refert, illudque ita occludit, ut plane evaneſcat & circulo tantum mucilaginoſo albicante obductum cernatur.

## §. XVIII.

Huncce ſtatum uteri præternaturalem comitantur dolores maximi præprimis in regionibus lumbaribus & circa genitalia, tumores partium inflammatorii, iſchuria, alvi conſtipatio, fluxus lochialis ſuppreſſio, pulſus celer & durus, præcordiorum anxietates, proſtratio virium, animi deliquia, & reliqua junctæ febri inflammatoriæ ſigna.

## §. XIX.

Prolapſus uteri completus & incompletus ratione mutatæ uteri figuræ ejuſque orificii a priori ſpecie tam oculorum acie, quam tactu optime diſtinguendus eſt. Reliqua huic affectui familiaria ſymptomata ſunt præprimis dolores tenſivi in regionibus lumborum, oſſis ſacri & hypogaſtrii, pondus pro ratione prolapſus intra genitalia maximum, motum corporis diverſimode impediens. Uterus in vaginæ cavitatem irrepens, & inſtar cunei inter duo receptacula excrementorum hærens ea valde comprimit. Percipitur ſimul ardor [z] in genitalibus, & excoriatio utero ab urinæ effluxu

[z] Hippocrates *de morb. mulier. Lib. II. Sect. V. num. 30. p. 655. Si uteri extra naturam proceſſerint, pudendum & imum ventrem igneus calor detinet, urina crebro ſenſimque ſtillat pudendumque vehementer mordetur. Hoc autem accidit, ubi recenter a partu cum viro dormierit.*

effluxu inducitur. Accedente vero inflammatione partium, ſigna §. XVIII. indicata, concurrunt.

## §. XX.

In relaxatione autem vaginæ conſpicimus membranam internam vel quaquaverſum, vel in certa tantum parte e genitalibus propendentem, rugas vaginæ minores attritas & prorſus obliteratas. Quo magis autem extra genitalia prodit, eo magis attenuatur interna ſuperficies, excoriatio partium & dolores ſub emiſſione urinæ contingunt. Si procidentia hæc juncta ſit cum uteri prolapſu, ſimul ipſi reſpondent ſigna antecedenti paragrapho expoſita.

## §. XXI.

A ſignis progredimur ad *cauſarum* cognitionem, ſub quarum ſcrutinio reſpicimus tam ad *antecedentes* quam *proximas*. Accuſamus placentæ ad fundum uteri nimis relaxatum præternaturalem accretionem utpote cauſſam remotam *inverſionis*. Quid enim valeat ejuſmodi ſitus placentæ & adhæſio in producendis diverſis ſymptomatibus, docuit inter alios præclare *Stuartus diſſert. de Secundinis nocivis* æque ac ſalutiferis. Mirum inde non eſt, accedentibus aliis v. g. laborioſo partu, niſu fetum excludendi validiori, excluſo fetu excrementa excernendi fortiori conatu, violenta [a] funiculi umbi-

[a] *Regnerus de Graaf.* L. c. p. 146. *Quantum ad nos attinet*, inquit, *exiſtimamus, in difficili partu, dum placenta utero firmius adhæret, & ab imperitis obſtetricibus nimium attrabitur, inverſionem aliquando contingere poſſe, rariſſime licet eveniat*; & *Ruyſchius* l. c. *Oritur hoc malum nonnunquam ab obſtetricibus minus expertis funiculum umbilicalem pluſquam par eſt attrahentibus, unde uterus non poteſt non ſubſequi.* Illuſtr. quoque *Hallerus* de duplici uteri prolapſus ſpecie in *pathologia generali & prælect. ad* Boerhaav. *inſtit. med. pag.* 58. erudite ita ſentit: *Uterus dum detrahitur ſimul invertitur, quando obſtetrix placentam fortius vellendo extraxit, neque altera manu uterum ſuſtinuit; tunc enim ſi chorion utero, firmius adhæſerit, poterit cum extracta placenta uterus deorſum educi; ſi tunc quam maxime uterus repoſitus fuerit, perpetua tamen ad prolapſum diſpoſitio ſupereſt.* Hujus rei in gratiam *G. Blaſii* obſervationes medicæ rariores p. 42. ſeq. conferantur, præprimis autem ea, quam part. III. obſ. II. refert, notentur. Ibi enim: *Aperui ventrem defunctæ puerperæ. Obierat hæc die præcedente hora quinta poſt partum, ſana alias antea, edito fetu optime valente. Exhibuit ſe hic uteri fundus ad interiora illius converſus, ſicque ad pudendum uſque prolapſus, adeo ut vagina tota corpore hoc uteri inverſo repleretur, quod etiam arcte adeo a contracto utero detinebatur, ut non niſi robore ſummo, atque violentia, ope per pudendum immiſſi inſtrumenti, ſurſum detrudi, ſicque in naturalem locum reduci potuerit. Imprudentiæ obſtetricis, an vero nimis arctæ cohærentiæ ſecundinarum cum uteri membrana interna, hoc malum adſcribi debeat, non meum determinare, hoc tamen addo, retuliſſe adſtantes mulieres, quæ in partu obſtetrici auxiliares fuerant, quam primum fetus in lucem prodiiſſet, exclamaſſe obſtetricem adhuc alium in utero hærere fetum, ſicque extra pudendum protraxiſſe corpus aliquod rubrum, ad cujus adſpectum conſternatæ adſidentes,* impe-

umbilicalis attractione, cujus vi fundus reſiſtere neſciens, celeritatem & directionem ſequitur, facillime accidere ejuſmodi malum [*b*].

## §. XXII.

*Cauſæ prolapſus uteri* variæ ſunt. Motus enim violenti diverſæ ſpecies, ſicuti hernias, ita quoque uteri procidentias, producere valent in phlegmaticis maxime, ad cachexiam pronis, colluvie ſeroſa abundantibus, ut & in illis, quæ ex recenti puerperio viribus adhuc imbecillibus, partibuſque utero continvis nimis relaxatis [*c*], gaudent. Harum autem in numerum referri ſolent vehementes tuſſes, clamores, extenſiones violentæ artuum, labores duriores, teneſmi, contuſiones graves, lapſus, ſaltationes, equitationes, violentæ ſternutationes, ponderum ſublevationes, vomitus, deſaltationes ex alto divaricatis cruribus, aëreque retento, & quæ ſunt reliqua, quæ contra ſententiam *Roonhuyſii* procidentias producere, & mala inveterata reddere poſſunt deteriora [*d*].

## §. XXIII.

Enarratis jam cauſis, aliæ annumerari merentur vel *a vi partus* vel *a nimia humiditate* deductæ. Sub partu enim laborioſo caput fetus ſæpius una cum orificio uteri, niſi illud digitis lateraliter retineatur, extra pudenda propel-

*imperitiæ illam accuſarunt, ab opere deſiſteret ſerio admonentes, quod etiam fecit, poſtquam, in quantum vel per uteri contractionem vel per ignorantiam, licuit, extra pudendum dependens, introrſum iterum compulit. Vaſa omnia ſanguine hic adeo deſtituebantur, ut etiam quocumque loco cultro anatomico aperta nil ejus funderent, ſubſidentibus in totum tunicis; quem etiam ſanguinis defectum ex immoderato fluxu, ob ſecundinæ violentam ſeparationem extractionemque cauſatum, mortis ſubitaneæ cauſam judicamus.* conf. §. XIII. not. t.

[*b*] Tradunt nonnulli; ſe aliquot dies poſt partum contingentem ejuſmodi inverſionem ab induratis ſcybalis & vehementi alvum excernendi preſſione, obſervaſſe, vaſaque fundi uteri per orificium uteri hiantia conſtricta & mucilaginoſis punctis non vero ſanguineis tincta inveniſſe; an vero a ſola preſſionis vi ejuſmodi inverſio uteri contingere poſſit? Valde dubito, incompletam autem fuiſſe antea jam inverſionem malumque a voluntario motu violento auctum & inverſionem completam redditam, ex ſupra adductis rationibus potius dijudicari licet. Cæterum conf. *Ruyſchii obſ. X. pag.* 12.

[*c*] Hippocrat. *de morb. mulier: Lib. II. Sect. V. num.* 40. *Quælibet*, inquit, *occaſio ad commovendos uteros ſatis eſt, ſi quid vitii habeant. Id enim vel ex pedum & lumborum frigore contingit, & ex ſaltatione, animi conſternatione, lignorum ſectione, curſu ad acclivem vel declivem locum & ex aliis plurimis.*

[*d*] Illuſtr. *Hallerus* præclare l. c. docet, hunc morbum frequentem eſſe, & oriri ſæpe, *quando continuo a partu mulier, nimis ſana, nixum edit, aut ambulat, quod inter pauperculas ruſticas mulieres frequenter fieri ſolet: tunc enim omnia circa uterum aperta & laxa ſunt, qua puer nuper tranſiit, & uterus facile extrorſum decumbit.*

propellitur [*e*]; accedentibus autem adhuc poſt partum ejuſmodi conatibus & preſſionis vi, mirum non eſt, effectus relaxati nec in priſtinum ſtatum reſtituti uteri ſubſequi. Deinde quod nimiam attinet humiditatem, ipſa ratio docet humores a toto corpore defluentes, ligamenta uteri humectare ac relaxare poſſe, ſimulque experientia confirmat, in locis humidioribus hunc morbum ſatis familiarem eſſe. His itaque ductus rationibus recte judicat *Graafius* [*f*], prolapſum uteri in virginibus poſſe contingere. *Meminimus enim*, inquit, *nos uno tempore ad quatuor diverſas filias, quarum virginitas innoxia habebatur, vocatos fuiſſe, quæ uteri prolapſu laborabant, quibus partim fomentis adſtringentibus, partim annuli cerei in pudenda immiſſione, non vulgare attulimus auxilium.* Hinc facile dijudicandum, cur abuſum balneorum & unguentorum emollientium, ipſumque fluorem album [*g*] inter cauſas retulerint auctores, quæ prolapſum uteri excitare valent, & quomodo fiat, ut humores in rugis & plicis vaginæ adhuc ſubſiſtentes mora acrimoniam induant parteſque arrodant.

## §. XXIV.

Cognitis hiſce *proximam* eruimus, quam ligamentorum, præprimis uteri rotundorum, vel relaxationem [*h*] vel violentam avulſionem & abruptionem [*i*] eſſe arbitramur. Non vero plenariam hic ab utero, vel parte, cui infiguntur ligamenta, intelligimus avulſionem, ſed, ut *Mauriceau* judicat, incipientem fibrarum quarumdam ſeparationem, qua ligamentorum longitudo augetur, eorum autem reniſus & vis elaſtica imminuitur.

§. XXV.

[*e*] *Etſi fetus ſitum rectilineum retineat, inter labores tamen parturiendi, ſine magno conatu, contingere poſſe uteri ejuſque vaginæ procidentiam, ſi ſcilicet pelvis nimis ampla fuerit ad proportionem uteri, & quid in illo continetur, ſi inſuper os uteri craſſum ſit & durum, ipſaque muliebria laxa facile dilatentur;* teſtatur *Deventer l. c. p.* 79.

[*f*] *L. c. p.* 153.

[*g*] Conf. *hiſt.* præfamine hujus diſſert. deſcriptam. Obſervavit Dn. D. Præſes aliquoties, peractam modo infra explicando, prolapſus uteri repoſitionem, excepiſſe fluoris albi antea ſuppreſſi, excretionem, materiamque mucilaginoſo-glutinoſam albicantem e genitalibus profluxiſſe, quæ a glandulis, a nimio humorum ad inferiora affluxu, obſtructis & relaxatis originem duxit & ſpecialiſſimam poſtea poſtulavit medendi methodum. Similiter *Jacob. Sylvius Ligamenta uteri laxari demonſtrat aut humore multo præſertim pituitoſo (uterus enim velut quædam mulieri eſt cloaca) imbuta, aut partu crebro, vel alia ex cauſa, ut ætatis declinantis imbellicitate exſoluta aut paralyſi affecta &c.*

[*h*] Jacob. Sylvius *Lib. cit.* oſtendit cauſam mali hujus continentem eſſe *membranarum, quæ uterum vicinis partibus connectunt, abruptionem vel laxationem.*

[*i*] Præter ea, quæ de crudeli uteri protractione litteris dederunt, *Barbette*, *Blegny*, *Mauriceau*, conf. *Eph. Germ. dec. II. an. I. obſ. XIV. & LXXXIV.*

## §. XXV.

Sequitur jam ordine indagatio *cauſarum relaxationis vaginæ.* Inter *remotas* referimus ſtatum ad cachexiam pronum, habitum [*k*] tam totius corporis quam partium quarumdam rariorem, molliorem, peculiaremque genitalium diſpoſitionem, temperamentum ſanguineum & phlegmaticum. Inter efficientes vero, humores ſeroſos in libidinoſis maxime, coitu ſæpius utentibus, ad genitalia loca confluentes, prægreſſum fluorem album, quo vel arroſio vel relaxatio tunicæ internæ vaginalis facta, fetum ægrius per vaginam expulſum, & vel ob viarum anguſtiam, vel uteri, vel ſitus fetus in utero obliquitatem immobiliter ibi coarctatum, parturiendi & egerendi alvum niſum validiorem, ſub quo vagina ita inverti poteſt, ut internus paries exterior quaſi fiat, ſicuti inverſio inteſtini recti in equis alvum exonerantibus manifeſta eſt. Quibus tandem addimus quaſcumque ſub difficili partus labore ab auxiliatrice obſtetricis manu, vaginæ inductas violentias.

## §. XXVI.

Cum igitur omnia, quæ tunicam vaginæ internam durius premunt, tonumque glandularum & fibrarum valde labefactant, ejuſmodi morbum externum producere valent, apparet cauſam proximam ejus, remiſſionem fibrarum vaginæ vel totalem vel partialem eſſe, qua non rugæ ſolum obliterantur, verum vagina extenſa nimis, prolabitur, & globoſam induens figuram uterum verum ſæpiſſime mentitur (§. XV).

## §. XXVII.

De *prognoſi harum procidentiarum* ut quædam moneamus, notandum; *inverſionis uteri* dubiam & funeſtam utplurimum eſſe, dijudicandam autem a tempore durationis, & comitantibus eam ſymptomatibus. (§. XVII. & XVIII). *Quo brevius* enim fuit tempus, contingentis *incompletæ* uteri inverſionis, eo mitiora quoque ſymptomata & eo facilior curatio. *Quo diutius* autem *completa* puerperam afflixit, eo difficilior & impoſſibilis fere repoſitio, cum lethalia hæmorrhagiæ, inflammationis, gangrænæ, ſphaceli & plena-

[*k*] *Ludovic. Mercat.* de *affect. mul. cap.* de *uteri procident. Hoc vitium ſenibus ſubinde magnis accidit, & iis, quæ ex inſtituto vitæ (quales ſunt lotrices mulierculæ) nudos diu in frigida pedes continent, aut in frigido lapide diutius ſedent, vel aerem frigidiorem excipiunt, maxime in puerperio, aut menſtruo fluente, quod eo tempore uteri utraque pars magis hiet. Libro quoque* Erotis *ſeu* Trotulæ *curandarum ægritudinum muliebrium, qui primum editus fuit inter medicos veteres latinos Aldinos Venetiis* 1547. Folio, ſimul de matricis deſcenſu, propter *nervorum remollitionem* & *frigidorum humorum abundantiam* contingente, agitur.

plenariæ corruptionis, illam comitentur ſymptomata. Teſtatur enim *Ruyſchius* [*l*], *affectum hunc, niſi illico profligetur, mortem ſtatim ſubſequi. Memini*, ait, *me bis una in ſeptimana hoc vidiſſe, nec (niſi abſque ulla mora opem ferret obſtetrix) ullam, præter uxorem cujuſdam Hebræi evaſiſſe.*

## §. XXVIII.

Quid de *prolapſu uteri ejuſque vaginæ relaxatione* ſit ſentiendum, ex tradita ſupra horum morborum natura perſpicitur. Quamvis enim inflammationes & corruptiones iiſdem accidiſſe, ſæpius viſum fuerit, interim ſibi relictæ nec incongruis externis tractatæ, raro lethales evadunt, ſed variis tantum ſtipatæ ſunt incommodis. Collegit nonnullas obſervationes Dn. D. *Præſes*, ex quibus didici, fæminam ultra decem & plures adhuc annos prolapſu uteri incompleto, completo poſtea facto, ne dicam procidentia vaginæ, utpote leviori prolapſus ſpecie laboraſſe, reſque domeſticas, exceptis tantum quibuſdam corporis motibus, (§. XXII.) peragere potuiſſe.

## §. XXIX.

Cum igitur ſalvam poſſe ad tempus ſubſiſtere vitam, neglecta etiam harum procidentiarum curatione, (§. XXVIII.) demonſtravimus, quæritur jure, quænam *prognoſis* ratione *curationis* in genere formanda ſit? Hanc vero dubiam eſſe reſpondemus, cum reſpectus habendus ſit ad ipſum individuum, genitalium diſpoſitionem, ætatis rationem, & procidentiarum conditiones. In illis enim, in quibus præſertim uteri prolapſus malum fuit inveteratum [*m*] uteruſque ſphæricam magnam molem refert, difficulter erit reponendus, & in ſitu naturali retinendus, repoſitio tamen non ſemper eſt impoſſibilis, præprimis ſi ſecundum leges certas, inferius præſcribendas, circumſpecte & caute inſtituatur. Recens autem perfectus & imperfectus uteri deſcenſus, ſi convenienter tractetur, ſpem felicis curationis promittit, ſicuti & relaxatio vaginæ more methodicorum citra inſtrumentorum quorumdam auxilium, externo remediorum uſu corrigi poteſt.

## §. XXX.

Accedimus jam ad *curationem*, quæ differt pro ratione diverſitatis pro-



[*l*] *Operib. anat. chirurg. obſ. X. p.* 12. & *tractat. anatom. de muſculo in fundo uteri reperto p.* 18.

[*m*] Jacob. Sylvius *lib. cit. Recens*, inquit, *uteri procidentia, ſi reponatur, ætas ſit adoleſcens aut florens, hæret & permanet, ægre tamen ſi veteravit (quando nec dolet nec convelli periclitatur) reponi quidem poteſt; ſed mox levi ex cauſa relabitur præſertim ætate jam provectiore.*

cidentiarum. Alium enim poſtulat tractandi modum inverſio uterina quam prolapſus, alium rurſus relaxatio vaginæ quam prolapſus & inverſio uteri. Generalis autem indicatio eo redit, quo uterus, qui inverſus prodiit, in naturalem reponatur ſitum ibique retineatur, ſuperficies uteri interna undique æqualis reddatur, & partes nimis relaxatæ ſimul roborentur.

§. XXXI.

Repoſitio autem inverſi uteri ſine mora [ *n* ] ita inſtituenda eſt. Ut (ſive completa ſive incompleta inverſio ſit) capite puerperæ declivi poſito, dorſoque elevato, retractis ad nates calcibus, pars uteri prominens & perinæo incumbens, digitis manus dextræ, ſucceſſive & circumſpecte in vaginam reponatur: poſtea fundus per orificium ductus leniter reprimatur, &, ne ob atoniam uteri inverſio recurrat, dorſo manus in uteri cavitatem immiſſæ, naturalis fundi figura, uterique fornix reſtituatur, quævis ibi occurrentes plicæ & ſulci, adæquentur, tandem manus in pugnum mutata, leniter extrahatur, antea vero paulatim ibi detineatur explorandi cauſa utrum correctam hanc uteri inverſionem, ſequatur ejuſdem conſtrictio? Quippe quæ ſpem facit reconvaleſcentiæ.

§. XXXII.

Quodſi vero plures horæ a tempore inceptæ inverſionis præterlapſæ jam fuerint (§. XXVII.) & graviora inflammationis, tumoriſque adſint ſymptomata, pars quaſi prominens indurata, per convenientia externe applicata medicamenta aliquatenus emolliatur, ſicque fundus peragendæ repoſitioni aptus reddatur, alvus autem per clyſterem oleoſum carminativum blande ducatur, & lotium ope cateteris evacuetur.

§. XXXIII.

Partes itaque prominentes *emolliantur* prius lacte tepido, cui ſpongia immergenda & ope illius externa genitalia fovenda, omnis autem impuritas circa ambitum orificii, per quod uteri fundus prodiit, detergenda. In caſu difficiliori decocta emollientium & carminativarum herbarum, ex farin. fabar. furf. trit. flor. malv. alth. meliſſ. chamomill. r. & v. ſambuc. ſem. carvi, fœnicul. lini, in forma cataplaſmatis ope linteaminum quadruplicium, genitalibus tepide applicentur, quo tumor minor & plicabilis fiat, uterique fundus eo facilius reponi poſſit.

§. XXXIV.

[ *n* ] De uteri a partu inverſione ab imperita manu lethali reddita *Ruyſchius oper. anat. med. chirurg. obſ. XXVI.* ubi: niſi cito auxilio ſuccurratur inverſioni uteri, *funeſta ſit.* Legat. *La Motte lib. cit. pag.* 806.

§. XXXIV.

Peracta *repoſitione*, (§. XXXI.) ſub qua ſibilum quendam, ſicuti in herniarum repoſitione obſervabis, quies tam corporis quam animi miſeris commendanda. Præprimis autem per plures dies puerpera in ſitu reclinato jaceat immota, extenſis cruribus & ita coaptatis, ut alterum alteri incumbat; animi pathemata, occaſiones ridendi, loquendi, clamandi, tuſſiendi, vomendique &c. fugiat, urinam autem vel alvum in ejuſmodi ſitu declivi, nulla adhibita vi preſſionis, commode excernat, & hujus rei ob cauſam quotidie utatur enemate ex lacte confecto, vel alio quodam ex ſpeciebus emollientibus cum avena excorticata in aqua coctis parato, addito quantum ſatis olei chamom. coct. Externæ partes contra inflammationem & putrefactionem defendantur, ſpecificis quibuſdam, v. g. herba ſalviæ in vino cocta cum ſufficiente quantitate butyri inſulſi remixta, & aqua vulneraria vel ſola vel cum aqua calcis vivæ, ope ſpongiæ aut linteaminum, tepide ipſis impoſitis, abdomen vero oleo roſar. inungatur, aut ſi opus eſt, ſpecies reſolventes & diſcutientes in vino coctæ in uſum trahantur.

§. XXXV.

Hæc quidem quoad *externa* remedia initio ſufficiant; cum ſtatim poſt applicationem eorum medentis intentio dirigenda ſit ad ſtatum corporis internum, lochialem fluxum & junctam ipſi utplurimum febrem. Hinc curatio indicationibus innititur ſequentibus. Status nimirum inflammatorius incipiens diſcutiendus, purgatio uterina & reliquæ excretiones blande promovendæ, motus internus auctior contemperandus, & tandem partibus tam internis quam externis tonus reſtituendus.

§. XXXVI.

Si igitur facta repoſitione uteri, fluxus lochialis non ſuccedat, ſed periculum *inflammationis* immineat, aut ipſa febris acuta jam adſit, tunc ex ſymptomatibus illam comitantibus, ob vim utero inflictam & ſuppreſſam ſanguinis per vaſa antea compreſſa excretionem ejuſque ſtagnationem & ſtaſin in corruptionem pronam, recte judicamus ſtatum uteri ſubeſſe inflammatorium, & ſecundum effatum *D. Manningham inflammationem uteri multum habere periculi, tum autem maxime, cum mulieri in primis a difficili partu diebus accidit*, arbitramur.

§. XXXVII.

Noſtrum non eſt officium, paucis hiſce lineis omnia enarrare, quæ

ſpectant ad eſſentiam hujus *febris*, differentiam ab aliis, & cauſarum nexum, utpote quæ ſpecialem merentur conſiderationem. Pauciſſimis ea tantum complectemur, quæ ad ſpecialem pertinent therapiam, medico quoad ineundam & feliciter perficiendam curationem ſcitu neceſſariam.

## §. XXXVIII.

*Inflammatio* igitur vel *imminens* vel *præſens* corrigi ſolet venæ ſectione juſto tempore inſtituta, antequam humores in corruptionem putredinoſam abeant. Hanc quidem Galli Anglique ſæpius reiterandam jubent, quæ vero methodus, noſtris in terris pluribus diſplicet minuſque conducit; id obſervare tantum licet, ut juſta ſanguinis quantitas in plethoricis maxime evacuetur. Huic jungantur medicamenta interna leniter reſolventia, diſcutientia & evacuantia, cui ſcopo inſerviunt præprimis diluentia v. g. decocta ex raſur. cornu cervi, radice polypodii & graminis cum ſucco citri leniter acidulata, larga quantitate haurienda, deinde infuſum aliquod aquoſum ex rad. liquirit. cichor. gramin. herb. marrub. alb. chamædr. meliſſ. flor. ſambuc. chamom. vulg. præcipue autem floribus arnicæ, additis fœniculi vel carvi ſeminibus, compoſitum.

## §. XXXIX.

Commendamus vero illud, non ad *ſudorem*, ſed lenem uſque *diapnoen* hauriendum, ante laudata vero præſcribimus diluentia, humores ſpiſſos commotos tam reſolvendi quam contemperandi cauſa, tenuibuſque, quæ corpus nutriunt & conſervant, utimur carnium juſculis. Quo autem motus febrilis & humorum ſanguiniſque inteſtinus juſto celerior paululum infringatur & contemperetur, confugimus ad *temperantia*, *lenia reſolventia* & *diapnoica*, qualia ſunt nitr. depurat. lapid. cancror. citrat. corn. cerv. philoſoph. præparat. antimon. diaphoret. ſuccinum alb. præparat. cinnabar. vel in formam ſubtiliſſimi pulveris, vel cum aquis quibuſdam deſtillatis, e. g. *Stahlii* diapnoicis, ceraſ. nigr. lilior. convall. flor. tiliæ, borrag. bugloſſ. in mixturæ formam redacta, iiſdemque pro concurrentium ſymptomatum ratione & individui diſpoſitione ſæpius die nocteve ſufficiente quantitate utimur, addendo ſi opus eſt, ſecura & convenientia moderantia.

## §. XL.

Reductis itaque omnibus in ordinem & fluxu lochiali reſtituto, quod præter medicamenta (§. XXXVIII. XXXIX.) laudata, repetito ſæpius uſu pilularum *B. Stahlii* in refracta doſi adhibitarum, vel oleo amygd. dulc. ad aliquot cochlearia quotidie adſumto, aut uno alterove grano extract. caſcarill. aquoſ. pulveri vel mixturæ (§. XXXIX.) remixto; obtinetur,

netur, ceſſantibuſque motibus febrilibus, & facta morbi per criſin exoptatam ſolutione, tunc *tonicis* partes internæ & externæ roborandæ ſunt, & regularis poſtea ſuccedentis fluxus menſtrui ratio ſemper habenda.

## §. XLI.

Inter *roborantia* non medicamina tantum leniter adſtringentia & balſamica, quæque motum ſolidorum tonicum augent referimus; verum quoque alimenta, quæ corpus nutriunt, ſicuti ſunt tenuia & boni ſucci. E tonicorum claſſe interno uſui inſervientium poterunt eligi tinctura martis aperit. Ludovici, eſſent. caſcarill. cort. aurant. ſuccin. concentr. tinct. antimon. mixtur. tonic. nervin. *Stahlii*, externo autem ſuffitus & adſtringentia (§. LX.) nec non ſpirituoſa ad umbilicalem, inguinalem & lumborum regiones applicata, qualia ſunt generoſa vina rubra, aqua regin. hungar. cum tertia parte balſami vitæ, qui ex deſtillatis oleis ſubtiliſſimis æthereis, balſamoque peruviano, in ſpiritu vini alcoholiſato ſolutis præparari ſolet.

## §. XLII.

Quodſi vero malum quoddam, utplurimum curatu impoſſibile, ab inverſione uteri inductum, remaneat, *ulcerationeſque cancroſæ* & uteri *indurationes* contingant, tunc ejuſmodi morbus injectionibus balſamicis mundificantibus & conſolidantibus tractandus, febrique ſupervenienti, quæ extenuationem totius corporis efficit funeſtam, convenientibus, quantum fieri poteſt, reſiſtendum medicamentis ſic dictis antiphthiſicis & antihecticis, quorum in numero primum hic obtinent locum ſerum lactis dulce & aquæ ſelteranæ cum lacte aſinino remixtæ, nec non juſcula carnium tenuia, infuſa herbarum vulnerariarum leniterque adſtringentium, imo ſuccus ex iiſdem expreſſus.

## §. XLIII.

*Prolapſum uteri* licet ordinarie ejuſmodi non comitentur ſymptomata, (§. XXVIII.) cauſa tamen ſæpius fit aliorum malorum, & ſæpius quoque mortem producit, quare omnis periculi avertendi cauſſa ratio curandi illa eſſe debet, ut præmiſſis præmittendis [*o*] generalioribus, quæ vel alvum ſolvunt

[*o*] Conf. *Hieronym. Mercurialis* de *morb. muliebr. Lib. IV.* & *Albertin. Botton.* De *morb. muliebr. Cap. LXXII. Uteri* ait, *procidentia cum morbus ſit in ſitu, primum & ante omnia in proprium locum reponendus erit, quod autem hanc repoſitionem prohibere poteſt, eſt inteſtinorum & veſicæ repletio; ideo alvus imprimis lenienda clyſtere & lotium pariter emittendum erit, mox in propriam ſedem uterus intro mittendus, qui cum inteſtinum rectum & veſicam interjaceat, ideo niſi prius hæc vaſa inaniantur, a copia ſuarum ſuperfluitatum, in proprium locum repoſitio impedietur.* Vid. quoque *Lud. Mercatus lib. cit.* & Jac. Sylvius. *Lib. cit.*

ſolvunt vel eandem ducunt, plethoram imminuunt, impuritates uterum obducentes, ſi emollitæ prius fuerint (§. XXXIII.) detergantur [*p*], uterus ad proprium locum reducatur, repoſitus ibi firmetur & roboretur, adeoque impediatur, quo minus ſublata cauſa, quæ prolapſum excitabat, iterum decidat. *Deventerius* enim *huic*, inquit, *malo*, *niſi nimium fuerit*, *in tempore remedium invenitur*, *incurabili autem*, *peſſarii accommodantur*, *prolapſionem præpedientes uterumque ſuſtinentes.*

## §. XLIV.

Quod ad *modum reponendi* ſpectat, non opus eſt cucurbita magna umbilico imponenda [*q*], nec candela cerea, qua veteres nonnulli præprimis uſi ad contumaciorem retundendum uteri prolapſum, ſed requiritur (1) apta mulieris collocatio, ſublatis coxis, invicem dilatatis & reflexis proplitibus; (§. XXX.) quo chirurgus vel obſtetrix, digitis ſcilicet indice, medio & annulari, butyro, vel oleo amygdal. dulc. inunctis prominentem plus minus uteri partem, inferiorem prius ad perinæum ſitam, dein mediam, poſtea ſuperiorem leniter & pedetentim ſuperius quantum fieri poteſt, ad locum naturalem reprimere poſſint. (2) Cum uteri non ſufficiat repoſitio (§. XLIII.) ſed ut repoſitus firmetur, concinnatum peſſarium & Figur. I. expreſſum, ad capacitatem vaginæ, butyro prius inunctum, in vaginam ſecundum longitudinem ejus introducimus, dein ſi uterum ſuperius attingit, mutato ejus prius in vagina ſitu, ita collocamus, ut peſſarium parte a. a. os pubis vel ſupra illud, b. b. os ſacrum, & obtuſis extremitatibus c. c. oſſa ilei reſpiciat, foramini vero ejus ovali d. d. & margini ejus obtuſo e. e. e. e. orificium uteri incumbat.

## §. XLV.

Quodſi peſſarium utero rite quidem appoſitum, brevi poſt tamen, inſtituto leni corporis motu, rurſus excidat, aliud priori majus indicata methodo, habito tamen ſemper reſpectu ad vaginæ capacitatem, erit applicandum; quo eo firmius in loco ſubſiſtens uterum in ſitu naturali retinere, mulier labores, exceptis gravioribus, peragere poſſit, ſimulque excretiones tam fluxus menſtrui, quam aliarum impuritatum, quæ in rugis vaginæ colligi ſolent, nec non liquoris obſcœni & alvinæ, ordine & conſueto

[*p*] Nonnulli utuntur oleo tepido vel decocto ex beta, malva, althea, ſemine lini, fenu græci, additis cymino, baccis lauri, chamæmelo &c.

[*q*] Inter alia ad genus auxilii inutiliter refert *Albertin. Botton. cucurbitulas non ſcarificatas*, *ſi umbilico & utriſque hypochondriis*, *cum magna flamma*, *fuerint appoſitæ*: *has* enim, putat, *ſurſum trahendo*, *vim ſuſpendendi uterum habere*, *& eumdem in proprio domicilio retinendi.*

ſueto tempore ſuccedere valeant; interim cavendum, ne partibus adjacentibus vim inferant, vel dolores, tenſiones, preſſiones, inflammationes; vel corruptiones excitent.

## §. XLVI.

Quando vero nobis ſermo eſt de peſſariis, ſilentio præterimus veterum medicamina oblonga, quæ in craſſioris longioriſque digiti formam efformata, adverſus uteri affectus varios *Hippocrates* & alii commendarunt; ſufficiat inpræſentiarum ex recentioribus nonnullorum mentionem facere, quæ in ejuſmodi affectibus uſui venire ſolent. Sic *Slevogtius diſſ.* de *muliere gravida lapſu vaginæ uteri laborante*, recte cenſet *Pechlinum*, *qui ex cornu vervecis ramentis*, *& panni ſericei centonibus*, *patellæ ignitæ injectis*, *nec non aliam ſpeciem*, *ex eodem ſerico*, *petroleo macerato*, *concinnatam laudat*, potiſſimum ad cauſam, fibras flaccidas reddentem, reſpiciens, quam egregie emendare putat: ſed haud tutum ubique eſſe probat, *præprimis delicatioribus acre oleum petræ*, *teneræ cuticulæ vaginæ admovere*, *quia eam cum inſigni ardore erodit*; novit enim *a ſimilibus morſicantibus*, *ad provocandos menſes adhibitis*, *motus convulſivos excitatos*, ut injectionibus gelatinoſis, abſtergentibus, temperantibuſque opus fuerit.

## §. XLVII.

Nec nobis arrident *cerea*, qualia *Barbette* & *Scultetus* ſummis prædicant laudibus, aſa *fœtida*, & *caſtoreo*, obducenda, intus cava & filo propendente pro lubitu extrahenda, cum minus commode, ſed libere potius vaginæ parietibus inhæreant, facillime ſub leviori corporis motu, vel urinam & alvum excernendi conatu foras iterum excidant, additaque nulli plane inſerviant uſui.

## §. XLVIII.

Quid de *pilis*, *pomis*, *linteis conglomeratis*, *nucibus majoribus*, aliiſque *imperforatis* inſtrumentis ſentiendum ſit, quilibet facile judicabit, cui notum, a ſaburra corrupta, mora valde acri reddita, in vaginæ rugis ſinuliſque collecta, novos gigni morbos externos maſſam humorum corrumpentes. Judicat quidem *Albertin. Bottonus* [r] pilam aliquam formari debere, qua os vulvæ obduretur, ne foras iterum labatur, ſed cum idem finis

[r] *Lib. cit. Cap. LXXIII.* Parari jubet peſſarium *ex lana*, *poſca*, *vel vino auſtero*, *prius imbuta*, *deinde expreſſa*: *in quibus ſi adſtringentia etiam calida macerata prius fuerint*, *ut matricaria*, *mentha*, *nuces cupreſſi & ſimilia*, *addendo ſemper odorata & aromatica.*

finis cum *perforatis* ſecurius meliuſque obtineri poſſit (§. XLV.) illud, vti & reliqua ejuſdem indolis & figuræ fere, plane rejicimus.

## §. XLIX.

*Schlevogtius* ad modum *Voelteri circulum paravit flexilem ex oſſe balænæ, lino & dein ſerico obvolutum, ceræ aliquoties immerſum ſedulo æquabilem redditum politumque, quo ſub ovali figura intruſus, intus ad circularem rediret*, & hoc pacto cavitatem commode expleret, ulterioremque exitum ipſi præcluderet. Quamvis vero cit. viros majorem forſan, hac inſtrumenti ſpecie præſtitiſſe utilitatem prioribus inventis, lubentiſſime concedamus: negandum tamen non erit, illud pondere ſuperare noſtrum ex ſubere confectum, nec circulare cavitatem adeo explere, quam illud, quod ad ellipticam accedit figuram.

## §. L.

Datur adhuc diverſitas peſſariorum, ratione *materiæ*, ex qua arte confici ſolent. Dantur enim annuli ex ligno tornati aut ex ſubere ſculpti, & cera incruſtati, vel ex auro & argento confecti. E nobilioribus metallis præparatis *Deventerius* [s] quidem *peſſos argenteos vel aureos præfert, cavos atque læviſſimos, ne pondere incommodent, probeque lævigatos, ne attritu lædant, doloremque inferant*; ſed cum ejuſmodi metalla, ratione præparationis ingrediantur veneris particulæ, ab adhærentibus ipſis humoribus excrementitiis mora corruptis, æruginoſa quaſi fiunt, partes arrodere, & ad inflammationem & corruptionem diſponere ſolent.

## §. LI.

Omnibus his palmam præripiunt *peſſi ſuberei, cera alba* incruſtati, quos molles nimis eſſe ac facile frangi quidem putat *Deventerius*, ſed ſi rite fuerint præparati [t], uſui per duos & plures adhuc inſerviunt annos, mulieresque in vagina illos gerentes nec incommodum nec pondus, qualia ab aliis ex ligno tornatis, ſentiunt. Quodſi enim præter omnem ſpem & opinionem, ob nimiam mollitiem, ex qualicumque cauſa, intus frangantur, aut vel ob calorem internum & acrem ſaburram, tam cera diſſolvatur, quam ejuſmodi lignum poroſum corrumpatur, examinandum prius erit utrum ligamenta priorem rurſus nacti ſint elaſticitatem? Et an opus adhuc ſit novo quodam, pro vili pretio ſibi comparando peſſario? Id quod judicio medici & chirurgi diſcretivo examinandum relinquimus.

§. LII.

[s] Lib. cit. p. 32. *Mauricæai lib. cit. pag.* 395.

[t] Præſervandi ſcopo contingentem nonnunquam brevi temporis intervallo, dictorum peſſorum deſtructionem: eos probe incerandos eſſe commendat, ne corruptione partes ad putredinem diſponant, illiſque exulcerationem dolorificam inferant.

§. LII.

Præfert quidem hanc ob cauſſam *ligneos* utpote prioribus durabiliores, ſed cum quæ præſtare debent, præſtent (§. LI.), ſpecifice leviores ſint ligneis, atque ita formati, ut mulier, non obſtantibus illis, a viri amplexu gravida reddi poſſit, ligneos duriores mollioribus ſubereis inferiores eſſe arbitramur.

§. LIII.

Habemus denique diverſæ figuræ peſſos, quales tibi B. L. Tabula adjecta ſiſtit, & antea jam *Mauriceau*, *Deventerius*, Cel. *Heiſterus*, *Meſnard* delineandos curarunt, forma elliptica circulo propius accedente, triangulares cujus latera circularia ſunt, orbiculares, rotundos fere quadrangulares &c. vel planos vel latos & profundos, certa quadam gaudentes digitorum latitudine magiſque in obliquum vel acutum a circumferentia verſus centrum deſinentes: ſed omnes figuræ excepta elliptica Fig. I. capacitati vaginæ haud reſpondent, cum, ſi vel excedant magnitudine, difficiles applicatu ſint, & ab ejuſmodi peſſi geſtatione mala producantur ſymptomata, ſin vero minores quaſi annuli, vel ovi figuram referant, infirma ſint fundamenta, cum facile e genitalibus delabantur. Non autem, vel planis orbiculatis, vel cavis, tum in nuptis, quam innuptis ad mentem *Deventerii* opus eſt peſſariis, cum ſufficiant diverſæ tantum magnitudinis præſcripto modo conficienda & applicanda.

§. LIV.

Itaque peſſarium Fig. I. quo felici cum ſucceſſu Excell. Dn. *Præſes* in curatione horum morborum ſæpius uſus eſt, præſtantia reliqua omnia ſuperat, vid. Fig. II. III. IV. V. VI. VII., conficitur autem illud ad formam fere illius, quod Celeberr. *Heiſterus* commendat, ex ſubere, cera alba ſufficienter incruſtato. Figuram habet *ellipticam*, & utraque ſuperficies convexa f. f. f. craſſitiem digiti refert, margines ejuſdem perimetri in punctis a. a. a. b. b. b. & c. c. c. ſunt obtuſi, in medio d. gaudet foramine non orbiculatim perforato, ſicuti in quibuſdam v. g. Fig. II. III. IV. VIII., ſed ovali, quod humoribus excrementitiis intus collectis liberum concedit effluxum, nec concubitum impedit, ſed aptas ejuſmodi feminas conceptui [*u*] reddit. Sit præterea probe politum & lævigatum ſine ulla acie vel ſcabritie, ne partes internas lædere queat.

§. LV.

*Gravidis jam factis*, quæ ejuſmodi peſſarium gerunt, uterique mole medio graviditatis termino aucta, e loco rurſus movetur, illudque ſua ſponte

 exci-

[*u*] Vid. *Rouſſetus* de partu cæſareo cap. VIII.

excidit; interim uterus non procidit, niſi, accedente partus negotio, vi motuum rurſus propellatur. Huc ſpectat obſervatio *Pechlini*, quando in muliere quadam, vaſtam vaginæ uterique procidentiam ſe obſervaſſe refert, quæ nullum aliud quæſivit remedium, quam graviditatem.

## §. LVI.

In quibus itaque *diſpoſitio* quædam ad *prolapſum uteri* obſervatur, tempeſtive conſilio & auxilio ſuccurrendum eſt, ne in priſtinum rurſus incidant malum. Auxilium vero in partu fertur reniſu digitorum niſui uteri verſus digitos utriuſque manus directo æquali [x]. Hoc enim modo impeditur, quo minus uterus vel in limen pudendi vel extra pudenda deprimatur. Si vero rurſus ex qualicumque cauſa contigerit prolapſus, ceſſante penitus fluxu lochiali, tentanda erit uteri repoſitio (§. XXXI. & LXIV.).

## §. LVII.

Tandem in difficiliori & *inveterato malo*, ubi repoſitio impoſſibilis [y], vel ob concurrentes alias rationes minime ſuſcipienda, in ſolatium & levamen miſerarum commendamus *ſubligaculum Slevogtii*, vel *Voelteri* præcinctorium, quo uterus prolapſus tanquam in ſuſpenſorio quieſcat.

## §. LVIII.

Facta uteri repoſitione ad interna & externa erit confugiendum medicamenta. Interne blande laxantia conducunt, omnia fortiora evacuantia contemnenda [z], alvus libera ſemper ſervanda, ſtatus cachecticus & nimius uteri vel totius corporis mador, nec non alba purgamenta præprimis decoctis purificantibus & aliquatenus exſiccantibus ex rad. chin. lign. ſanct. ſant. rubr. ſarſaparill. ſem. fenicul. interpoſitis reſolventibus antimoniatis, mercuria-

[x] *Ruyſchius obſerv anat. med. chirurg XXV. pag.* 24. Os uteri in partu prolabens manu retinendum, & denato fetu, placentam tota manu extrahendam eſſe docet, ne rurſus prolabatur, uteruſque invertatur eo tempore ad inverſionem pronus. conf. quoque *Deventer. lib cit. cap. XXIX. pag.* 133.

[y] *Ruyſchius lib. cit. pag.* 12. *obſ. IX.* cautelam aliquam practicam notatu dignam tradit. Demonſtrat enim *uterum, haud ſemper poſſe reſtitui, ſi extra partum diu e corpore prociderit, nec ſemper opportunum eſſe illud moliri, nam norunt periti, qui antequam hoc ſuſcipiant, ſemper uteri prolapſi conſtitutionem diverſam inveſtigabunt: ſi enim a longo tempore prolapſus tantus ſit factus, ut facili negotio in priſtinum locum redigi haud poſſit, aut patiens uterum a longo tempore extra corpus geſſerit, vel uterus prolapſus induruerit, cum inæquali ſuperficie, aut ulcere obſeſſus fuerit, periculum haud faciendum; repoſito enim utero peſſime ſeſe habere ſolent ægræ.*

[z] Peſſimum eſt conſilium *Hippocrates lib.* 2. *de morb. mulier*. ubi digitis altius in os immiſſis vomitum, cum aqua lentium, melle & aceto excitari jubet, quo ſurſum revellatur uterus.

curialibus & roborantibus ſuccinatis corrigenda, venæ ſectio urgente neceſſitate repetenda aliquoties, animi affectus [a] corporiſque agitationes & motus vehementes, v. g. riſus, clamores, vociferationes, ſternutationes, labores nimii groſſiores, niſus omnes, qui muſculos abdominales ad conſtrictionem excitant, diæta cruda & flatulenta, & ſupra adductæ (§. XXII.) cauſæ prolapſum excitantes, evitandæ, regimen autem optimum diæteticum ſervandum.

## §. LIX.

*Externa* autem *medicamenta* tam partes roborandi, quam tumores ſæpius ſupervenientes inflammatorios diſcutiendi cauſa adhiberi ſolent. Priora adſtringentia extra fluxus menſtrui tempus pudoris ſinui inſerenda, conveniunt cum illis, quæ in vaginæ relaxatione (§. LXI.) commendavimus: poſteriora vero eadem ſunt, de quibus (§. XXXIV.) actum fuit. Solent quidem nonnulli ad præſcriptum *Sennerti*, *Riverii*, *Etmulleri* hypogaſtrio & oſſi ſacro emplaſtra quædam applicare, ſed vix virtutem præſtare videntur, cum ſæpiſſime vel pruritum vel puſtulas excitent, quare eorum in locum ſubſtituimus ſpirituoſa, v. g. ſpirit. ſerpill. abſtractit. camphorat. ſalis ammoniac. &c. unguenta nervina & frictiones ad naturalem uſque calorem.

## §. LX.

Reſtat, ut paucis adhuc *curationem relaxationis uteri vaginæ* attingamus. Differt illa pro eo ac vel cum uteri prolapſu vel ſine illo contingit. In priori caſu reponatur uterus, indicata ſupra methodo, dein, uti etiam in poſteriori caſu, ſi mulier prius apte collocata fuerit (§. XXXI.) tunica relaxata propendens blande ac leniter reprimatur, quoad tota moles intra ſinum recipiatur. Hanc ad monitum *Hippocrates* per aliquot dies (quemadmodum in genere in triplicis procidentiæ curatione obſervandum eſt) in lecto quieſcere jubet; interim adhibeantur externa adſtringentia, quo extenſio internæ tunicæ brevior fiat. Inſerviunt huic ſcopo præprimis aqua aluminis, cum vel ſine vino auſtero, ope latæ ſpongiæ vaginæ parietibus ſæpius applicanda, mediante ſubligaculo autem vaginæ procidentia præcavenda. Poteſt quoque ex radicibus biſtortæ, tormentill. fol. querc. herb. pyrol. cort. mali granati, fl. roſar. rubr. balauſtior. nuc. cupreſſ. terr. ſigillat. gall. alumin. crud. in aqua ferrariorum vel plantaginis coctis, decoctum aliquod parari, genitalibus partibus aliquoties in die applicandum, vel tantum lanæ involucrum vino adſtringente madidum ipſi imponi, poſtea autem aliud roborans ex herb. ſalv. lavend. thym. maior. roriſmar. baſil. bacc. & fol. laur.

 vino

[a] B. *Hoffmannus* quidem *Pathol. general.* e *Pechlino lib. III. obſ* 24 & *Zacuto Luſitano lib. II obſ.* 65. uterum prolapſum terrore ſanatum fuiſſe refert, ſed an hic fallacia cauſæ non cauſæ lateat? illis dijudicandum relinquo, qui cognitis hujus prolapſus cauſis & vera indole, aliquoties ejus curam ſuſceperunt, nos interim habet diſſentientes.

vino infuſis ſubſtitui. Antequam autem hoc fiat, per peculiare quoddam inſtrumentum ad figuram infundibuli, quale *Rouſſetus* depingit, fere confectum, fumus, præparato prius e ſuccino, thure, maſtich. reſin. juniper. balſ. peruv. ſicc. & pelle anguill. ſuffimigio, carbonibus ignitis injecto, in vaginam dirigatur.

## §. LXI.

*Peſſariis* nonnulli in hoc malo utuntur. Unius tantummodo ut mentio fiat, vides B. L. Fig. ejus VIII. tabula adjecta inciſam. Inventum eſt *Jac. Meſnard*, qui illius figuram primum *lib. ſupra cit. pag.* 51. *Tab. VIII.* delineandam curavit. Paratur peſſarium diverſæ magnitudinis ex tenui & ſubtili linteo, cera quantum ſatis, obducitur, poſtea lævigatur, deinde butyro recenti inunctum prius orificio vaginæ apponitur, tandem, diductis a ſe invicem pollice & indice ſiniſtræ manus labiis, & vagina in ſitum naturalem repoſita, digitus medius dextræ manus orificio g. peſſarii Fig. VIII. imponitur, & vaginæ ſolerter immittitur, ita quidem, ut orificium h. h. verſus uteri os directum e diametro reſpondeat orificio g. illudque una cum præcedente vaginæ procidentia, in loco naturali retineat. His peractis decoctum adſtringens, ope peculiaris loc. cit. Tabul. IX. deſcripti ſiphunculi, vaginæ injicitur, filo autem i. g. i. peſſarium non retrahitur, cum per ſuperius hujus peſſarii orificium h. h. ad vaginæ parietes medicamenti virtus penetrare poſſit.

## §. LXII.

Methodus operandi non eſt rejicienda; maxime in *ſtatu complicato*, quando uteri prolapſus ſimul cum vaginæ relaxatione contingit; ſed notandum, laudatum peſſarium teſte auctore [ *b* ], ponderoſum nimis eſſe, interim corruptioni non ſtatim obnoxium, ut reliqua. Quibus igitur peſſarium noſtrum Fig. I. diſplicet, qualecumque ex inciſis ſibi eligant curationi hujus morbi commodum.

## §. LXIII.

Repoſita itaque & conſtricta ac corrugata tunica interna, *cauſæ omnes* ſupra adductæ (§. XXV.), quæ ejuſmodi relaxationem rurſus producere valent, cane pejus & angue fugiendæ ſunt, interim diſpoſitio corporis ſeroſa & cachectica internis medicamentis corrigatur (§. LIX.), nimius

[ *b* ] *Libr. cit. p:* 51. *On doit faire le peſſaire avec du liége le plus fin que l'on puiſſe trouver, que l'on garnit, après lui avoir donné une figure convenable, ou avec du linge fin, ou de l'étoffe de ſoye ou avec de la cire blanche : cette derniere garniture doit être préferée aux deux autres : parceque quoique cet inſtrument devienne un peu plus peſant à porter, il ſe conſerve auſſi bien mieux que les autres & ne devient pas ſi-tot puant, attendu que la cire empêche que le liége ne s'imbibe des humidités qui exudent continuellement du vagin & de l'orifice de la matrice.*

nimius humoris pituitoſi ad genitalia affluxus præcaveatur, quod præmiſſis medicamentis internis purificantibus recto medicamentorum externorum adſtringentium & ſuffimigiorum balſamicorum uſu obtinetur, omnes deinde regulæ diæteticæ, ac contingente rurſus graviditate præſcriptæ cautelæ practicæ obſerventur (§. LVII).

## §. LXIV.

Equidem poſſem in diffuſum adhuc exſpatiari campum, & quid ad præcavendas ejuſmodi afflictiones pertinet, fuſius enarrare. Poſſem præprimis certas leges & cautelas illis præſcribere, quæ ob anguſtam pelvim vel ſitum fetus capitis obliquum, partum difficilem & uteri prolapſum experiuntur, ſimulque errores, qui in hac parte chirurgiæ a plurimis committuntur, oſtendere. Poſſem denique, quid ratione præternaturalis ſecundinarum adhæſionis, inverſionem præcavendi ſcopo, faciendum? Et an ad mentem *Ruyſchii* a ſolis naturæ viribus ſine vitæ diſcrimine excluſio placentæ naturalis expectanda ſit? ulterius explicare; ſed ne limites diſſertationis excedam, præmiſſis neceſſariis ad rem proprie ſpectantibus, filum hic abrumpo, & *Deo* immortali pro conceſſis hactenus, in abſolvendo ſtudiorum meorum academicorum curriculo, viribus, gratias ago devotiſſimas, ſimulque, ut auxilium in ſuſcipiendis ad ejus gloriam conaminibus, inpoſterum quam clementiſſime mihi largiatur, ſummis ab ipſo contendo precibus.

## TANTUM.

---


## TABULA XXIV.

*Varias peſſariorum ſpecies repræſentat & quidem*

Fig. I. Formam peſſarii ellipticam.
Fig. II. Ellipticam circulo propius accedentem, intus excavatam, cum foramine in acutum tendente.
Fig. III. Triangularem, cujus latera ſunt circularia, ratione ſtructuræ priori fere ſimilem, foris latitudine duorum digitorum gaudentem, magiſque in acutum a circumferentia centrum verſus deſinentem.
Fig. IV. Orbicularem non adeo profundam.
Fig. V. Planam rotundam fere quadrangularem.
Fig. VI. Rotundam, in forma annuli extus convexam, intus concavam.
Fig. VII. Ovalem ſeu ovi formam referentem.

Fig. VIII.

Fig. VIII. Demum exhibet peſſarium , quo *Meſnard* uſus in curanda vaginæ uterinæ relaxatione. Figuram quidem campanæ habet , duo autem orificia , ſuperius h. h. & inferius i. i. circa quod filum i. g. i. peſſario adnexum deprehenditur, quo urgente neceſſitate rurſus extrahi poſſit.


f. 5.
f. 8. h h
i g i
f. 4.
c c
f
f. 7.
a
b
f. 6.
e e
f d f
e e
a
b
f
f. 3.
c c
f. 1.
f. 2.

LXXXVII.

# DISSERTATIO
## *MEDICA,*
DE
UTERI DELAPSU, SUPPRESSIONIS URINÆ ET SUBSEQUUTÆ MORTIS CAUSA.

*Quam Præſide*

JOH. ADAM. KULMO.

*Tuebatur*

JOH. EILHARD. REINICK.

Gedani 24 Aprilis anno 1732.

## CAPUT I.

*Siſtens Caſum.*

### §. I.

FEmina quædam 26 annorum, militis gregarii uxor, præterito anno per 4 menſes gravida die 28. Auguſti onus tergo impoſitum gerens, pede ex improviſo vacillante, alterius cruris difficili reniſu vix greſſum a lapſu ſuſtinuit: domum deinde reverſa ſtatim conquerebatur de dolore inſigni circa lumbos & in regione pubis, & cum poſtea urinam excernere tentaret, nihil prorſus effluere obſervabatur. Maritus æque ac uxor hac de re inſolita attoniti, medici alicujus auxilium implorarunt, qui interne varia diuretica propinavit, externe vero apium cum lacte coctum identidem pubi calide apponere juſſit, aſt fruſtraneo penitus cum ſucceſſu: quippe per 12. dies ne gutta quidem lotii fuit excreta, etiamſi fortiſſimi urinæ expellendæ conatus, frequenter inſiſtentes & diureticorum virtute procul dubio inſigniter aucti, maximo niſu veſicam premerent, adeo, ut atrociſſimis ægra doloribus afficeretur, & venter nimium in modum extenderetur. Miſera ergo hæc gravida die 8. Sept. ſub intenſiſſimis cruciatibus fatis cedere coacta fuit. *Hiſtoria morbi.*

### §. II.

Poſt ejus mortem maritus lubenter certior fieri cupiebat, an uxor ſua demortua certo gravida fuiſſet, & quænam eſſet tam ſubitaneæ extenſionis abdominis cauſa? Quapropter quandam ad nos mittebat feminam, quæ, circumſtantias morbi prædictas nobis referens, quam ſollicite expetebat, ut vel aliquem chirurgum ipſi commendaremus, qui deſideratam cadaveris ſectionem, marito egeno, gratis inſtitueret. *Sectionis cauſa.*

### §. III.

Statu iſto defunctæ gravidæ raro obveniente commoti, flagrabamus ipſimet deſiderio fetus & uteri circumſtantias ſollicitius explorandi. Idcirco una cum quibuſdam chirurgis & medicinæ ſtudioſis ad ædes defunctæ acceſſimus. Monſtrabatur mortuæ corpus, cujus tumor abdominis 12. dierum intervallo adeo alte excreverat, ut ſtatum graviditatis maturum, partuique proximum ad amuſſim mentiretur. Dubii certe quodammodo hærebamus, num veſica urinaria in tantam molem abſque diſruptionis metu diſtendi queat: fetus enim quatuor, ut maritus perhibebat, menſium vix quartam tantæ extenſionis partem efficere potuiſſet. Immittebatur propterea ſtylus per *Conſtitutio externi corporis.*

meatum urinarium in veſicam, qui, pedis fere longitudinis, totus intruſus fundum veſicæ nequaquam attingebat: urina autem, via ſic parum dilatata, exitum magno conatu moliebatur, verum ſubito extrahebatur ſtylus, quia ejus copiam menſura æſtimare cupiebamus, Hac vero occaſione, qua meatus urinarius quærebatur, ſimul in conſpectum veniebat protuberantia quædam carnea, ex vagina uteri magnitudinis ovi columbini propendens, cum quibuſdam hydatidibus, piſa mole æmulantibus.

## §. IV.

*Internarum partium ſtatus præternaturalis.*

Poſtea nos accingebamus ad inveſtiganda interiora abdominis, quo aperto, manifeſto apparebat, veſicam urinariam omnino in tantam molem fuiſſe extenſam: occupabat namque inſignis hæc veſicæ ſarcina excitialis utramque regionem hypogaſtricam atque umbilicalem, quadantenus ſurſum adhuc in regionem epigaſtricam ad 2. pollices protenſa, quæ ambitu hoc inaudito cuncta inteſtina tenuia penitus extra ſitum naturalem altius ſub diaphragma validiſſime adegerat. Longitudo autem veſicæ ad duos pedes ſe extendebat, & latitudo unum ſuperabat pedem in diametro; cavitas vero ejus continebat lotii menſuras 5. noſtræ civitati uſitatas, ſive 20. libras. Protraxerat ſimul iſte inſolitus veſicæ adſcenſus peritonæum uſque ad regionem umbilicalem, ſic ab hoc loco uſque ad os pubis veſica ubique muſculis abdominalibus cohærebat, ſola membrana celluloſa intermedia. Mirum quoque videbatur, quod veſicæ ſubſtantia, inſigni hac diſtenſione dilatata, ſolito tamen non tenuior, ſed plus duplici dimenſione craſſior atque ex validis fibris carnoſis contexta obſervaretur, id procul dubio copioſa vaſa ſanguifera, ad digiti craſſitiem ſupra veſicam reptantia, abundante ſua nutritione produxerunt. De quo poſtmodum agemus in §. 12.

## §. V.

*Cauſa diſtenſorum ureterum, & pelvium renum.*

Prædicta urinæ ſuppreſſio pariter cauſa fuit primaria miræ extenſionis utriuſque ureteris atque pelvis renum, quorum cavitates omnes inſigniter erant dilatatæ, præſertim pelvis renis dextri, cujus amplitudo extraordinaria pugnam facile capere potuiſſet: ureter, ab hoc pelvi ad veſicam protenſus, altero etiam paulo largior obſervabatur, nec quidem ubique ejuſdem dimenſionis, quibuſdam tamen in locis ad pollicis diametrum accedens.

## §. VI.

*Uteri ſitus præternaturalis & conditio.*

Turgida adhuc veſica urinaria, tamque largo ambitu abdomini accreta (§. 4.) penitus occultabat uterum, ejuſque impediebat inveſtigationem; propterea illa prius evacuari debuit, qua poſtea collapſa, is tandem in conſpectum veniebat, attamen eum, juſto profundius locatum, totum videre non

non potuimus: hærebat enim tertia fere uteri pars in ejus vagina arcte infixa, ita, ut ſuperius vagina corrugata vel potius inverſa exiſteret: totus deinde uterus, lente protractus, ſe triplo circiter majorem, quam in ſtatu ordinario, adeoque omnino impraegnatum exhibebat. Pars iſta uteri inferior procul dubio ab ingreſſu vacillante juſto profundius infra pelvim delapſa, atque in vaginam corrugatam intruſa, firmiter apprimebat collum veſicæ, hujuſque orificium & annexam urethram ad os pubis, qua compreſſione excretio urinæ naturalis penitus præcludebatur, ita ut neque excernendi, auctique lotii vis & conatus proprius, nec adhibitorum diureticorum potentia renitenti infarctui prævalere potuerint.

## § VII.

*Fetuum & ſecundinarum conſtitutio.*

Uterus tandem, ex ergaſtulo ſuo liberatus & retractus, ea parte, qua complicatus vaginæ inhæſerat, flaccidus, aquis in amnio contentis, prolique innatanti, illuc irruentibus, locum concedebat. Cum itaque priſtinum ſitum proles haud amplius retineret, conſultius duximus, ipſum uterum cum annexis partibus, annexaque veſica urinaria a corpore ſeparare, ut ſecundinarum adhæſio cum utero, membranarumque & fetus conditio omnium adſtantium oculis eo magis paterent. Utero propterea exempto, & in anteriori parte decuſſatim aperto, placentam ita dictam, ope digiti ab uteri lateribus caute ſeparatam, non ſolum illius fundo, ſed quaquaverſum univerſæ uteri internæ cavitati adhærentem conſpeximus, excepta exigua parte prope orificium uteri, quæ foramen pollicis diametri relinquebat, per quod membranæ liquore ſuo refertæ prominebant. Extractis poſtea ex utero univerſis ſecundinis una cum prole obvoluta, placentam undiquaque unitam & ſimplicem ſurſum dividere juvabat, quo facto duplices membranæ aquis turgidæ exiguis fibris leniter ſibi cohærentes, iiſque ſeparatim contenti fetus gemelli, nobilioris ſexus, quoad ſingulos artus perfecti, aſt vita jam privati, in apricum prodibant.

# CAPUT II.

*Exponens uberius circumſtantias, in hoc caſu occurrentes.*

## §. VIII.

*De ordinaria partium membranoſarum diſtenſione.*

Ante omnia uberiorem profecto conſiderationem meretur ſtupenda veſicæ urinariæ diſtenſio (§. §. 1. 3. & 4. deſcripta), præſertim cum hujus veſicæ tunicæ non tenuiores, ſed potius plus duplici craſſitie validiores exiſterent (§. 4.). Secundum ordinarias naturæ leges ſemper partes corporis membranoſæ eo magis attenuari ſolent, quo majorem in molem diſten-

diſtenduntur. Vidimus aliquoties alias veſicas urinarias, à magna lotii quantitate juſto diutius retenta expanſas, quæ vix dimidiam craſſitiem ordinariam ſervarunt, quarum aliquam, 4. libras urinæ capientem, præterito anno menſe Martio in noſocomio cum auditoribus, tum temporis præſentibus, in corpore virili luſtravimus. Sic ibidem alio tempore in alio corpore ventriculus inſigniter dilatatus obveniebat, ad papyraceam, ut ita dicam, tenuitatem accedens, qui poſtea flatu oris vix penitus diſtenſus, ex improviſo magno cum fragore dehiſcebat.

## §. IX.

*Unde veſicæ diſtenſæ craſſities derivanda.*

Noſtræ vero veſicæ diſtenſæ craſſitiem (§. 4.), contra ordinarias naturæ leges (§. præced.) auctam, vix aliunde, quam à majori affluxu ſanguinis in ſtatu gravido verſus uterum derivandam judicamus. Siquidem poſt peractam conceptionem in gravidis arteriæ ſpermaticæ majorem identidem nutritionis copiam, ad alendam prolem, advehunt, qua cuncta vaſa ſanguifera circa uterum, parteſque vicinas eo magis diſtenduntur, quo majora embryo capit incrementa. Hinc tantum abeſt, ut gravidarum uterus, in inſignem molem expanſus, tenuior fiat, ut potius, ſimul cum fetu nutritus, majorem quadantenus craſſitiem acquirat, quamquam ipſa ſubſtantia ob vaſorum diſtenſorum copiam ſpongioſior reddatur.

## §. X.

*Controverſia, de uteri impraegnati craſſitie.*

Diu quidem in partes reciprocas altercationis ſerra inter anatomicos celeberrimos hactenus fuit agitata, utrum nimirum uterus gravidus ab hoſpite contento, ac quotidie augmentum capiente, dilatatus, auctiorem craſſitiem; an potius arctiorem tenuitatem nanciſcatur? Horum, qui ſententiam, uterum gravidum attenuari, defendunt, anteſignanus facile exiſtit *Mauriceau* Traité *des maladies des femmes groſſes* c. 4. *de la matrice*, ſequentibus verbis pugnans: *Preſque tous les fameux anatomiſtes, & une infinité d'autres Auteurs nous aſſurent, que la matrice (par un miracle de la nature, qui eſt admirable par deſſus tous les Auteurs) devient d'autant plus épaiſſe qu'elle s'étend & ſe dilate, depuis le jour de la conception juſques au tems de l'accouchement: mais je m'étonne que* du Laurens, Riolan, & Bartholin, *ces précieux flambeaux de l'anatomie, ayent eux-mêmes eu ſi peu de lumiére en cette occaſion, que de n'avoir pas reconnu une ſi grande fauſſeté, qu'ils nous ont debitée à l'exemple de pluſieurs autres, qui les ont précedé.* Et porro: *Tous ceux qui prendront la peine d'examiner la choſe, comme j'ay fait, remarqueront aiſément le contraire: car il eſt très certain, que plus la matrice ſe dilate dans la groſſeſſe, plus elle devient mince & deliée.* Qui aliorum ibidem quoque ſententiæ hujus patrocinium adducit. Contrarium aſſertum acerrime tuetur *Deventer* qui *nov. lum. art. obſtetr. c.* 8. cunctas rationes à *Mauriceau* allatas, æque ac analogias à veſi-

veſica, vel ab animalium brutorum genitalibus deſumtos, refutat, convictus frequenti experientia, qua nunquam, uti teſtatur, ipſi contrarium patuit. Huic ſententiæ pariter jam olim multos veterum haud infimi ſubſellii viros addictos producit *Bartholinus anat. l.* 1. *c.* 28. & *Bohnius circul. anatom. phyſiolog. progymnaſm.* III. quamquam poſterior augmentum uteri craſſeſcentis non in ipſa tunicarum craſſiori dimenſione, ſed in uteri circumferentia & amplitudine comparanda conſiſtere exiſtimet: hac ratione tandem ſubjungit, *illos, qui augmentum hoc uteri negarunt, ſine autopſia ſoli rationi, à veſicæ* (ſcilicet in ſtatu ordinario) *dilatatione petitæ, confiſos fuiſſe, cujus major expanſio majorem attenuationem comitem nanciſcatur; aut uteros magis exſuccos & per hæmorrhagias exſiccatos tantum ſecuiſſe.*

## §. XI.

Ratio igitur, quare uterus gravidarum tam quoad molem, quam quoad ſubſtantiam augeatur, eſt, quod geſtationis tempore multò major ſanguinis copia ad illum per innumera dilatata vaſa advehatur (§. 9.). Quo majora namque fetus incrementa capit, eo majorem quoque alimenti requirit copiam; uterus autem a fetu contento diſtenſus relaxatur & multo minori, quam antea, gaudet robore atque reniſu, propterea copioſius affluentem ſanguinem nutritium inſtar ſpongiæ facile imbibit, eoque turgidior factus neceſſario intumeſcit. *De uteri gravidi craſſeſcentis cauſa.*

## §. XII.

Properant autem ad uterum copioſi arteriarum rami, ab arteriis ſpermaticis, hypogaſtricis atque hæmorrhoidalibus illuc demandati, quorum ſurculi, in ſtatu naturali exigui, poſtea graviditatis tempore mirum in modum aucti, multiplici ac tortuoſa anaſtomoſi ſibi invicem junguntur. (Vid. *Regn. de Graaf de mulierum organis cap. XI. tab. XII. & XIII.* & *Swammerdam de uteri mulier. fabrica.*) Cuncta hæc vaſa ſanguifera, tum temporis inſigniter expanſa, copioſiſſimum ſanguinem apportant, qui non ſolum ad fetus nutritionem, ſed etiam ad uteri, aliarumque partium vicinarum augmentum ſufficit: imo plerumque adeo abundat liquor iſte alimentaris, ut in plurimis gravidis ſtatum plethoricum, & inde oriundam paſſionem hyſtericam, oppreſſiones, nauſeas, varices, aliaque mala, ſola venæ ſectione tutiſſime mitiganda, inducat. *De copioſiori in gravidis nutritione verſus uterum.*

## §. XIII.

Haud adeo difficulter jam explicare poſſumus phænomenon illud: cur nimirum veſica urinaria in puerpera noſtra, à lotio cumulato inſigniter dilatata, quoad ſubſtantiam non tenuior, ſed multo craſſior facta ſit (§. 4.)? Cum enim tam abundans alimenti copia uterum, parteſque vicinas alluat (§. præced.), ideo ad veſicam, utpote utero maxime vicinam, eique arcte con- *Cur veſica, dilatata craſſior facta ſit?*

connexam, ſimiliter juſto uberior ſanguinis quantitas accurrat, ejuſque vaſa pariter diſtendat: & cum præterea in noſtro caſu ipſa veſica ab urina, ſolito diutius retenta, non ſolum inſigniter fuerit dilatata (§. 2.), ſed etiam hac ratione ordinario ſuo robore, tono ac elatere orbata, aliter fieri haud potuit, quin veſica inſigniter expanſa, & ſic admodum relaxata, majorem nutrimenti copiam ab arteriis vicinis, ſanguine turgidiſſimis reciperet, eodemque modo, quo uterus gravidarum dilatatus & relaxatus (§. 11.); tunicas craſſiores nanciſceretur: quam nutritionem præternaturalem luculentiſſime indicant vaſa ſanguifera, ſupra eandem reptantia, & ad digiti craſſitiem tumefacta deprehenſa (§. 4.); Nec plane ſilentio prætereunda eſt illa circumſtantia, qua veſica hæc, altius ſurſum aſcendens, peritonæum ſecum extra ſitum naturalem protraxit, novamque cum muſculis abdominalibus cohæſionem effecit (§. cit.), qua occaſione nova nutritio, novis his partibus connectentibus impenſa, ſimul craſſitiei augmentum veſicæ vicinæ ſuppeditavit.

§. XIV.

*Cur idem augmentum craſſitiei non frequentius contingat?*

Hoc modo facile explicabitur ea ratio, cur illæ veſicæ urinariæ, extra gravidum ſtatum ab urina cumulata quandoque ſolito largius expanſæ, non craſſeſcant, ſed potius attenuentur (§. 8.): nullum enim tunc ſuppetit nutrimentum, ad tale augmentum ſufficiens. Neque in omnibus mulieribus gravidis ſemper intumeſcunt veſicarum tunicæ, licet ad eas major ſanguinis copia deferatur (§. 11.): gaudent namque hæ veſicæ tum temporis robore ac elatere ſuo naturali, cujus potentia ſuperfluam alimenti quantitatem affluentem facili negotio per venas patulas repellit.

§. XV.

*Quare veſica tam inſigniter dilatari potuerit?*

Stupenda illa veſicæ urinariæ expanſio, qua non ſolum univerſæ regiones, hypogaſtrica & umbilicalis, ſed etiam inferior regionis epigaſtricæ pars occupabatur (§. 4.), abſque diſruptionis metu nequaquam fieri potuiſſet, niſi ejus ſubſtantia ſimul augmentata, indeque validior facta fuiſſet: quo enim magis ceteroquin partes membranoſæ expanduntur, eo etiam magis earum robur & vis elaſtica debilitatur (§. 8.). Urinæ autem non ſolum in ipſa veſica cumulatæ, ſed etiam in ureteribus, renibuſque coacervatæ (§. 5.) potentia in noſtro caſu multo validior exſtitit, quam veſicæ expanſæ, & admodum debilitatæ, vis elaſtica. Secus enim tam ingens dilatatio nequaquam facta fuiſſet. Quodſi itaque tunicarum ſubſtantia à copioſo nutrimento non fuiſſet aucta & roborata, omnino a fortiter urgente lotio ſenſim magis attenuari, citiuſque diffringi debuiſſet, priuſquam in tantam molem fuiſſet expanſa.

§. XVI.

*De inſolita*

Aliquam præterea conſiderationem meretur præternaturalis illa peritonæi pro-

tractio ſurſum uſque ad regionem umbilicalem facta (§. 4.), qua illud, inferius per totam regionem hypogaſtricam a muſculis abdominis violenter avulſum, cavitatem ventris multo breviorem reddidit, hinc inteſtina, præſertim tenuia, ſub diaphragma arctius fuerunt compreſſa. Latitat naturaliter veſica in infimo abdominis loco, qui pelvis dicitur, quem anterius oſſa pubis, utrinque oſſa ilia & poſterius os ſacrum conſtituunt. Incumbit in feminis utero, in maribus inteſtino recto. Communiter quidem veſica intra duplicaturam peritonæi contineri dicitur; rectius tamen ejus fundus, eaque pars poſterior, quæ cavitatem abdominis reſpicit, ſaltem obducitur peritonæo; collum autem & pars anterior jungitur oſſi pubis mediante membrana quadam tenui, poroſa, *celluloſa* dicta. Præterea in hominibus fortiter deorſum conſtringitur veſica a peritonæo, ita ut ſæpiſſime ab imperitis fruſtra quæratur, niſi lotio turgeſcat; decipiuntur hi ob analogiam, quam ſibi ex ſitu veſicæ in animalibus brutis concipiunt, utpote in quibus plurima veſicæ pars in abdominis cavitatem libere prominet, ſola ejus cervice peritonæo annexa, hinc facillime in his conſpicitur. Muſculi propterea abdominis, ob validam veſicæ diſtenſionem a peritonæo liberati, novam cum membrana celluloſa, pariter ſurſum ſolito altius propagata, ſubierunt cohæſionem. Cum vero hujus membranæ ſubſtantia admodum ſit poroſa, ideo vaſis ſanguine turgidis ubique liberam conceſſit viam, qua eorum rami copioſiſſime quaquaverſum, etiam ſupra veſicam diſtenſam, diſpergerentur, quibus mediantibus uberior veſicæ advecta fuit nutritio (§. 9. & 12.)

*peritonæi connexione, ejuſque cauſa.*

## §. XVII.

Egreſſus urinæ per viam ordinariam, ab utero, collum veſicæ obturante, interceptus, ſimul obicem poſuit ſuccedenti lotio a renibus affatim per ureteres tranſeundo: cum enim renes debito modo ſuo fungerentur officio; atque feroſam hanc humiditatem indeſinenter ſecernerent, fieri aliter haud potuit, quin non ſolum ipſa veſica, ſed etiam ureteres & uterque renum pelvis adeo ampliſſime diſtenderentur (§. 5.). Et cum ſingulæ hæ cavitates membranis nervoſis, iiſque ſenſibiliſſimis gaudeant, igitur dolorem intenſiſſimum, atrociſſimumque miſeram hanc mulierculam ex fortiſſima horum meatuum extenſione perpeti debuiſſe quilibet facile concipiet; imprimis ſi ſimul ſecum perpendat illam vim potentiſſimam, quæ peritonæum ab ordinaria ſua cohæſione violenter avellere (§. 4.) & alias quoque corporis partes, veſicæ annexas, diſtendere valuit: quales viſcerum extenſiones, diſtractiones, atque inteſtinorum anxia compreſſio profecto dolores graviſſimos producere debuerunt.

*Cauſa diſtenſionis viarum urinæ.*

*Dolor ex hac diſtenſione.*

## §. XVIII.

Situs uteri in §. 6. deſcriptus plane fuit præternaturalis. Collocatur enim

*De ſitu uteri.*

enim uterus naturali modo in infimo abdominis loco, pelvi dicto, quem oſſa ilia, iſchia & pubis cum oſſe ſacro efficiunt: ſuperior uteri pars nullibi adhæret; inferior autem & imprimis ejus vagina jungitur antrorſum veſicæ, retrorſum inteſtino recto & lateraliter utrinque ligamentis latis ac rotundis: lata uteri ligamenta, quæ etiam alæ veſpertilionum vocantur, utrinque uterum cum oſſibus ilei connectunt; rotunda vero tranſeunt per proceſſus peritonæi, annuloſque abdominis, & utrinque firmiter alligant uterum inguini. His mediantibus vinculis validis uterus in hac ſede ſua naturali firmiter detinetur, nec adeo facile ſurſum, nec deorſum, niſi à cauſa quadam violenta ſemoveri poteſt. Cum itaque in gravida noſtra uterus juſto profundius deorſum infra pelvim delapſus, & vagina inverſa apparuerint (§. cit.), neceſſario ligamenta uteri valida, nexuſque cum inteſtino recto fuerunt relaxata: unde cognoſcimus, greſſum ſub onere vacillantem intuliſſe utero vim fortiſſimam, qua ligamentorum attractio valida fuit ſuperata.

§. XIX.

*Controverſia de uteri prolapſu.*

Sunt quidem nonnulli viri, in re anatomica ſagaciſſimi, qui uteri prolapſum in dubium vocare conantur, iis rationibus inducti, quoniam ope ligamentotum prædictorum (§. præced.) firmiſſime alligatur, & putant, relaxatam uteri vaginam, extra ſinum pudoris prominentem, forte hæc ludibria facere & credulis imponere, ut verum uterum deſcendere poſſe ſibi perſuadeant. Eorum vero, qui verum uterum quandoque prolabi poſſe affirmant, idque ratione æque, ac experientia confirmare nituntur, tantus eſt numerus, ut ſi multitudo ſententiæ patrocinium conferret, de hujus veritate nullo modo dubitari queat. Vid. *Stalpart van der Wiel. Cent.* 1. *obſ.* 67. & 69. qui integrum ibidem patronorum hujus prolapſus catalogum ſiſtit. Unus omnium allegari ſufficit, ſolertiſſimus corporis humani ſcrutator, *Fridericus Ruyſchius*, qui partim *Theſ. Anat. VI. num.* 63. partim etiam *Obſ. Anat. Chir.* 1. 7. 9. 24. 25. veram uteri procidentiam, & quidem ingentis magnitudinis nobis exhibet: hic pariter *Obſ.* 10. & 16. uterum nonnunquam poſt graviſſimos parturientium conatus inverti oſtendit. Minime quidem negamus, dari ſæpe ſpuriam uteri procidentiam, dum uteri vagina frequenter, aut aliæ excreſcentiæ præternaturales talem deſcenſum mentiuntur. Exemplum refert *Kerkringius Obſ.* 53. qui interfuit ſectioni mulieris mortuæ, cujus uterum, extra pudenda prolapſum fuiſſe, medici antea aſſeverarunt, cum tamen uterus poſtea in ſua ſede naturali fuerit repertus, & ſarcoma aliquod, eos decipiens, propenderit. Similem caſum ſiſtit *Bartholinus Cent. II. Hiſt.* 58. & *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann.* 2. *Obſ.* 79. Hinc valde decipiuntur illi, qui quodvis corpus extra vaginam prominens verum uterum eſſe ſibi, aliiſque perſuadent; attamen hallucinantur quoque, qui genuinum uteri prolapſum impoſſibilem eſſe credunt, licet talis deſcenſus rarius contingat.

§. XX.

§. XX.

Ex his prædictis autem facile intelligitur: *verum uteri prolapſum* eſſe præternaturalem uteri deſcenſum per totam ejus vaginam, quo ille, ſive rite conſtitutus, ſive inverſus, foras extra vulvam viſibilis propendet, à quacumque etiam cauſa fuerit e ſede ſua ſemotus. Inverſum potiſſimum producit violenta ſecundinarum extractio, quam obſtetrices plerumque præter neceſſitatem nimis feſtinantes accelerant, dum adhuc firmiter placenta utero adhæret, falſæ opinioni & præjudicio tenaciſſime inhærentes, ac ſi uterus poſt fetus egreſſum ſe ſtatim occluderet, cum tamen ſæpe per aliquot hebdomadas orificium ejus ſe nondum penitus contrahat. Vid. *Celeb. Ruyſchius* obſ. anat. chir. 43. E contrario *uteri prolapſus ſpurius* eſt, non uteri, ſed ejus vaginæ, inſigni quadam vi corrugatæ & inverſæ, aut alius tumoris propendentia. Experientia teſtatur, hos prolapſus tam verum, quam ſpurium, ſæpiſſime in partu difficili ab imprudenti obſtetricum tractatione originem ducere. *Uteri* autem *delapſum* (qualem in noſtro caſu obſervavimus) vocamus illum ſitum præternaturalem, quando verus quidem uterus e ſede ſua paulo profundius in vaginam deſcendit, ibidem tamen ſuſpenſus adhuc retinetur, ut extrorſum nondum propendeat.

*Quid uteri prolapſus verus.*

*Quid uteri prolapſus ſpurius.*

*Quid uteri delapſus?*

§. XXI.

Uterus in noſtra defuncta e ſede ſua naturali infra pelvim deſcendens (§. 6.) in eam loci anguſtiam pervenit, ubi ſub oſſe pubis collum veſicæ & urethræ orificium collocantur: propterea inſolitus ille uteri infarctus viam urinæ excernendæ præcludit (§. cit.), non niſi manuali uteri repoſitione liberandam, quæ, cum fuerit neglecta, aliis mediis impotentibus præpediri non potuit. Multum adeoque abfuit, ut medicamenta diuretica, licet fortiſſima, impedimentum hoc removere potuerint, ut potius perpetuo inſiſtente urinam excernendi ſtimulo, uterus magis, magiſque intruderetur. Præterea hic uteri delapſus ſimul vaginam, qua recipiebatur, deorſum depulit, ita, ut hæc corrugata & antrorſum extra vulvam quadantenus prolapſa conſpiceretur (§. 3.).

*Uteri delapſi noxa.*

§. XXII.

Cum itaque in noſtra defuncta retentionis urinæ unica cauſa fuerit delapſus uteri, quo collum veſicæ, hujuſque orificium & annexa urethra firmiter ad os pubis adprimebantur (§. 6.), quilibet profecto optime cognoſcere valet medicamenta diuretica (licet potentiſſima fuiſſent adhibita) ne minimam quidem opem ferre, aut præcluſam viam reſerare potuiſſe, imo auxiſſe dolores, ſic fruſtra plane fuiſſe adplicata: ſiquidem intruſus in arctiſſimum locum uterus hac ratione nequaquam removeri potuit. Facili tamen negotio manualis operatio vel alicujus aniculæ repoſitionem uteri præſtitiſſet,

*Quænam medela ſuſcipi debuiſſet.*

ſtitiſſet, adeoque cauſam funeſtæ retentionis urinæ removiſſet, ſi ſaltem medicus ipſemet hanc genuinam ſuppreſſionis urinæ cauſam debite conſideraſſet, aut intellexiſſet: ad minimum debuiſſet ille omnino catheteris adplicationem ſuadere, qua encheireſi urina effluxiſſet, atque ægrotæ dolores vel ad tempus ceſſaſſent. Patet adeoque luculentiſſime, quam ſiniſtre illi medici, ad multorum hominum detrimentum praxin ſuam exerceant, qui chirurgiam negligunt: vid. *Schediaſma nuperrime a nobis ventilatum de quibuſdam præjudiciis medicis. Præjud. I.* Multi profecto miſeri homines à morte præmatura liberarentur, ſi medici non, empiricorum more, ſuis remediis ſpecificis nimium fiderent, ſed majori conſcientia, ſana ratione & neceſſariis adminiculis morbis obvenientibus recte invigilarent, & cuncta ſtudia ad ſolidam medicinam neceſſaria rite perſpecta haberent.

## §. XXIII.

*De ſimplici gemellorum placenta uterina.*

Tandem obſervatur plerumque, quod gemellorum placentæ, ſi penitiori indagatione anatomica rite explorantur, ſint ſeparatæ, quanquam ſibi invicem arcte adhæreant, ut connecti videantur: noſtrorum vero gemellorum placenta uterina, omni adhibito ſtudio & exquiſitiſſima ſolertia explorata, nullius unionis veſtigium exhibuit, ſed omnino quaquaverſum continuo nexu jungebatur, ita ut dumtaxat ſimplex exiſteret (§. 7). Denique etiam hæc circumſtantia plane ſingularis eſt, quod ingens iſta placenta undiquaque univerſæ uteri cavitati internæ fuerit annexa (§. cit.), cum alias communiter ſolummodo uteri fundo aut rarius alterutri ejus lateri adhæreſcat. Rariſſime evenit, ut ea ante uteri orificium ſit collocata, quo ſitu præternaturali egreſſus fetui in partu præcluditur, ita, ut nequaquam (niſi prius placenta caute remota) infans in lucem edatur, adeoque ſic partus difficillimus fiat: quam tamen manualis opitulatio cum ſana ratione debite ſuſcepta faciliorem atque feliciorem reddere valet. (Confer. *Commerc. litter. Norinb. Semeſtr. I. pag.* 14). Unde ars obſtetricandi, medicis & chirurgis æque, ac mulierculis obſtetricibus neceſſaria, ſuam præſtantiam magnopere commendat, & omnino expedit, ut, qui eam exercere cupiunt, anatomiæ neceſſario prius ſint inſtructæ. Vid. hac de re *Schediaſm. cit. Præjudic. III.*

F I N I S.

---

## COROLLARIA.

*I. Verus datur uteri prolapſus.*

*II. Remedia diuretica in ſpaſmodica conſtrictione & in calculi affectu propinata, plus damni, quam emolumenti afferunt.*

*III. Falluntur, qui ſe remediis internis calculum veſicæ conterere poſſe; aut unquam contriviſſe putant.*

*IV. Secundinarum extractio aliquo poſt partum tempore adhuc perfici poteſt.*

*V. Plus valet potentia naturæ, quam vis medicamentorum.*

*VI. Honori cedit medico, quod ſit naturæ miniſter.*

DISSER-

LXXXVIII.

# DISSERTATIO

*MEDICO-CHIRURGICA,*

DE

## INCONTINENTIA URINÆ

EX PARTU, GLOBULIS LIGNEIS

CURANDA.

*Quam Præſide*

SIM. PAULO HILSCHERO.

*Tuebatur*

JOH. DAN. MITTELHÆUSER

*THUSDORFF. THURING.*

Jenæ 4 Julii anno 1716.

# J U V A   J E H O V A !

## *Hiſtoria.*

DIe V. Septembris Ann. MDCCXII. fæmina quædam ruſtica, quinquaginta & unum annum nata, D. D. Præſidi expoſuit, ſe decem circiter ab hinc elapſis annis, poſt exantlatos per trium dierum ſpatium acerbiſſimos partus dolores, filium tandem mortuum enixam eſſe, cum infelici iſthoc ſimul eventu, ut tribus a puerperio elapſis diebus urina invitæ ſtillaverit. Spurcam hanc excretionem ut ſupprimeret, ſuaſu cujuſdam mulieris globum, e ſtupa, linteis, filiſque confectum, ac cera obductum, uteri vaginæ intruſit, qui etiam invitum liquoris obſceni profluvium ad decem fere annos feliciſſime cohibuit. Cum vero intra decennium hoc dictum globulum nunquam vagina exemerit, ac à ſordibus repurgarit, ab omni latere eidem adhærentia tartarea, & menſium viſcido-mucida excrementa molem ipſius mirum quantum auxere, quare idem extrorſum & vulvam verſus magis, ceu ſpatium amplius, deſcendit. Dum itaque globum hunc in locum priſtinum ſuperiorem reponere omni niſu allaboravit ruſtica, fruſtum quoddam adhærentis tartareæ materiæ abſceſſit, unde inæqualitas, in parte globi inferiori enata, parietem intergerinum, inter uteri vaginam & inteſtinum rectum, ſenſim attenuavit, tandemque penitus dilaceravit, ut dictus globus, mole inſignis, per factum foramen magnam partem deſcenderit in inteſtinum rectum, hujuſque canalem occluſerit: quo facto feces alvinæ viam ordinariam deſerentes per vulvam excernebantur, & priſtina urinæ incontinentia repetebat, retinaculo debito remoto. Præter dicta incommoda conqueſta etiam eſt, ſe propter dolorum tormenta nec ſedere, nec cubare commode poſſe, quare anxia conſilium & auxilium expetiit, cum obſtetricis conatus in eximendo globo plane fruſtranei fuerint.

---

## *Reſolutio.*

### §. I.

AFfectus ægræ noſtræ complicatus eſt ex duobus ſymptomatibus, ſc. incontinentia urinæ & excretione fecum alvinarum per genitalia; totidemque morbis ſtricte dictis, nempe ruptura vaginæ uteri, & inteſtini recti, hujuſque obſtructione, uti id ipſum diſtinctis verbis recenſita hiſtoria docet.

§. II.

§. II.

Singulos hos affectus inveſtigaturo primo loco ſe ſiſtit incontinentia urinæ. Hæc in noſtra ægra conſiderata eſt ſymptoma actionis læſæ veſicæ, qua ipſi præter voluntatis conſenſum die nocteque urina profluit, & genitalia inundat, a ſoluta unitate ſphincteris in partu facta dependens.

§. III.

Veſica viſcus illud eſt, cui tædioſa urinæ incontinentia, tanquam ſubjecto, inhæret. Uter hic microcoſmicus in ſtatu naturali collectioni urinæ ex renibus venientis, hujuſque aſſervationi & excretioni præeſt: quem in finem ſapientiſſimus conditor ipſi duplicem proſpexit muſculum, quorum primus latus, alter circularis ſ. ſphincter dicitur. Latus, qui etiam tunicæ carneæ ſ. muſculoſæ nomine apud autores venit, in aſſignandis fibrarum ordinibus anatomicis multum negotii creavit. Nam alii longitudinales & irregulares agnoſcunt: uti *Verh. Anat. C. H. p. m.* 155. alii rectas, circulares & tranſverſales ſe vidiſſe ſcribunt ut *Beddevole Eſſais d'Anatomie Diſcurſ. XX. p.* 184. allegante eumdem *C. Pauli in Not. ad Hornii Microcoſm. p.* 123. imo inſignis hoc tempore Phyſiologus Celeberrimus *Bohnius* præter longitudinales omnes fictas eſſe credit, *Circ. Anat. Phyſ. Prog. XIV. p. m.* 224. In hoc cum anceps hærerem, Dn. D. Præſes veſicam humanam flatu diſtentam mihi demonſtravit, & certus factus ſum, vera eſſe quæ *Magnificus noſter Slevogtius* ſcribit in *Diſp. de Incont. Urinæ* §. 12. *p.* 9. ſc. præter recta incedentium faſciculos etiam oblique & tranſverſim excurrentes occurrere. Sphincteris fibræ orificium veſicæ circulariter ambire dicuntur a *Welſchio Tab. Anat. XXIV. Nr.* 19. oblique vero a *Verheyeno l. c. p.* 157. & Celeberrimo *Bergero Phyſiol. Med. C. XII. p.* 192. Hæ quales quales etiam ſint, orificium veſicæ conſtringendo adeo clauſum tenent, ut ne guttula quidem excidat, donec a contractione tunicæ muſculoſæ, (quam tam urinæ moles, quam mentis imperium efficit) ſuperatus ſphincter recludatur, urinamque dimittat.

§. IV.

Sic eſt veſica in pelvi, regione infimi ventris, ab oſſibus innomitatis, ſacro & coccygis efformata, ita quidem, ut anterius ſphincter cum ſua propagine, urethra, commiſſuræ oſſium pubis, mediante membrana peritonæi, alligetur: inferius vaginam uteri, uſque in macrocoſmum hiet, comitetur; imo in fœminis fibræ circulares meatus urinarii latiori ductu ad vaginæ latera deſcendant *Welſch. l. c. Tab. LII.* Per hos alioſque fibroſo-membranaceos nexus duo hæc excernicula adeo firmiter concreſcunt, ut non

non niſi cultri anatomici acie poſſint ſeparari. Vagina uteri, qua os coccygis ſpectat, ſphincteris ani fibras in ſe recipit, & cum inteſtino recto, mediante muſculoſa ſubſtantia, adeo firmiter & intricate connaſcitur, ut vaginæ ſubſtantiam ab inteſtino recto exacte diſcernere ſit difficillimum. Deſuper integra harum partium compages oſſibus circumjectis affigitur. Videantur anatomici, in ſpecie *Verh. l. c. Tract. II. c.* 10. *p.* 82. *&* 83. *C. XXVI. p.* 193. Deinde & hoc monendum videtur, quod urethra hujus ſexus vix duos digitos longa, latior tamen, faciliorisque expanſionis ſit quam in maribus, conſentiente eodem autore Tr. II. c. XVIII. p. 157. atque quod ſphincter veſicæ orificio uteri interno fere ſuperponatur, quamvis orificium veſicæ nonnihil antrorſum ſit exporrectum.

## §. V.

§o. Tertio allegatus agendi veſicæ modus actionibus mixtis, ut vocantur, accenſendus eſt. Per has autem apud medicos ejuſmodi intelliguntur actiones partium, quæ imperio mentis retardari quidem in tantum, & ſuſpendi, imo accelerari, non vero ſupprimi aut negligi in totum poſſunt. Cum itaque actiones animales a nervis e cerebro procedentibus; vitales vero & naturales ab illis, qui cerebellum & medullam ſpinalem egrediuntur, dirigi credantur, provida ipſi natura duplicem nervorum ſobolem inſevit, quarum una ex pari vago (quod ſecundum *Vieuſſenium in Nevrograph. univerſ. p.* 347. partim e tractibus albis e media ovalis centri regione ducitur, partim e proceſſibus, a cerebello ad ſpinalem medullam porrectis, prodit) derivatur; altera à medulla oſſis ſacri matulam hanc microcoſmicam intrat. Ita quamvis ſtimulum urinæ exitum quærentis ſentiamus, obſtante tamen mentis voluntate, ad nonnullas etiam horas emiſſionem præcludere ac differre valemus: & quando alios mingentes videmus, indulgente animo, ſocietatis ergo, ut loquimur, & veſtes laxamus. Ratio formalis igitur noſtri affectus in eo conſiſtit, ut neque natura amplius, neque mens audiatur, ſed quotieſcumque, ſeu interdiu, ſeu nocte, guttula urinæ ex ureteribus in veſicam devolvatur, ſtatim foras ad pudenda muliebria tendat: cum ſphincter potentiam reſiſtendi amiſerit.

## §. VI.

Incontinentia urinæ malum deteſtabile, idque non rarum eſt, cum a tot diverſiſque oriatur cauſis: omnium tamen frequentiſſima jure pronunciatur ab *Experientiſſimo Slevogtio* a partu facili difficilique originem ducens, in laudata de hac materia diſſertatione §. 29. cui ſpeciei & noſter affectus accenſetur. Adeoque nos in præſentiarum neque differentias, neque cauſas, alias huic inducendæ maculæ aptas, prolixe recenſebimus, ſed in eo

tantum, ut demonſtremus, quomodo partus illam inferre poſſit, erimus occupati.

## §. VII.

Cauſæ igitur, quemadmodum a Philoſophis in proximas, ſeu immediatas, & mediatas diſpeſcuntur; ita & nos læſionem ſphincteris immediatæ, partum vero mediatæ titulo inſigniemus. Cauſam proximam & immediatam quod attinet, inter quam & morbum nihil intercedit, accuſavimus in definitione ſolutam ſphincteris veſicæ unitatem, ſive laxetur ſaltem & dilatetur, ſive dilaceretur apparenter. Fibris hujus muſculi, quemadmodum ceteris omnibus, frequentiſſima nervorum fila ſunt intertexta, quæ in ſtatu naturali ita comparata eſſe debebant, ut ſecundum longitudinem ſeu extenſionem ſuam vias habeant liberas contiguaſque, pro admittendis & ulterius propellendis ſpiritibus animalibus. Fibræ autem ipſæ non ſecundum longitudinem ſolum integræ requiruntur ad contractionem præſtandam, ſed etiam ſecundum latitudinem & peripheriam neceſſum eſt, ut ſibi invicem incumbant, immediateque ſe ſe attingant. Hoc enim ſi ita fit, orificium veſicæ ſemper æqualiter, vi elateris, quo ſphincter pollet, conſtringitur & clauditur, liquorque in illa latens coercetur, ut non niſi animo conſentiente, vel etiam imperante, profluere, & ripas tranſilire poſſit. Quando vero contingit, ut muſculus hic nimis, quam par eſt, dilatetur, parietes a ſe invicem diſtendantur, & diſtrahantur, fit, ut non ſolum quædam fibræ muſculi, ſed etiam nonnulla nervorum fila in longitudinem extendantur, pauciores vel plures dilacerentur, quoad ſcilicet extenſionis vehementia, aut fibrarum qualitas comparata eſt; atque hoc pacto contiguitatis jacturam faciant.

## §. VIII.

Laxato hunc in modum ſphinctere, aut plane perdito, prout nimirum pauciores ſaltem vel plures fibrillarum harum muſcularium non minus, quam nervearum, ſphincterem veſicæ conſtituentium; in allegata extenſione dilaceratæ ſunt; licet etiam exteriores ad ſtatum naturalem redeant, & ex parte iterum ſeſe conſtringant; tamen fieri nequit, quin interiores, aut ipſæ læſæ (ſcil. per digitum vel aliud inſtrumentum) aut auxilio exteriorum deſtitutæ, molique incumbenti non pares, non in rugas abeant; & præterea, cum ſpiritus animales, non interrupta via incedere adſueti, conſtrictionem ideo ulterius præſtare non poſſint, ſubinde atomi aqueæ urinaceæ per interſtitia rugarum tranſeant, velut tranſudando, & ad inſtar gutturnii minus recte recluſi; ex atomis vero colligantur guttulæ, & exſtillantes diffluant ad vicina pudendorum labia & ſuperficiem reliquam, ab illa vero inundantis urinæ acrimonia intertrigo & faſtidia oriantur, cum ardore

dore & odore quoque ingrato : perſpicua hæc ſunt verba *Illuſtris Wedelii ex Prax. Clin. in Tim. L. IV. c.* 32. deſumta.

## §. IX.

E cauſis mediatis incontinentiæ urinæ partus facilis non minus, quam difficilis, conſiderandus eſt. Campus hic ſe pandit ampliſſimus differendi de partu naturali pariter & præternaturali : ſed quouſque quæſo arctiores diſſertationibus deſtinatæ paginæ excreſcerent ? hæc igitur ex alio accerſenda capite. Si cui abſonum videatur, quod cauſis mediatis partum facilem annumeraverimus ? reſpondemus : quemadmodum alias res quædam, naturalis dicta, quæ in conſervando & adjuvando naturam occupatur, ſi inconvenienti modo adhibeatur, in uno magna producere apta eſt mala, quæ alteri non nocet ; ita & hæc actio naturaliſſima in hac fæmina felicius faciliuſque procedit, quam in altera. Nam hæc ſtatim ſuperato partu conſuetos iterum ſubire poteſt labores ; alteram per multos dies lecto affixam eſſe oportet. Si in cauſas inquiramus, conſtitutio earum naturalis culpam ſuſcipiet. Iis enim, quibus fibræ muſculorum robuſtiores, & elatere alacriori inſtructæ ſunt, citius omnino firmitas pedum redit, præ aliis, quæ temperamento phlegmatico, fibris, & ſpiritibus ſegnioribus gaudent. Si itaque tales in naturale parturientium torcular deferantur, facillime accidere poterit, ut fibræ ſphincteris, propter aquoſitatem ſuam, extenſionem facile ſubeuntes, corrugationem vero reſpuentes, ſuperius malum incurrant. Plerumque vero ſi incontinentia urinæ partum facilem excipit, culpa in obſtetrices redundat, cujus deductio §o. XI. reſervata eſt.

## §. X.

An partus facilis incontinentiam urinæ producere poſſit, in lite eſſe videbatur ; quod vero difficilis fæcunda illius mater exiſtat, nemo fortaſſe in dubium vocabit. Cauſæ, quæ partum difficilem reddere aptæ natæ ſunt, & ad noſtrum affectum tanquam remotiores ſe habent, vulgo ad tria genera referuntur, ſc. matrem parturientem, fetum excludendum, & obſtetricem ancillantem ; ex quibus, quæ ad noſtrum ſcopum adſpirant, delibabimus. Mater in culpa eſt, ratione vel corporis, vel animi : corpus arguimus, ſi orificium uteri nimis anguſtum, aut ad extendendum ineptum eſt, aut vagina nimis arcta, qualem ſæpe habent primiparæ, congreſſum mariti non ſæpius jam expertæ. Tale etiam eſt in carnoſis & obeſis, quarum omnes viæ vel nimia pinguedine, vel muſculis craſſioribus obſeſſæ ſunt. Deinde etiam anguſtum eſt orificium, neque extendi ſe facile patitur fæminarum ſiccarum, talium vel ratione temperiei naturalis, vel ratione ætatis : quorſum ſpectat temperamentum melancholicum, cui præprimis obnoxiæ obſervantur in agris degentes, laboribus gravibus humidum im-

pendentes. Annoſiores paulo ſiccitate ſemper majori obſidentur, prout in toto corpore, ita & in utero; imo cervix uteri in his dura admodum & quaſi cartilaginea nonnunquam exiſtit, autore *Galeno de diſſect. uteri c.* 3. Dum itaque tales pariunt, fortiori omnino opus habent niſu, unde fibræ partium domeſticarum, & aliarum vicinarum, neceſſario ſimul mirum quantum extenduntur, ut elateres ſalvos ſervare periculo plenum ſit. Animus puerperæ accuſatur, ſi affectibus ſpiritus fixiores reddentibus inhæreat, aut cogitationibus aliunde circumvagetur: hoc enim modo fetum in irregularem ſitum conjicere poteſt, ut deinde ingenti labore & diſtenſione uteri aut reponendus, aut extrahendus quandoque veniat. Fetus vero peccat, quando natura vel nimis magnus, vel præter naturali appareat ſitu: quam in rem *Cl. Ettmull. op. P. II. p. m.* 1043. diſertis verbis ſcribit: fit interdum in laborioſo partu, ut fetus grandior, nimis diſtendendo vaginam uterinam, adeo diſtendat collum veſicæ urinariæ, vaginæ uterinæ inſertum, ut puerperæ continere nequeant urinam.

## §. XI.

Obſtetrices, dum procurant partus difficultatem, incontinentiæ urinæ, tanquam cauſæ remotæ, autores fiunt; imo illas ut cauſam proximam interdum accuſandas eſſe edocti ſumus. Quis enim ignorat, quod ſæpe ruſticæ non minus, quam aliæ ſimpliciſſimæ mentis fæminæ, ad hoc ingens & maximi momenti munus admitti ſoleant, quæ nec ſtructuræ anatomicæ partium genitalium, nec ordinis, quem natura in hoc negotio ſervare ſolet, gnaræ, meliora quidem neſcientes, damna inferunt? Neque latere puto, quanto gaudio vetulæ hæ hauſtulum aquæ vitæ a patre, cujus filiolum plumis ac pannis involvunt, oblatum amplectantur! Accedant tales, quod ſæpiſſime fit, inſperatæ ad feminam parturientem, ſciant etiam & teneant omnia, quæ ad hunc actum requiruntur, præ temulentia tamen, quo ſe vertant, ſæpe neſcient. Itaque dum ſe omnia adhuc exoptate habent, ſitum infantis inquiſituræ, *wenn ſie wollen fühlen, wie das Kind ſtehet*, improvidos digitos non orificio uteri interno, ut decebat, ſed urethræ oſtio, quod inſtante partus tempore, ob orificium uteri à fetus mole protruſum, retro paulo cedit, inferunt, atque ſic ſphincterem veſicæ, ad quem uſque, cum fetus non ſtatim occurrat, penetrant, nimis diſtendendo laxant, aut tonum ejus plane perdunt, ut perpetuum poſtea urinæ elapſum concedat: obſervantibus id clariſſimo Slevogtio noſtro & B. Ettmüllero locis citatis: aut etiam fæminam ſtatim ad labores contra naturæ nutum impellunt, vacillantibus genibus fultæ, operationem tremulis manibus aggrediuntur, & faciunt, ut puerperæ, viribus fruſtra labefactatis, juſtum naturæ auſum ſufferre & adjuvare non poſſint: imo quandoque mortuum fetum aptis ineptiſque inſtrumentis extrahere molientes, ſphincterique veſicæ intruſis, tonum hujus deſtruunt, ut non poſſit non

deinde

deinde talis macula excitari, quale admodum notabile exemplum habet idem *Exc. Slevogtius* in *Diſput.* laud: *de Incont. Urinæ* §. 39. de obſtetrice, quæ unco ferreo, a lampade olearia abrepto, talia præſtitit.

## §. XII.

Hæc itaque ſi accidant, ut ſc. mater non, ut decebat, ſe gerat; infans conditiones vitioſas obtineat; aut etiam obſtetrix, ſui quod eſt officii, non rite peragat, fetus excluſio omnino difficilis redditur. Cogitet nunc quis: anguſtia orificii interni matricis, quæ alias calamum ſcriptorium vix admittit, & vagina etiam, non raro admodum arcta, debent adeo expandi, ut licet naturalis adſit ſtatus, obſtetricis digiti, & caput, totumque infantis corpus, imo & hoc interdum duplicatum, poſſit penetrare. Tacemus ſtatum præter naturalem, ubi vel ob ſitum plane extraordinarium, vel infantem demortuum, multa, eaque laborioſiſſima, ſive manibus, ſive inſtrumentis, operatio requiritur. Hinc neſcio, an contradicendum ſit experientiſſimo *Hildano*, qui in laborioſiori partu, non oſſa pubis ſolum, ſed etiam ilii, ab oſſe ſacro notabiliter quandoque disjungi aſſerit, *Cent. VI. obſ. chir.* 39. *p.* 547. & plerumque poſt talem partum ſtillicidium urinæ, imbecillitatem lumborum, & claudicationem obſervari fidem facit.

## §. XIII.

Hæc res ſi ita ſit, potentia partus, quam habet in incontinentia urinæ producenda, nemini obſcura eſſe poteſt. Notum quippe fecimus §. 4. connexionem & vicinitatem intimam veſicæ & uteri, hujuſque in ſpecie vaginæ, vi cujus urethra fibras ſphincteris veſicæ per partem ejus exteriorem continuas & conſpicuas, totamque longitudinem cingentes adhuc latiori ductu ad vaginæ latera & anum infigebat, vid. *Graaf. de Mulier. Organ. genit. c. 6.* Orificium veſicæ ſphinctere circumdatum, tempore potiſſimum partus, orificio uteri interno accurate fere ſuperponebatur, & urethra non minus, quam ipſe ſphincter, commiſſuræ oſſium pubis, ceteraque vicinarum partium complicatio oſſibus obviis affigebantur: inſuper urethra fæminarum facilioris expanſionis pronunciabatur. Jam concipiamus nobis actum partus non adeo bene procedentis. Integer obſtetricis pugnus in utero degit, caput, pedes, nates, aut quicquid ſit, apprehendens integram molem in macrocoſmum derivare ſtudet; parturiens retento ſpiritu fetum expellere nititur. Atque ſic quidem protruditur orificium uteri, veſicæ autem collum, cum fibræ, quibus iſti adnatum eſt, in latitudinem diſtrahantur, retrocedit, & orificio uteri imminet: quali quæſo nominatæ partes, ut cedere poſſint, opus habent diſtenſione? Adeoque dum orificium & vagina uteri diſtenduntur, urethra ſimul & ſphincter veſicæ, qui cum iſtis intime concrevit, periculum ſubit. Et, ſi demum diſtenſioni huic

uteri, & accumbentium partium mire complicatarum, etiam disjunctio oſſium accedat, veſica imprimis læſionem evitare non poteſt; nam fibræ ſphincteris veſicæ, & cum his continuæ urethræ, iſtis commiſſuris agglutinatæ, ſimul diſtrahuntur, & cum hoc modo ab utroque latere impugnentur, iſtarum tonus adeo perditur, ut ad contractionem ulterius præſtandam omnino impotentes reddantur. Enormem ejuſmodi diſtenſionem ſæpe contingere confirmant fæminæ, ſuperato difficiliori partu, nullius membri, ptæſertim pedum, potentes, dum educunt: *Es ſey ihnen, als wäre in ihren Leibe keine Ader mehr*, certiſſimo labefactatorum tendinum, partiumque muſculoſarum femoribus robur fænerantium, indicio.

## §. XIV.

Quod enormis hæc diſtenſio ejusmodi dilatationem verum præſtare poſſit, declarat etiam procidentia uteri. Non vero explicabor inpræſentiarum verborum liti, qua diſputatur, quænam uteri pars, an orificium uteri internum, an vagina ſ. collum procidat? utrum ſit, frequentiſſimum tamen eſt, in multis feminis poſt laborioſiorem, aut minus apte gubernatum partus actum, talem procidentiam obſervari: imo honeſta quædam femina, in hoc officiorum genere ſæpius adhibita, me fecit certiſſimum, inter decem mulieres ruſticanas vix unam ab hoc malo immunem reperiri, quamvis nulli Medicorum revelent. Quæ quæſo alia cauſa, quam ſi hæ partes, nimis quam par erat, extendantur & urgeantur, fibræ ligamentorum aut vaginæ lædantur, ut deinde aut orificium uteri internum ipſum, aut ſaltem rugæ vaginæ longius promineant? Nec minimam inſuper alſerto noſtro fœneratur lucem paralytica quaſi imbecillitas ani, poſt partum difficilem obſervata, qua feces hujus, æque ac urina veſicæ, præter naturæ nutum profluunt, a laxatione & diſtenſione nervorum non minus, quam fibrarum ſphincteris, quas cum vagina uteri communicat. vid. *Rod. a Caſtr. Luſ. Lib. IV. c.* 1.

## §. XV.

Quæ ex his cauſis ad noſtram ægram quadrent, nunc videbimus. Conſtat autem ex hiſtoria ſatis luculenter, quod ſit partus difficilis. De violentia aliqua externa digito, vel alio inſtrumento proxime ſphincteri inflicta, hic cogitare non poſſumus, quia hoc ipſum raro, & non niſi a ſtupidiſſima obſtetrice, planeque omni tactus ſenſu orbata, fieri poteſt; deinde, quia manifeſtior cauſa ſubeſt, ſc. partus difficilis trium dierum, ubi apertum os uteri ab urethræ oſculo facile potuit diſtingui. Alia res eſſet, ſi partus facilis anteceſſiſſet, & tamen incontinentia urinæ eundem eſſet ſecuta. Potius ita proceſſum eſſe credo: Dum nimirum os uteri & vagina, ab inſtante fetu, qui deficientibus legitimis partus doloribus penitus excludi non potuit, ſemper aperta ſervata & hinc diſtenſa fuere: fieri non potuit, quin fibræ ſphincteris veſicæ

veſicæ & urethræ, proximè accumbentes, ſimul compaterentur. Poſtquam tandem procul dubio fætus maximo conatu protrahendus fuit, factum eſt, ut per diſtenſionem hanc multiplicatam quædam fibræ ſphincteris veſicæ dilaceratæ, atque vires earum in reſiſtendo factæ ſint minores. Neque impedimur, ſi quis hanc diſtenſionem ex cauſis relegare, & ab orificio uteri & vagina, in partu enormiter diſtentis, & nihilominus ad arctitudinem naturalem redeuntibus, ad veſicam argumentari velit, cum illas partes æque ac veſicam, poſt partum, per procidentiam uteri, aut vaginæ, lædi obſervemus, quæ læſio nihil aliud eſt, quam relaxatio, vel diſruptio ligamentorum uteri, aut ſphincteris vaginæ; & præterea hæ partes a ſapientiſſimoConditore præciſe ad hoc tam artificioſiſſime ſint fabricatæ, ut ſe admodum notabiliter expandi patiantur; ob vim tamen elaſticam ſingularem prompte etiam ſeſe iterum conſtringant, & ad priſtinum ſitum redeant; qualis vero textura ſpecifica ſphincteri veſicæ, ob defectum finis naturalis, a benigniſſima alias natura denegata eſt.

## §. XVI.

Secundus in caſu noſtro àffectus conſiderandus eſt, excretio nempe fecum alvinarum per genitalia. Non raro in partu difficili ruptura perinæi contingit, ut loca, in quibus Venus ſedilia voluptatis poſuit, & per quæ tœdioſæ corporis quisquiliæ provolvuntur, eodem circumſcribantur limbo, quod poſt *Albert. Magn. in Secret. Mul.* dudum confirmavit *Mercurial. de morbis mulierum.* Proſtat etiam inter alia exemplum in *Diſp. de Peſte Hamb.* §. 38. ſub *Magnifici Crauſii, Academiæ noſtræ Senioris venerandi*, præſidio ventilata. Neque amplius miramur, ſi ruptura parietis intergerini inter vaginam & inteſtinum rectum, partum ſequatur, ut genitalia fecibus alvinis quoque conſpurcentur, qualem caſum habet *Excell. Slevogtius in Diſp. de Collatione partus nat. cum præt. nat.* §. 45. obſervationibus elegantioribus refertiſſima, & *Bartholin. Cent. II. hiſtor.* 63. Noſtra ægra ſimili malo eſt affecta; moleſtum vero hoc excretorum ſymptoma in partu non fuit excitatum, ſed illegitimum inſtrumenti uſum, quo incontinentiam urinæ, partus memoriam, curaverat, excepit, id quod ſequenti paragrapho demonſtrabitur.

## §. XVII.

Scilicet, incontinentia urinæ, excitata in partu præcedente, quemadmodum moleſtiſſimum erat malum, ita miſericordem vicinarum mulierculanum numerum ad curam ſuſcipiendam adegerat. Inventum quoque erat inſtrumentum ſatis aptum, ſed ideo diutius non profuit, quia Medicus illud adhibere non juſſerat, ut verbis Medici cujusdam apud *Camerarium in Hor. Succiſ.* utar. Hoc volo, legitimum hæc inſtrumenta adhibendi modum ignorarunt. Ideoque globulus, propter perpetuam in ambulando & laborando concuſſionem, ad pubis oſſa & vulvam deſcendit, ſicque ab officio, quod

in

in ſphinctere veſicæ comprimendo conſiſtebat, recedens, urinæque præterlabenti expoſitus, materia quadam tartarea circumdatus eſt. Gignendis enim lapidibus hoc loco, in quo conditur globulus, vix alius eſt aptior, quod in ægra noſtra fit manifeſtiſſimum. Nam menſes ex utero pullulantes quicquid alluunt, viſcoſitate ſua inveſtiunt: unctuoſa hujus loci tranſpiratio excrementa ſua ſulphureomucaginoſa corpori objecto apponit, & urina particulas ſalino-terreas, quæ a viſcoſis, jam præſentibus, implicantur, ſubminiſtrat, ut non poſſit non ingens tartari proventus inde excitari. Appoſitus hoc modo tartarus, qui, cum globulus filo caruit, abſtergi non potuit, vellicationibus dolorificis patientem movit, ut, an globulus retrudi poſſet, faceret periculum; quo autem auſu nihil effectum eſt, quam ut ablata quadam materiæ tartareæ particula, inæqualitas ipſi induceretur. Prominentia hæc, ad inteſtinum rectum proſpiciens, interſtitium inter hoc & vaginam, continua attritione, fibram poſt fibram conterendo, perterebravit, & tertium affectum, rupturam ſc. hujus interſtitii, quippe morbum ſolitæ unitatis, produxit. Globus, aperturam hanc prompto pede ſecutus, cavitatem inteſtini implevit, & tanquam res toto genere præter naturam, eandem obſtruxit, (en tibi morbum malæ conformationis) curſumque ſecum impediendo, in cauſa fuit, ut iſtæ per hoc factum foramen, quippe proximiorem patentioremque viam, ad pudenda muliebria tenderint.

## §. XVIII.

Signis in inveſtigatione affectuum opus non fuit. Ægra enim labem ſuam aptiſſimis deſcripſerat voculis: imo cum globulus, aſpero ejuſmodi thorace indutus, enormes crearet dolores, mox oculoſque manuſque admiſit. Ideoque facilis erat diagnoſis ſæpius adductorum affectuum. Ex anamneſticis vero ſignis præteritus ſe offert partus, inprimis reſpiciendo ad incontinentiam urinæ. Fluit quidem non raro veſicæ mador per tres imo plures poſt partum dies, & puerperis moleſtiam creat; exſiccatur tamen ſæpe, ſuaque ſponte deſinit. Quando vero difficilior paulo partus fuit, dolores & ſpaſmi coxendicis lumborumque non remittunt, inſuper tædioſa hæc aquarum microcoſmi undulatio longius protrahitur, læſum graviter ſphincterem, malum ad portas, & ad remedia, quæ ſanitatem amant, accedendum eſſe ſciant. Non equidem ignoramus, inveteratiſſimum vulgi cras omnibus morbis inexpungendas ſæpe præbere radices, ut deinde difficillimi, imo impoſſibiles fiant ſuperatu; ſed luant ejuſmodi farinæ homines corpore culpam, & patiantur, quod ipſis triſtiſſimum prædicamus eventum.

## §. XIX.

Prognoſis ægram noſtram tutam omnino a morte pronunciare jubebat. Nam, quod incontinentiam urinæ attinet, ſphincter veſicæ tantis actionibus

bus non præeſt, ut eo læſo vita periclitetur: auream potius patientiæ herbam ipſi commendavimus. Longiſſimus enim eſt morbus, & conſentientibus omnibus, curatu difficillimus, imo a pleriſque plane inſanabilis proclamatur. Ut ut autem hæc omnia magnæ fidei autoribus largiamur, abſit tamen, ut feminas, operam noſtram & curam efflagitantes, abſque ſolatio triſtes dimittamus. Nihil enim eſt inquit *Plinius L. VIII. Ep. 4. quod non arte curaque, ſi non poteſt vinci, mitigetur, & Medici palliant cui medere non poſſunt.* Sæpe decipi illum, qui medicamentis roborantibus internis, epithematibus, unguentis, balneis & ſuffumigiis rem omnem concredere vellet, negare non licet; interim etiam ſi hæc non proficerent, incurabile tamen habere non poſſumus malum, quod relicto adhuc quodam remedio, licet palliante, poteſt mitigari. Hoc quanquam ut malum minus ferendum ſit, fluxum in momento ſiſtit; imo patientibus in tempore venientibus, curam, plus quam palliativam, plenariamque ſanitatem promittit. Obſtructionem inteſtini recti, remoto obſtaculo, apertum iri facile erat perſuaſu; rupturæ vero laudatæ conſolidatio in ambiguo verſari nobis videbatur, cum non ſimplex quædam fiſſura, ſed plenaria contritio & abſumtio fibrarum eſſet facta, & præterea locus affectus omnem emplaſtrorum, carnis generationi inſervientium, applicationem renueret. An genitalia a ſcybalorum deviis tuta futura ſint, initio non æque certi eramus, quod tamen ablata remora, & in legitimum locum iterum rejecto globulo, ſicuti ſperabamus, ita & factum eſſe audivimus.

§. XX.

Evolutis nunc, quæ ad naturam noſtri caſus fecerunt, ad curationem facientia rimanda ſequuntur. Cum turpius ejiciatur, quam non admittatur hoſtis, ideo Medico in partu maxima eſt adhibenda cautio, ne miſeris gravia hæc mala ſuperveniant. Ita incontinentiæ urinæ curatio præſervatoria ſub ſe comprehendit cauſas omnes remotiores ſuperius allatas, quæ partum difficilem reddebant, corrigendas. Quod itaque attinet orificium uteri internum, a quacunque cauſa nimis anguſtum relictum, aptabitur idem ad faciliorem in partu extenſionem, ſeminibus, radicibus & herbis emollientibus, vel ſub cataplaſmatum, fotuum, balneorum, oleorum & unguentorum forma, paucis ante partum hebdomadis, ſedulo adhibitis. Neque abs re erit, ſi exantlato ſtatim partus labore laxationem aliqualem contigiſſe animadvertamus, puerperam natibus elevatis decumbere, & inſtrumentum inferius commendandum ipſi applicare, ut fibræ per id compreſſæ corrugentur iterum, reuniantur, & occaſionem tonum ſuum reſumendi inveniant.

§. XXI.

Optanda potius eſt, quam expectanda, conditionum fetus propriarum emendatio; eoque minus, ſi plane vita ſit privatus. Comprimere enim ca-

put, imminuere magnitudinem totius, ſuperſtite fetu, nullo modo poteſt excuſari, niſi aliquando præſentia omnium ſignorum, quæ alias de vita fetus extincta haberi poſſunt, & adſtantes omnes, atque Medicum ipſum fefellerit, ipſeque hoc pacto plane inſcius fetum vivum, loco mortui, inſtrumentis fuerit aggreſſus. Si forcipibus & uncis extrahendus veniat, aut membra abſcindenda ſint, in propinquo periculum veſicæ verſatur, niſi ſumma cautione manus ferrumque dirigantur, ut ita tota res in providam obſtetricantis manum cadat. Utinam igitur omnes omnino munus hoc obſtetricandi in ſe ſuſcipientes, ſive Medici ſint, ſive Chirurgi, ſive denique feminæ, aut docere artificium, aut ipſis perſuadere poſſimus exemplum *Henrici a Deventer*, qui in libro ſuo de hac arte conſcripto, cujus rubrum: *Neues Hebammen - Licht* p. m. 471. fidem facere vult certiſſimam, ſe a XII. annis, (nam anteriores ipſi ad ignorantiam pertinent) quamvis nullum medicamentum pellens, nullumque inſtrumentum, ad dividendum, aut extrahendum fetum, adhibuerit, nulli adſtitiſſe feminæ, cui non ex voto pariendi labor proceſſerit, aut quæ labem quandam incontinentiæ urinæ, aut procidentiæ ani, ſeu uteri, reportarit.

## §. XXII.

Sin vero malum jam præſto ſit, omnis curationis noſtræ cardo in reſtituendo ſphincteris veſicæ tono vertitur. Tonus autem hic vel labefactatus eſt tantum, vel plane deperditus & abolitus, prout nempe pauciores vel plures laceratæ ſunt fibræ. Prius ſi adſit, ita dirigenda eſt cura, ut fibræ pauciores ruptæ cum aliis adhuc integris concreſcant, hæque roborentur, ſubſideant, & concreditum ipſis liquorem fidelius cuſtodiant. Ad hoc obtinendum multa a variis autoribus præſcribuntur medicamenta. Interne conveniunt omnia nervina, adſtringentia & roborantia, quæ in principio mali fortaſſe non abſque effectu erunt. Pudenda ſuilla, apud *Langium*, non ultimam habent laudem. *Rodericus a Caſtr. Luſit*: *ſi educto infante, urina, aut alvi fex involuntarie fluant, curare jubet ut paralyſin earundem partium.* Externe ungentorum formam hinc inde commendatam invenimus. Ita *Chr. Jo. Langius* axungiam urſæ, cum raparum paſſarum decocto, reliquis fere omnibus in caſſum adhibitis: profuiſſe meminit. Proſtat etiam ungu. ad incont. ur. Rolf. *Sennertus in Prax. de Morb. Puerperar.* ſimile præſcribit. Quod vero expectatus ab unguentis ſemper poſſit promitti effectus, non facile perſuadeor: nam pinguia & oleoſa, corpus ipſorum conſtituentia, plerumque vi laxativa & emolliente prædita ſunt. Licet enim herbæ adſtringentes ipſis aliquid virium communicent, tantæ tamen vix erunt, quæ fibras conſtringere poſſint, niſi leviſſima laxatio contigerit. Rectius igitur *Waldſchm. in Caſ. in Tim.* omnibus remediis balnea, naturalia & artificialia, præferenda eſſe judicat. Per naturalia intelligit thermas, ſine quibus hanc incontinentiam curari non poſſe putat, *Prax Caſ. LVI.* Artificialia conficiuntur ex cephalicis,

cis, nervinis, roborantibus & adſtring. quibus addere jubet laudatus Autor exſiccantia mineralia, calcem vivam & ſulphur. Cavendum vero eſt, ne ſtatim poſt partum balnea hæc applicemus, ſed expactare per unam alteramque hebdomadam prudentiæ eſt, ne neceſſaria lochiorum excretio impediatur.

§. XXIII.

Atque hæc quidem remedia robur debilitato ſphincteri interdum reſtituunt, quæ, quando plane eſt dilaceratus, plerumque illuduntur; conſolidationi tamen aliquid operæ dandum eſt, antequam deſperemus. Hinc unguenta ſuperius memorata gratioris hic futura ſunt efficaciæ, quæ remixta cum ungu. citr. roſat. diapomph. balſ. Peruv. de Copaib. gum. Elemi &c. fibras demulcent, & laceratas cum aliis concreſcere faciunt, ut fortaſſe felicior roborantium, poſt hæc adhibitorum, poſſit expectari effectus. Cum vero hæc reſtitutionem elateris perditi plerumque fallerent, confugiebant Practici olim ad ſpecifica amuleta, quale eximia admiratione exornat *Henr. ab Heer. obſ. oppido rar XIV: p. m.* 194. Eſt hoc pulvis bufonis, in nova olla combuſti, & e collo, ſacculo incluſus, pendens. Duplici experientia Boylei probatum laudat *B. Ettmullerus Colleg. in Schroed.* & Heerio inpingit, quaſi dixerit, pulverem illum gaudere virtute quadam anodyna, quod quidem ego in editione mea invenire non potui. Pulvis exſuccus eſt, omnique qualitate exhalabili, qua alias amuleta etiam gaudere debent, orbatus, ut concipere non poſſim, quam ob qualitatem adſcriptos effectus poſſit præſtare: verum enim manet Curtianum illud: durabile non eſt, cui non ſubeſt ratio. Neque experientia meliora ſperare ſinit: Nam experimentum illud *Oculatiſſimo Noſtro Wedelio* minus profuiſſe viſum eſt, prout confitetur *Prax. Clin. Ex ad Tim. Lib.* 4. *Caſ.* 32. *Chr. Jo. Langius* itidem infelicem expertus eſt ſucceſſum. An felicior effectus â cinere erinaceorum, murium domeſticorum, gutturis galli, & ceterorum, quæ pro amuletis commendari ſolent, expectari poſſit, nemini autor ero.

§. XXIV.

Roborari & integritati ſuæ ſi ſphincter reſtitui nequeat, de fluxu ſaltem inhibendo cogitandum eſt, ne urina, particulis ſuis acribus & rodentibus, delicatiora Veneris ventilabra dolore & intertrigine afficiat. Quomodo hoc præſtari poſſit, id plerique Practicorum ad noſtra uſque tempora aut plane tacuerunt, aut remedia minus efficacia commendavere. *Th. Barthol. Cent. II. Hiſt.* 63. ægræ ſuæ urinam non cogitanti ſtillare patitur: alii, ne abſque ſolatio ægras dimittant, amuleta incertiſſimi ſucceſſus appendere jubent. Et remedia, quæ ex chirurgia deſumta hinc inde commendata inveni, ita comparata ſunt, ut perſuaſiſſimus ſim, feminas malle morbum, quam inſtrumenta talia ferre, cum non ad inhibendum, ſed ſaltem ad excipiendum

fluxum ſint accommodata. Ita laudatus *Bartholinus Cent. IV. hiſt.* 2. alligavit pudendis puerperæ cujusdam marſupium: hoc, tam diu in plumis detineri poſſunt, probabunt, quam primum vero lectum relinquent, & hoc rejicient. Par ratio videtur ſpongiæ labiis cunni applicatæ, quæ præter expreſſionem crebriorem, quam expoſtulat, etiam hoc habet incommodi, ut per colliſionem femorum compreſſa, ſimul & ſemel abſorptum lotium profundat, & faciat, ut circumjectis veſtibus inundatis patientes labem ſuam proſtituant. An inſtrumentum a *Nuckio Experim. XL.* commendatum ita aptari, & oſtium ejus ita dirigi poſſit, ut profluentes urinæ guttulas excipiat, ſedentibusque ægris officium faciat, affirmare non poſſum: alia res eſſet, ſi ægræ perpetuo culcitris incumbere poſſent: cui etiam ſimilem apparatum deſcribit *Hild. Lib. de Lithotom. C. XXI. p.* 739. Et quanta cum moleſtia ægra machinam Henrici ab Heer tulerit, qui ſiphoni argenteo, urethræ immiſſo, lagenam appendit, inter alia exinde colligi fas eſt, quod conſilium aliud ex Cingaro efflagitaverit.

§. XXV.

*Chriſtianus Joh. Langius* unicus eſt quem novi, qui inſtrumenti cujusdam, ad comprimendum ſphincterem, & inhibendam urinam apti, meminit *Op. P. II. p.* 259. dicens: commendatur globulus cereus, ut comprimatur ſphincter. *Prudentiſſimus* vero *noſter Slevogtius*, qui, uti in omni morborum genere, ita imprimis in maculis feminarum delendis, illuſtrem ſe reddidit, *in diſp. de incont. urinæ* omnia inſtrumenta, adverſus uteri procidentiam uſitata, id præſtare conſulto aſſerit. Horum igitur cenſum ſubeunt annuli & globuli: illos depingit *Deventer* l. c. p. 232. ex ſubere, ligno, auro, vel argento, rotunda vel ovali figura conficiendos; hi a *Paræo Op. Chirurg. L. XXIII. cap.* 41. ſub peſſorum ovatorum nomine eleganti pictura exhibentur. *Hildanus Cent. IV. obſ. Chir.* 61. præter ovales & commendat rotundos, ex ſubere fabricatos.

§. XXVI.

Quod uteri orificium, laxatis, quibus firmatur ligamentis, profundius, quam par eſt, in vaginam deſcendat, & oculis conſpici poteſt. Repoſitionem itaque intendentes oſculum longius exporrectum, medicamentis emollientibus fotum, providis, blandientibusque digitis retrudunt: & cum conſueta emplaſtra, & alia roborantia, non raro expectationem fallere ſoleant, laudati globuli, aut annuli, obices ponuntur, qui amplitudini vaginæ reſpondentes, & ad cavitatem pelvis uſque appulſi, delabi uterum amplius non patiuntur. Nunc ſi vicinitatem uteri cum veſica conſideremus, facile erit judicatu, una hic fidelia plures dealbari poſſe parietes; & licet procidentia non adſit, incontinentiam tamen urinæ iisdem poſſe reprimi. Nam globulus, ſpatium vaginæ exacte replens, ſimulque ſphincteri veſicæ, ab inferiori, quo

attingit vaginam, loco, ſubjectus, eundem una cum urethra comprimit, quo compreſſo non poteſt non exitus urinæ præcludi.

§. XXVII.

Annulos laudatos in prolapſu uteri præſentiſſimam ferre opem allegati auctores non minus, quam diaria practicorum confirmant; ſi tamen quis illos pro incontinentia urinæ curanda adhibeat, haud felicem ſemper experietur ſucceſſum. Cum enim annulorum craſſities non æque magna eſſe ſoleat, nec ordinarie, in circumferentia planities quædam adſit, ideo facile fieri poteſt, ut anguſta annuli craſſities minus accurate iſtum vaginæ uteri locum attingat, qui ſphincteri veſicæ ſuccumbit, adeoque nec cohibeat invitum urinæ profluvium. Contingit hoc fatum etiam ægræ noſtræ, dum ſc. D. D. Præſes annulo ejuſmodi ligneo, cera obducto, labem hanc in eadem corrigere ſuſtinuit. Ideoque tutius incontinentiam urinæ ſiſtendam globulis, quam annulis committimus.

§. XXVIII.

Globulorum præſtantia commoti, eorum genuinum uſum curatius nunc inveſtigabimus. Materia eorum à diverſis diverſa præſcribitur. Langius commendat ceram, alii ſuadent aureos, argenteoſve; alii ex ligno vulgari, aut ſubere tornatos; alii ex ſtupa, filis cannabinis, aut linteo convolutos. Nihil autem intereſt, quibus ſiſtatur fluxus, modo fine noſtro potiamur. Ex laminis aureis, aut argenteis, aut etiam ferreis, ſed auro tinctis, conſtantes, commendat mundities non minus, quam levitas, inter cudendum vero ſegmenta ſedulo ſunt cavenda. Cerei nimis graves ſunt. E ſubere confecti, leves quidem, ſed fragiles admodum obſervantur, ut omni jure vulgare, idque paulo ſolidius, præferamus lignum: tornatores enim illud tam apte lævigare, & excavare ſciunt, ut notabilis molis globulus vix unciam unam pondere æquet. E ſtupa, & alia materia ſpongioſa convoluti huic præ aliis periculo expoſiti videntur, quod poſt notabiliorem gravitatem facile intumeſcant, & feminis moleſtiam creent, id quod exemplum noſtræ ægræ nos docuit. Ineptæ quædam obſtetrices eo delapſæ ſunt, ut ejuſmodi globulos e ſtramine compingant, eoſque cera obductos applicent; ſiquidem hic loci pellionis cujusdam uxor eximium ejuſmodi productum, ab obſtetrice Dornburgenſi acceptum, gerit. Miſerrima hæc femina, dieque nocteque, quoties vel levius corporis motum intendit, miris doloribus exercetur, cum contrita cera calami ſtraminei promineant, & vicinas partes pungant: Imo maritus conqueritur, quod venerem licitam, propter obverſantes aculeos, non aliter, quam canis Nilum, poſſit deguſtare.

## §. XXIX.

Ne globuli noſtri lignei, aut alius farinæ, ob aſperitatem ſuam partes, quibus inſident, lædant, aut liquor, illos ingrediendo, magnitudinem gravitatemque augeat, glabram ipſis veſtem induere ſolemus. Conſtituit hanc cera, vel ſimplex alba, firmior; vel aliud ceratum compoſitum, quale communicat *Hildanus Cent. IV. Obſ. Chir.* 61. ſequentis compoſitionis:

℞. Ceræ novæ ℥iij.
Colophon.
Gum. Elem. a. ℥j.
Thereb. ℥ß.
Pulv. roſ. odorif.
myrtill. balauſt.
Rad. conſolid. maj. a. ʒj.
Maſtich. olib. a. ℥ß.
M. f. c. ſ. q. ol. roſ. ceratum.

Liquato ſuper igne huic cerato globulus ſubinde immergitur, ut cera omni adhæreat parti; frigefactus deinde, remotis eminentiis, a cerato relictis, ſpatula calente complanari & lævigari debet.

## §. XXX.

Formam quod attinet, commendabunt ſe rotundi non minus, quam pyriformes & ovales, modo amplitudini vaginæ accommodati, nec majores, qui aut non admittuntur, aut vi appulſi, ægre feruntur; neque minores ſint, qui dum parietes vaginæ ſua ſuperficie non attingunt, ſphincterem comprimere non poſſunt, adeoque nihil proficiunt. Hoc ſaltem obſervetur ut extremitati, quæ cunnum reſpicere debet, hamulus ferreus inſeratur, ex quo filum cannabinum, cera obductum, propendeat, mediante quo globulus latens interdum protrahi, & appoſita amurca repurgari poteſt.

## §. XXXI.

Modus applicandi præter cautas & providas operantis manus nihil ferè requirit, eoque magis a Medico ſuadendus eſt, cum feminæ chirurgum non admittere, ſed ſibi invicem plerumque talia officia præſtare ſoleant. Adducitur & propellitur ejuſmodi globulus per vaginam uſque ad orificium uteri internum, ubi offendit ſpincterem comprimendum. Locus, cui annulus injectus eſt, foras proſpiciat, ut felicius procedat, ſi globulum velimus provocare.

§. XXXII.

## §. XXXII.

Minus vero ſufficit globulos apte applicare, ſed debitum quoque in eorum geſtatione obſervandum regimen nunc recenſendum eſt. Inficias quidem ire non poſſumus aliquas ab iſtis creari moleſtias; interim ex duobus malis minus eſt eligendum: & ſi modo jam dicenda rite obſerventur, non magna ſequi poſſunt incommoda. Igitur ante omnia globulus ſingulis circiter menſtruis ſpatiis, vel longioribus quoque intervallis protrahendus eſt, & materia adnata abſtergenda: incruſtatus enim globulus, quod facile contingit, ſicuti demonſtravimus, magna affert detrimenta, id quod noſtra ægra teſtari poteſt. Ceterum neque greſſui ſcrupulo ſunt, neque laboribus conſuetis ullam injiciunt remoram. Si premat urina, depreſſo leviter globulo, vel dilatatis ſaltem ſemoribus, ubi ſponte cedit, illam proruere ſinant.

## §. XXXIII.

An veneream pugnam ingredientes globulos deponere debeant, diverſæ apud autores inveniuntur ſententiæ. *Celeberrimus Slevogtius* aurigæ uxorem, cujus mentionem ſequente §. faciemus, ſine impedimento maritum ſuum admiſiſſe perhibet. Noſtram ægram nullis perſuaſionibus adducere potuimus, ut confiteretur, an viro ſatisfacere potuerit nec ne? omnibus ſenſibus indignabatur venire in ora vulgi, uſque tandem obſtetricem adhibuimus, cui revelavit, vix bis in anno cum viro concubuiſſe; jam vero ſenium cupidinem penitus fugaſſe. At tamen, ſi quid ſentiam, effari deberem, credibile mihi videtur rude ruſticorum genus ab oeſtro venereo adeo confundi, ut vix ac ne vix quidem ſenſu percipiat, in quod impingat; aliter ita & mecum judicat pellio §o. 28. adductus. Ideoque ſuaderem, ut, quæ fecundum velint celebrare coitum, deponant globulum, ut profundius immiſſo membro virili titillatio delicatior, certiorque ſpes procreandæ ſobolis prodeat; quemadmodum etiam ſuadet *Scult. in auct. arm. p.* 9. & de ſua ægra refert *Hild. l. c.* Victus ratione proficuum eſt, quantum poſſibile, uſum nervinorum & roborantium; nimii vero potus, & aliorum, nervos laxos reddentium, abſtinentiam commendare, ne, ſi fortaſſe plenaria ſanitas poſſit obtineri, impedimento ſimus.

## §. XXXIV.

Experientia quemadmodum medicinæ fundamenta poſuit; ita & noſtros globulos in urinæ incontinentia utiles eſſe docuit. Hæc autem aſſerentes neutiquam negamus globulos ejuſmodi diu fuiſſe cognitos, multorum enim autorum ſcripta nos refutarent; ſed tantum hoc affirmamus: veteres modum incontinentiam urinæ globulis talibus ſiſtendi ignoraſſe. Cum autem experientia demum diſcamus, an remedium, ratione arteque excogitatum, dignum

num ſit imitatione, de noſtris illud globulis producendum eſt, ne vana ſcripſiſſe verba videamur; oramus vero honoratiſſimum lectorem, ut paucis contentus ſit exemplis, nam plura in ſcriptis publicis non invenimus, niſi practici quædam adhuc in ſinu diariorum foveant. *Langius*, an globulum ſuum cereum, quem commendat, adhibuerit, non expreſſit. *Excellentiſſimus Slevogtius* feminam incontinentia urinæ affectam ope maſſæ, e filis cannabinis, ad figuram panis biſcocti, compactæ, albaque cera obductæ, quam dum hæc ſcriberet, ultra viginti annos geſſit, eo uſque reſtituit, ut non ſolum ſicca inceſſerit, ſed & ſacris venereis ſine impedimento intereſſe potuerit, ſicut teſtatur laudatiſſimus vir in diſſertatione ſæpius jam laudata de incont. ur. §. 39. Noſtram tandem ægram in ſcenam producimus, quæ duplici jam vice, gallum Æſculapio immolavit.

## §. XXXVI.

Neceſſarium incontinentiæ urinæ conſequens eſt intertrigo pudendorum, imo quam urina alluit caro, putris, & grandibus obſeſſa verrucis ſolet quandoque obſervari *vid. Heer. l. c.* Intertrigini medentur medicamenta exſiccantia, leniter abſtergentia, roborantia, & traumatica, ut pulveres e ceruſſ. pomphol. roſ. rubr. ungu. de litharg. diapomph. item decocta ex rad. alth. ebul. hb. ſanicul. millefol. hormin. matricar. fl. roſ. rubr. hyper. verbaſc. cum cereviſia ſecundaria parata, quibus loca intertriginoſa aliquoties de die eluenda ſunt. Hujus enim indolis decoctis D. Præſes aliquoties intertriginem a fluore albo ortam feliciter curavit. Putredini autem cathæreticis efficacioribus, cinere-tabaci, ære uſto, alumine & vitriolo uſt. mercurio præcip. ungu. Ægypt. &c. contra eundum mihi videtur; quæ vero alius ſunt loci.

## §. XXXVII.

Ceterorum affectuum curandi methodus exponenda reſtat. Obſtructio inteſtini recti, remoto globulo, ſtatim recluſa eſt, prout facile judicatur; de excretione ſaltem fecum alvinarum per genitalia nobis cogitandum eſt. Hæc, rupturam nominatam veluti ſymptoma ſecuta, non niſi illa conſolidata, ſiſti poterit. Quid autem conſilii, deligandus eſt locus applicationi emplaſtrorum ineptiſſimus? Neſcio, quid plus a nobis poſſit exigi, quam ut ſoli naturæ, decoctis & balſamis traumaticis adjutæ, omne negotium committamus, quæ & ſimile quid apud Bartholinum fideliter effecit. In noſtra ægra ſua ſponte ſuſpendebatur illa excretio per trium fere annorum decurſum, adeo, ut conſolidationem factam eſſe cogitaremus: cum vero integro nuper malo recrudeſcente, ſimul ſe iterum aſſociaret, cauſam hujus ſuſpenſionis & repetentis incongrui fecum effluxus, hanc fuiſſe concluſimus: ſcilicet, quamdiu inſtrumentum pyriforme, ſupra foramen

ramen iſtud, in vagina uteri, & inteſtino recto, convenienter hæſit, nec hujus canalem obſtruxit, feces alvinæ per hunc in viam rectam & patentem excretæ fuere; poſtquam vero laudatum inſtrumentum e loco ſuperiori deſcendit, & per deſcriptum hiatum in inteſtini recti cavum ceſſit, obſtruxit utique viam hanc publicam, quare neceſſario feces alvinæ, per inteſtinum rectum obſtructum nullum invenientes exitum, juxta inſtrumentum pyriforme per hiatum iſtum communem in vaginam uteri aſcendere, atque per iſtius orificium ejectæ fuere. Repoſito vero iterata vice inſtrumento, in hunc uſque diem immunis incedit ruſtica. Tantum eſt, quantum pro ingenii laxitate de hoc caſu monendum duxi, ſupereſt, ut annectatur.

---

## *Proceſſus Curationis D. D. Præſidis.*

Naturalis bene vivendi cupiditas compulerat ægram, ut obſtetrici cuidam labem ſuam revelaret. Hæc ſtatim de remotione hujus globuli cogitans arripit obveniens cochlear, quo inverſo, & reflexo manubrio, contritionem & extractionem globuli tentat. Vires autem, obſtetricis non minus, quam inſtrumenti, extrahendæ aut comminuendæ huic moli pares non erant, ideo dolores aucti efficacius auxilium quærere jubebant, quem in finem mulierculæ hæ una cum marito D. D. Præſidem accedunt, ut opem ferat petentes. Hic audita morbi hiſtoria, ac perceptis irritis tentaminibus, loca affecta inveſtigabat, & mox globulo viſo, extractionem manu impoſſibilem fore autumabat: ideo ad inſtrumenta, quibus alias fetus mortuos extrahere ſolet, recurrens, forcipem extenſo roſtro, eoque ſerrato, inſtructam, apprehendit, qua mediante abraſis quibuſdam particulis, & contrita magna globuli parte, totam tandem molem, quam obſtetrix immiſſo in anum digito, elevabat, & ad extractionem aptabat, injecto ſimul unco, multo cum labore & moleſtia, ob ſumme tetrum fœtorem, educebat. Provide autem ipſi procedendum erat, ne perinæum, quod ab inſigni globuli mole maxime tenſum erat, rupturam pateretur. Cum ejecto globo, & laceſſitis partibus vicinis, tumor genitalium timendus eſſet, hiatuſque ex inteſtino recto in vaginam conſolidandus, a D. D. Præſide præſcribebantur ſequentes ſpecies, ſacculo incluſæ, in cereviſia coquendæ & genitalibus imponendæ:

℞. Rad. torment. ſymph. a. ℥ß.<br>
HB. plantag. ſanic.<br>
millefol. matricar. a. m. j.<br>
Fl. chamom. ſam. hyper. a. m. ß.<br>
Sem. carv. ℥ß. C. C. gr. m. d. in ch.<br>
S. *Lind-und heilende* ſpecies *zum Säcklein.*

Decocto vero uteri vaginam, & inteſtinum rectum eluenda præcipiebat. Remoto ſic globulo ægra noſtra, omnium dolorum immemor, ſine impedimento ambulabat, & feces a natura deſtinatam viam repetebant; ſed urina largiter continuo fluebat, hinc huic remora erat injicienda. Confugiebat D. D. Præſes ad annulos ligneos, eoſque cera alba pulchre obductos, applicari curabat, ſed effectus non reſpondit voto. Poſt hæc tornare jubebat tria inſtrumenta pyriformia excavata, ex ligno acerno, diverſæ magnitudinis, eaque cera obducta, ac hamulo, & filo cannabino craſſiori inſtructa, obſtetrici concredebat, ut, quod amplitudini vaginæ reſponderet, applicaret. Minimum facile appulſum erat, ſed nihil effecit; medium autem mox expectationi ſatisfaciebat. Atque ſic ægra hilariſſima vivebat, poſtquam ipſi ſupra deſcriptam diætam commendaveramus, ſicque tres, & quod excurrit, annos incedebat. Immundities vero ruſtico generi innata quaſi, vel cura laborum aut potius culturæ corporis negligentia, ægræ non permiſerat, ut globulum nonnunquam protraheret, & adjectas abſtergeret ſordes. Hinc nuper tantum malum ſuperius recrudeſcebat, dolores urgebant iterum, & cum globulus noſter prioris veſtigia premeret, feces per vulvam, & urina involuntarie fluebant; ægra vero auxilium D. Præſidis non amplius efflagitavit, cum obſtetrix, quæ præcedenti operationi adſtiterat, rationem globulum provocandi, novos conficiendi, eoſque applicandi accurate ſatis didiciſſet; jam vero ægrotæ noſtræ nemo, niſi præcedentium conſcius, quandam adjudicabit labem.

LAUS DEO.

DISSER-

LXXXIX.

# DISSERTATIO
## *MEDICO-CHIRURGICA,*
DE
## SARCOMATE E PUDENDO MULIEBRI SECTIONE SUBLATO.

*Quam Præſide*

ABRAH. VATERO M. P.

*Tuebatur*

JAC. DAN. BEHRENS

*TORGAVIENSIS.*

Wittembergæ menſe April. anno 1728.

## Q. D. B. V.

UTerus femininus, uti tum ob ſtructuræ elegantiam, tum ob officii præſtantiam, ſiquidem officinam generationis ac formationis fetus conſtituit, merito inter præcipua ſexus ſequioris organa refertur: ita ſi myriades morborum ex ipſo oriundorum, ac miſerrimas feminas immaniter excruciantium conſideramus, non injurius in ipſum quis erit, ſi ſentinam corporis perniciofiſſimam ac lernam innumerabilium malorum eumdem dixerit. Hunc equidem in paſſionibus ita dictis hyſtericis, modo aſcendere, modo deſcendere, nunc intra fauces irruere, nunc iterum in abdomen devolvi, aut per univerſum corpus diſcurrere & oberrare, cum mulierculis, ſenſu globi ex abdomine verſus fauces aſcendentis, deceptis, minime credendum eſt. Conſenſus enim cum omnibus viſceribus internis, ac cum toto corpore omnium iſtorum ſymptomatum atque innumerarum præterea ægritudinum hinc inde ſupervenientium cauſa eſt, adeo, ut, cenſente *Caſp. a Rejes in Camp. Elyſ. juc. Qu. XLVI.* nullus fere ſit morbus, qui a conſpurcatiſſimo uteri fonte, uti idem loquitur, dimanare non poſſit, idemque propterea minera malorum merito ſit appellandus. Dudum jam e foro medico profligata eſt fabula, qua veteres ſenſum, appetitum motumque animalem utero tribuerunt, ut idem odoriferis gratis, naribus applicatis, verſus fauces allici, a graveolentibus vero & fetidis repelli, in fugam verti, & ad priſtinum locum occupandum cogi poſſet. Sat abſone propterea a *Roderico a Caſtro de morbis mulierum L. II. Cap. XVI. p. 266.* ad uterum prolapſum repellendum commendatur, ut cauterium actuale ignitum manu oſtendat medicus aut obſtetrix, ac ſimulet partem ſe tangere velle, vel ſi mulier timidiuſcula ſit, vivi mures filo ligati cruribus repente ſubmittantur, ita enim naturam retrahi, & cum ea uterum, aut quamcumque aliam partem prolapſam. Quamvis vero uterus proprio niſu nullatenus ſe movere, aut e loco ſuo diſcedere queat, idem tamen a variis injuriis e ſede ſua turbari, ac ad inferiora propelli aut trahi poteſt, ita, ut non raro una cum vagina ſua everſa ſinum pudoris ingrediatur. Sed non omnem tumorem e vagina prodeuntem, ad uteri prolapſum referendum eſſe, e ſequentibus paginis palam fiet, quibus caſum rariſſimum, & ob plurimas circumſtantias curioſiſſimum, ſarcomatis inſignis, prolapſum uteri mentientis, ſectione ſublati hiſtoriam continentem, in præſenti lectori exponimus.

## CASUS.

Femina XLVIII. annorum, ſeptem liberorum mater, ac ante ſeptem

 annos

annos ultimum puerpera, a tribus annis, hæmorrhagia uteri laborare cepit. Illa ſumptibus neceſſariis deſtituta, malo huic nihil, præter remedia domeſtica, oppoſuit, ac præterea laboribus durioribus geſtationibuſque ponderum, unde haud dubie affectum hunc primum contraxerat, induſit. Factum ita eſt, ut fluxus hic moleſtus frequentius rediret, indieſque augeretur, & quandoque aliquot libræ ſanguinis fluidi & grumoſi unica vice confertim effunderentur. Elapſis, inter copioſas ſanguinis profuſiones, duobus circiter annis, illa tumorem intra vaginam percepit, qui ſenſim auctus totum ſinum pudoris replevit, tandemque e pudendo protuberavit, & premendo veſicæ collum & inteſtinum rectum, obſtructionem alvi, urinæque difficultatem, cum graviſſimis lumborum doloribus excitavit, nec tamen ulla ratione ab illa repelli potuit. Quid fit? Femina ſibi conſulere neſciens, nemine ob pudicitiam intempeſtivam in conſilium vocato, pro ea, qua pollet, animi fortitudine, ne dicam audacia, cultrum arripit, partemque tumoris prominentem pugni magnitudine reſecat, mira opportunitate, quia ob corruptionem, nulla inde ſecuta hæmorrhagia. Hoc autem facto, preſſio doloroſa non remittit, uti ſperaverat, potius augetur, & accedentibus conatibus, parturientium ſimilibus, poſtridie inter excretionem alvinam, ſubito prorumpit maſſa, capitis magnitudinem excedens, inſigni fœtore, quia ſemiputrida fuit, & pondere ac tractione ad inferiora, moleſta. Urgebat præterea urinæ ſuppreſſio, quam, non niſi digitis ſub pube intruſis, reddere potuit, ab hac etiam ſuper tumorem defluente ardor inſignis excitabatur, & inflammatio in tumore augebatur, adeo, ut totum pudendum ſub eodem creſcente abſconderetur. In tantis anguſtiis conſtituta noſtra, neceſſitate cogente, demum a chirurgo auxilium petit. Hic ſtatim epithematibus inflammmationi & putredini reſiſtentibus curam aggreditur, quibus per aliquot dies uſurpatis rem eo redegit, ut tumor quodammodo detumeſceret, ac ſinus pudoris, antea ſub eodem latens, conſpici poſſet. Nunc etiam patuit, totam illam maſſam a collo tenuiori, coloris albicantis, duorum digitorum craſſo, e vagina ſuſpendi. Sinus autem pudoris adeo arctus ac intus repletus fuit, ut digitis circa cervicem tumoris ductis ac intruſis, nullus intra vaginam daretur aditus, nemoque aliter exiſtimare poſſet, quam uterum una cum vagina inverſa elapſum eſſe. Cum ergo nulla repoſitionis ſpes ſuperſtes eſſet, nihil fuit reliquum, quam ut tumor ſemiputridus ac gangrænæ proximus, tractione ac fœtore inſigni moleſtus, ſectione tolleretur, quam tamen chirurgus, gravitatem negotii penſitans, proprio auſu ſuſcipere noluit, meque propterea in conſilium adhibuit. Poſteaquam omnes circumſtantias mecum reputaſſem, tumoris magnitudinem, ægræque ſtatum, quæ, præter prægreſſam ſanguinis jacturam, in præſenti a calore præternaturali, inquietudine ac vigiliis viribus penitus exhauſta videbatur, ob metum hæmorrhagiæ timendæ, ſectionem primum diſſuaſi, ne forte ſiniſter rei eventus, ac obitus feminæ, morti, uti apparebat, alias proximæ,

curæ

curæ tribueretur. Nihilo tamen ſecius, tumore ad ſphacelationem properante, ob quam femoribus contactu maculas nigras impreſſerat, ægræ, liberationem anxie efflagitanti, ac niſi cito auxilium feratur, reſectionem propriis manibus peragendam minanti, morem geſſimus, quia in caſu ancipiti, anceps potius, quam nullum remedium adhibendum fuit. Quamobrem, femina ad omnem eventum præparata, ſine temporis jactura ad ſectionem acceſſimus, & trajecta per cervicem acu, filo incerato inſtructa, ligamentum injecimus, poſteaque ſub ligatura tumorem abſcidimus. Eventus voto reſpondit, & operatio ex animi ſententia peracta fuit, nulla inde hæmorrhagia vel alio ſymptomate inſequente. Feminam poſtea in lecto quiete repoſitam, medicamentis internis cordialibus, exterius epithematibus, inflammationi & putredini oppoſitis munivimus. Vagina uteri, antea ad exteriora tracta, cum ligamento applicato paulatim in locum priſtinum receſſit, ut nunc digitos ſine negotio intra pudendum immittere, nec tamen finem attingere liceret, manifeſto indicio, tumorem e ſupra vaginæ regione deſcendiſſe. Præterlapſa ita una alterave ſeptimana, ægra ſenſim ad ſe rediit, vireſque amiſſas recuperavit, lentoque gradu incedere cepit. Remanſit nihiloſecius intus dolor preſſorius, tumorque pedum œdematoſus, antehac jam præſens, indies incrementa ſumpſit, nec adhibitis remediis anticachecticis ceſſit, accedente inſuper per intervalla hæmorrhagia copioſa, hydrops perfectus imminere viſus eſt. At quid fit? elapſo fere dimidio anno, femina in vagina quicquam preſſione moleſtum percipit, quod digitis intruſis extractum, vinculum applicatum, maturatione paulatim liberatum, eſſe cognovit, nobiſque exhibuit. Ab illo tempore tota rerum facies mutata eſt, femina nunc optime valet, in præſenti obſtetricis munus Coſwici ſuſcepit, de nullo accidente amplius conqueritur, ſaltem quod pallor faciei de morbi ſuperati magnitudine teſtetur. Notatu digniſſimum autem imprimis eſt, illam, ætate ſatis provectam, poſt tot tamque largas ſanguinis profuſiones, fluxum menſium regularem modicumque nunc experiri.

## THES. I.

*Sarcomatis abſciſſi delineatio.*

Habes ita, Lector benevole, hiſtoriam ſarcomatis e pudendo muliebri feliciter exſecti. Accedo nunc ad deſcriptionem ipſius tumoris, ut pateſcat, ad quodnam genus idem referri debeat. Eo conſilio totam molem nobiſcum abſtulimus, ut eam domi accurate perluſtrare poſſemus. In latere anteriori, quod oculis ante reſectionem patebat, ob corruptionem nihil diſtincti videre licuit, referebat enim rudem atque deformem maſſam. Sed tumore inverſo, ut facies poſterior, antea viſum fugiens, luci exponeretur, in admirationem conjecti fuimus, cum videremus, e medio ipſius prominere corpus oblonge rotundum, ſubſtantiæ a reliquo tumore diverſæ ac muſculoſæ, uteri inverſo ordine elapſi figuram haud obſcure exhibens, uti ex icone in fronte hujus diſſertationis poſita patet. Inferius enim

enim rotunditate cum fundo uteri convenit, ſuperius vero attenuatur, ac in collum anguſtius, ſubſtantiæ albicantis ac tendineæ terminatur, unde ſuſpenſa fuit tota moles, & quo loco reſecta fuit, quod collum uteri quodammodo repræſentat. Admiratio noſtra non parum aucta fuit, ubi, ſectione in corpus illud muſculoſum juxta longitudinem facta, interiora ejus luſtravimus. Conſtat quippe idem ex fibris carnoſis orbicularibus, ac, quod præprimis attentionem meretur, per totam ſubſtantiam hiant orificia vaſorum ſanguiferorum diſſectorum copioſiſſima, qualis eſt uteri tranſverſe ſecti facies. Adhibita tamen omni diligentia, nihil ovariis aut tubis fallopianis ſimile detegere potuimus, imo ſectione repetita, eandem ubivis texturam internam, nullam vero intus cavitatem invenimus. Reperitur autem a latere corporis muſculoſi inſignis cavitas ſeu ſinus oblongus & profundus, iſtud a reliqua tumoris parte ſejungens. Reſidua ſarcomatis ſubſtantia, corpus muſculoſum ambiens & ſuſtinens, ab hoc plane diverſa, conſiſtentiæ laxioris, mollioris, ac lobos & rugas monſtrans, ut aliter judicari non poſſit, quam eandem eſſe vaginæ rugoſæ portionem. Pondus totius molis, expurgatis omnibus impuritatibus, eſt duarum librarum. Tandem etiam ſciendum, ſarcoma, multo minori, quam naturali, magnitudine in figura exhiberi.

## THES. II.

*Tumorum e pudendo muliebri enatorum varietas.*

Antequam ad indagationem naturæ atque originis ſarcomatis hujus, ac ad conſiderationem ſingularium in caſu præſente concurrentium circumſtantiarum nos accingamus, monendum eſt, admodum magnam eſſe varietatem tumorum, e pudendo muliebri enatorum, tum ratione loci, ubi excreſcunt, tum ratione conſiſtentiæ, magnitudinis, cauſarum, aliarumque conditionum. Ita pudendum externum, imprimis labia intumeſcunt ab inflammatione, œdemate, vel etiam abſceſſu, aut ubi in hernia inguinali inteſtina per proceſſum vaginalem peritonei intra eadem elabuntur. Præterea ex cute labiorum æque ac montis veneris, eadem ſuperius conjungentis, naſcuntur tumores, exiguo principio, ſub forma verrucarum, in enormem quandoque molem excreſcentes. *Adnaſcitur interdum inquit Severinus Med. Effic. p.* 119. *alis pudendi muliebris tuberculum, principio puſillum, deinde magnis incrementis augeſcens, molle, concolor, contrectatu modiſque fermie omnibus indolens. Scorto propendebat in labio pudendi minoris pineæ magnitudine tuberculum, baſi minore, quam altero extremo pendulum, quod uno jam anno ſic ex parvo intumuerat. Conſtrictum vinculo die uno ac tantum non ſtupefactum, poſtridie reſecui, cute circumplexum craſſiſſima, plus media digiti latitudine.* Tuber ſcirrhoſum excidit *Marchettis*, cucurbitæ magnitudine, quod ſuperius oſſi pubis adhærens, utrumque pudendi latus, rimamque ipſam velabat, puſtulis ſcatens malignis, ad radicem exulceratum, uti teſtatur *Bonet. Mercur. Compital. L. XVIII. p.* 737.

*In pudendo externo labiis, clitoride, & Nymphis orti.*

Enor-

Enormis iſtiuſmodi tumor pondere XII. libras ſuperans e labio dextro mulieris reſectus, deſcribitur in diſſertatione, ſub Præſ. Parentis Ann. MDCXCIII. habita, qua hiſtoria & cura ſarcomatis monſtroſi & cancroſi exhibetur. Præter hos tumores ex labiis protuberantes, ex ipſo pudoris ſinu externo, clitoris atque nymphæ intumeſcentes & elongatæ exteriora verſus propendent, adeo, ut interdum ſectione removeri debeant. Omnes tamen hactenus enumerati tumores cum noſtro ſarcomate nihil commune habent, utpote quod non e pudendo externo ſed ex ipſa vagina in lucem prodiit.

## Thes. III.

*E vagina propullulantes.* Evaginæ uteri cavitate egreſſi tumores tamen non unius ejuſdemque generis ſunt, ſed admodum diverſi, quamvis veteribus nomine prolapſus uteri veniant. *Vaginæ ipſius inverſæ prolapſus.* Vagina ipſa uteri, uti eſt canalis oblongus, a ſinu pudoris ad orificium uteri internum uſque, inteſtini tenuis inſtar, expanſus, ita illa æque, ac inteſtinum rectum, inverſione duplicata pudendum non raro egreditur, & tumores inſignes exterius propendentes efformat. Firmiter quidem illa connectitur anterius collo veſicæ urinariæ, poſterius inteſtino recto ac ſuperius orificio uteri interno, ut iſta vix loco moveri poſſe videatur; nihilo tamen ſecius, utut longitudo ejus naturalis non excedat ſex vel ſeptem digitos transverſos ſine diſtractione, fibræ tamen illius relaxatæ adeo elongari poſſunt, ut illa prolapſa quandoque ad genua uſque propendeat. Facit huc præprimis ſubſtantia ipſius membranoſa & muſculoſa, ac inferius rugoſa, ob quam tantæ diſtenſionis, tum in latitudine, pro tranſmittendo fetu in partu, tum in longitudine, in prolapſu, apta eſt. Sed nunc oritur quæſtio, utrum uterus, vaginæ juxta orificium firmiſſime connexus, ſemper & neceſſario ſimul extrahatur, an vero prolapſus vaginæ fieri queat, utero in loco ſuo naturali permanente? De prolapſu uteri ipſius, tantopere controverſo, in ſequenti Theſi diſpiciemus, nunc ſaltem quæritur: utrum ſemper una cum vagina excidente e corpore extrahatur? Monendum autem ante omnia, diſtingui debere prolapſum verum vaginæ a tumoribus præternaturalibus, in vagina e tunica interiori vel rugis ipſis intumeſcentibus enatis, qui non raro inſpicientibus impoſuerunt, ut illos prolapſum uteri ipſius crediderint, de quibus in ſubſequentibus pluribus agemus. Præterea non ſemper tota vagina invertitur ac prolabitur, ſed tantum portio ejuſdem ſive inferior, ſive etiam in uno tantum latere, quo caſu non abſolute neceſſarium eſſe judico, ut uterus ſimul exeat. Ubi vero tota vagina invertitur & ad exteriora elabitur, fieri certe non poteſt, quam ut collum uteri, huic firmiſſime alligatum ad inferiora rapiatur, fundus vero libere in pelvi fluctuans, tanquam pars magis mobilis, ſequatur. Neque tamen ſemper uterum ſimul extra pudendum egredi, niſi prolapſus nimis enormis ſit, ſed, vagina licet prolapſa, intra pubem ſubſiſtere, ſuadet non tantum ratio, ſed & exemplum feminæ *a Pechlino L. I. Obſ. XX. adductum*, quæ vehementi & vaſta vaginæ procidentia laborans, remedium optimum in graviditate invenit, cum qua ipſa lente tumor retractus fuit,

fuit, mox iterum ad partum rediturus. Idque tanto magis contingit, quando obſtaclum quoddam egreſſum uteri impedit, uti teſtatur caſus *in diſſertat. de graviditate apparente* a me expoſitus, ubi tumor ovarii enormis impedimento fuit, quo minus uterus a vagina prolapſa intra pubem protractus, longius egredi poſſet, uti ſufficienter teſtabatur orificii interni intumeſcentia collique elongatio, tractione vaginæ ac reſiſtentia tumoris ovarii inducta. Obſervatur quidem in apice tumoris vaginæ prolapſæ hiatus, qui tamen non ſemper eſt orificium uteri internum, ſed ſinus ab ipſa vagina inverſa, duplicato egrediente, efformatus. Nec longitudo tumoris evincit, uterum neceſſario ſimul elapſum eſſe, quia vaginæ ſubſtantia fibroſa & rugoſa, tenſione ac ab humoribus intus ſtagnantibus relaxata, inſigniter extendi poteſt, uti apparet ex inteſtini recti prolapſu, quod, teſtantibus obſervationibus Auctorum, aliquot ſphitamarum, ad ulnæ longitudinem egreditur, cum tamen tantam longitudinem non habeat in corpore, multo minus ubi iſtud in egreſſu duplicatur.

## Thes. IV.

*Uterus ipſe an eo uſque prolabi poſſit, ut pudendum egrediatur?*

Quamvis itaque abſolutæ neceſſitatis non ſit, ut uterus una cum vagina elapſa extra abdomen ſemper excidat, ac præterea inficiendum non ſit, ipſam vaginam inverſam & tumidam, aut tumores præternaturales in eadem natos, uti inferius videbimus, quandoque feminis, obſtetricibus, imo Medicis ipſis impoſuiſſe, ut uterum ipſum elapſum eſſe crediderint; neutiquam tamen propterea ſtatuendum, uterum plane non poſſe prolabi, uti fecerunt *Kerckringius*, *Roonhuſius*, *Meckeranus*, aliique, qui ſingularibus quibuſdam obſervationibus adducti, prolapſum uteri verum dari, negant, omnesque rident, qui uterum unquam extra corpus prolapſum eſſe ſibi perſuadeant. Hoc quidem veroſimile eſt, non omnes uteri procidentias, ab antiquis atque recentioribus Medicis obſervatas, tales fuiſſe. Fabulis etiam merito annumerandum eſſe judicat *a Meckeren in Obſerv. Anat. Med.* quæ de uteri exſtirpatione agentes, *Avenſoar L. 2. C. 2. Anton. Beniven. de Abdit. Morbor. Cauſ. C. 11. Wierius*, *Zacut. Luſitan. Felix Plater. aliique* retulerunt, mulieres nempe, quibus uterus corruptus abſciſſus, non ſolum ſuperſtites manſiſſe, ſed & liberos procreaſſe. At ſi quis ideo cum prædictis Auctoribus omnem proptoſin uteri, a ſcriptoribus fide dignis annotatam, falſam, fictitiam & imaginariam dicere vellet, injurius certe in hos foret. Inſtructus omnino eſt uterus ligamentis ſat validis, duplicis generis, nimirum teretibus atque latis, quibus idem ſuſtentatur ac firmatur, ut tanto oneri, graviditatis tempore geſtando, ſufficere queat. Præſtant id inprimis ligamenta lata, quæ inter pelvis latera atque uterum vaginamque interjecta, a reliqua parte, tubam inter atque teſtem intercedente, ob ſimilitudinem alæ veſpertilionum vocata, probe diſtinguenda eſſe, accurate monet *Clariſſ. Morgagn. Adverſ. Anat. IV. Animad. XXVII. p.* 49. utpote quæ pelvis lateribus firmiter commiſſa, ligamenti uteri lati & officium & nomen ſervare debent, cum alæ veſper-

ſpertilionum tubæ potius ligamenta appellandæ ſint. Sed quis propterea cum *Kerckringio* uterum ſemper immobiliter loco ſuo conſiſtentem pronunciare vellet. Recte igitur *Pechlin l. c. Jam ſi quis retinentium ligamentorum vim impedire credat, quo minus uterus prolabi poſſit, ſciat oportet, eandem quoque cauſam in vaginæ lapſu adduci poſſe. Quid enim? Annon ſuis perinde ligamentis, uſque ſatis firmis, vagina nectitur oſſibusque incuneatur? At vero, annon ligamentis ille ſolutioribus adnectitur? Annon mobile etiam eſt ipſum uteri corpus, & ad lapſum proclivius, inprimis ſi vis accedat, qua incondita obſtetrices per parturientium viſcera graſſantur? Ego ſane, quoties faciem naturalium, uteri & vaginæ attentius rimor, non video, quid prohibeat, quo minus uterus deſcendere ex parte vel totus poſſit.*

## THES. V.

*Uteri prolapſus verus exemplis ſingularibus confirmatur.*

Quandoquidem autem experientia una rite inſtituta plus valet, quam mille rationes, & ſupra dicti viri obſervationibus ſuis, utut ſingularibus, confiſi & nixi, omnem fidem hac in re veteribus ſcriptoribus denegarunt, non immerito recentiores ſectionibus in ejuſmodi ſubjectis, prolapſu laborantibus, poſt mortem inſtitutis, curioſius eam in rem inquiſiverunt, pluribuſque exemplis demonſtrarunt, uterum non tantum extra corpus cum vagina inverſa prolabi poſſe, ſed etiam re ipſa elapſum in cadaveribus inventum fuiſſe. Non memorabo nunc *Diemerbrockium*, *Regnerum de Graaf*, *Corn. Stalpart. van der Wiel*, *Peyerum* alioſque, qui ſtatim ſe iſti opinioni oppoſuerunt, atque exemplis, tum ab aliis, tum ab ipſis obſervatis, procidentiam ipſius uteri demonſtrarunt. Adducam ſaltem unam vel alteram Auctorum recentiſſimorum, adhuc viventium, obſervationem, quibus non tantum uteri prolapſus, ſed etiam totalis ſimul ejus inverſio confirmatur. Inſtar omnium eſſe poſſunt caſus, a *Celeberrimo Ruyſchio in Obſerv. Anat. Chirurg. VII. IX. X.* conſignati, utpote qui omnem animo noſtro ſcrupulum eximere poſſunt. Rariſſima inprimis eſt *Obſervatio I.* qua refert, e tumore uteri prolapſi quadraginta & duos calculos in octogenaria ſectione extractos eſſe, qui ſedem ſuam in portione aliqua veſicæ urinariæ ſimul prolapſæ habuerunt. Ibidem quoque *Obſerv. XXIV. XXV.* mentionem facit lateralis tantum uteri portionis, itemque orificii ipſius interni in partu prolapſus, a ſe obſervati. Contingit præterea, uti *Idem X. & XXVI.* annotat & fig. 12. delineat, ut uterus in aut mox poſt partum totaliter invertatur, cui malo obſtetrices imperitæ, funiculum umbilicalem fortius extrahendo, occaſionem præbent, quandoque tamen illud a conatibus poſt partum remanentibus ortum duci. Plura hujus inverſionis uteri totalis in partu exempla videre licet in *Stalpart van der Wiel Obſerv. Rarior. Cent. I. Obſ. LXVII.* Hoc tamen extra partum, a tumoribus intus in cavitate uteri natis oriri poſſe, novo eoque ſingulari exemplo probavit *Clariſſ. von Sanden*, *Obſervatione de prolapſu uteri inverſi ab excreſcentia carneo fungoſa, in fundo ejus interno, ex potu crepitus lupi enata*, communi-

cata. Sectio enim poſt mortem inſtituta monſtravit, tumorem e pudendo iſtius feminæ propendentem ipſum uterum, ab excreſcentia e fundo ejus latiori radice enata, ac ſucceſſive creſcente, ob ſpatii defectum per orificium exitum quærente, tandemque foras erumpente, inverſum & extra corpus extractum fuiſſe, uti ex Fig. II. ibidem appoſita clare ad oculum patet.

## Thes. VI.

*Tumores alii e vagina enati, uteri procidentiam mentientes.*

Sed nunc annotandum eſt, ex ipſa vaginæ ſuperficie interna oriri excreſcentias tales carneo fungoſas & ſcirrhoſas, quæ in tantam molem auctæ, ut ſpatium interius non inveniant, e pudendo prorumpunt, uterumque prolapſum mentiuntur. Ejuſmodi fungos in vagina adhuc abſconditos, ovi gallinacei ac pugni magnitudine ex illa exſectos memorat *Tulpius Obſerv. Med. L. III. Cap. XXXIII. & XXXIV.* Fungum pariter cancroſum ex interiori matricis colli parte ligatura ſeparatum recenſet *Stalpart. van der Wiel l. c. Obſ. LXXXVII.* Excreſcentiam cancroſam, duorum pugnorum magnitudine extra ſinum pudoris propendentem, & ab ipſo aliisque Medicis & Chirurgis pro utero inverſo & prolapſo habitam, deſcribit etiam *Segerus Obſ.* 121. *Miſc. Cur. A.* 1671. quæ tamen, uti ſectio, poſt obitum feminæ inſtituta monſtravit, nihil aliud fuit, quam excreſcentia fungoſa, ex uteri collo, & hujus antica parte, prope veſicæ orificium, enata. Ita etiam *Jobus a Meckeren in Obſerv. Anat. Medicis* pro confirmanda ſua ſententia, qua, uti ſupra vidimus, uterum omnino elabi poſſe negat ac pernegat, præter aliorum obſervationes, refert integram hiſtoriam ſarcomatis inſignis magnitudinis, gangræna jam correpti, prævia ligatura colli anguſtioris reſecti. Complures Medici atque Chirurgi præſentes illud uterum prolapſum crediderunt. Muliere autem paulo poſt denata, ſectio cadaveris patefecit, non uterum ipſum prolapſum & abſciſſum fuiſſe, utpote qui bene conſtitutus in loco naturali inventus eſt, ligamentum vero intus relictum monſtravit, tumorem ablatum nil aliud, quam tunicæ rugoſæ, vaginam præter alia conſtituentis, portionem, laxitatis nimiæ culpa, extra pudendum elapſam fuiſſe. Hæ ſimilesque hiſtoriæ ſatis ſuperque evincunt, excreſcentias tales carneo fungoſas, e pudendo propendentes, haud raro impoſuiſſe non tantum feminis, ſed ipſis quoque Medicis atque Chirurgis, ut tales uterum prolapſum eſſe, ſibi perſuaſerint.

## Thes. VII.

*Uterus prolapſus an ſalva vita reſecari poſſit?*

Filo in præſenti ducimur ad quæſtionem illam, quid de reſectione uteri prolapſi, ab Auctoribus adeo frequenter commemorata, ſentiendum ſit? Integrum Catalogum Scriptorum recenſet *Meckeren loc. cit.* qui uterum ſalva vita non tantum auferri poſſe, ſed etiam ablatum eſſe, memoriæ prodiderunt. Hos inter *Plempius Anat. Cabrol. c.* 34. ſcripſit, uterum prolapſum incuria quadam putrefactum exſtirpari ſine incommodo, ſic, ut eo ablato etiam concipere

cipere queat mulier, *Fernelius* vidiſſe ſe refert parturientem quandam, cui uterus cum fetu incluſo, ſine ullo vitæ diſpendio ablatus ſit. *Plinius & Soranus* uterum muliebrem auferri ſine vitæ periculo poſſe, exemplo porcorum, probare nituntur, & *Laurent L. VII. de part Gener. C. II.* omnia bona promiſit mulieri, cui uterus ablatus ſit, uti videre eſt in *Bonet. Sepulcr. L. III. Sect. XXXII. Addit. obſ. VI. p.* 41. Ibidem etiam *Obſ. I. ex Jo. Georg Volckameri* relatione recenſetur hiſtoria uteri procidentis ex virgine reſecti, cui antea jam teſtes, per hymenem propendentes, ablati fuere, *eodem* obſervante *in Miſcell. Curioſ. A. II. Obſ. CCXXVI. p.* 328. Nullum tamen hic ſuppeditavit ſignum certum, unde judicari poſſit, tubercula ablata re ipſa fuiſſe ovaria atque uterum, niſi quod dicat, priora calidæ aquæ injecta, teſticulos vaſis ſuis annexos præſentaſſe, ultimum vero formam uteri nondum defloratæ retuliſſe, ſed cavitate deſtitutum fuiſſe. Majoris momenti videtur eſſe obſervatio *Paræi de Hom. gener. L. XIV.* qua docet, mulieri tumorem corruptum e pudendo fruſtatim extractum fuiſſe, quod ipſi & quatuor Medicis præſentibus corpus uteri viſum fuit, cujus rei fidem fecit non tantum unus ex teſticulis poſtea, ipſo referente, extractus, ſed etiam ſectio feminæ poſt trimeſtre pleuritide extinctæ, quia nuſquam comparuit uterus, ſed ejus loco calloſum quoddam corpus, quod natura, uti ille loquitur, quæ nunquam in nobis otiatur, jacturam ejus partis quaſi reparatura, vel lacunam potius alvi repletura, ſubſtituerat. Annon vero corpus iſtud calloſum fuerit ipſe uterus, ab abſceſſu diuturno in genitalibus exiſtente deformatus, ſub judice lis eſt. Verbo: Pleræque hiſtoriæ de uteri exſecto apud Auctores occurrentes ita ſunt comparatæ, ut dubium ſit, an uterus, aut ejus loco excreſcentia quædam fungoſa & carnea abſciſſa fuerit. Unicum tamen exemplum in fine tractatus ſupra laudati *Sandenii*, ex proluſione, *diſſertationi Inaugurali de femina gravida, lapſu vaginæ uteri laborante* ab ejus Præſide, *D. Joh. Hadriano Slevogtio* præmiſſa, adjectum confirmat, impoſſibile non eſſe, ut uterus prolapſus & corruptus ſalva vita reſecari poſſit. Ipſe enim teſtatur, ſe in maſſa, a pudendo muliebri reſecta, quinque libras pendente, præter opinionem, ipſiſſimum os uteri, cruore viſcido obturatum, reliquumque hujus corpus, cum fundo integro & reliquiis tubarum, quaſi in theca coriacea, prope injectum vinculum, abſciſſa, reconditum offendiſſe. Imo ut ea clarius dignoſci poſſent, uterum ab orificio ad fundum, ſecundum longitudinem aperuit, & cavitatem ejus ac craſſitiem, ſtatui naturali prorſus ſimilem, detexit, tubiſque ſetas nigras inſeruit, atque ſic Excellentiſſimis Academiæ Jenenſis Profeſſoribus, pleriſque Urbis iſtius Doctoribus Medicis Practicis, atque centum ſtudioſis demonſtravit, ut adeo de eo nullus dubitandi locus ſuperſit.

## Thes VIII.

His itaque ad illuſtrationem noſtri caſus præmiſſis, accedendum tandem eſt ad ſarcoma in præſenti a nobis luci expoſitum, ut pateat, quæ ſit ejus natura

*Sarcoma noſtrum an uterum*

*ſimul exſectum contineat?*

natura atque origo, & ad quodnam genus tumorum in pudendo natorum, hactenus enumeratorum, idem ſit referendum. Optimam quidem huic rei lucem accendet aliquando feminæ hujus obitus & corporis defunctæ apertio, qua locus, unde reſectio facta, detegi poterit; vitam tamen & ſanitatem, qua hactenus utitur, ipſi nullatenus invidentes, interea periculum faciemus, quid quantumque in negotio hoc admodum obſcuro, conſiderando circumſtantias antecedentes, concomitantes & conſequentes, præſtare liceat. Equidem ex præcedente theſi conſtat, uterum prolapſum aliquando, utut forte rariſſime, ſalva vita reſectum fuiſſe. Tumor præterea in noſtra, poſt abſciſſionem portionis ejuſdem prominentis a muliere peractam, uno impetu inter conatus, parturientium ſimiles, foras prorumpens, magnam ſuſpicionem excitavit, uterum per aperturam, ſectione hac in vagina factam, ſimul excidiſſe. Repletio & occluſio ſinus pudoris, a vagina ad inferiora tracta, ob quam digitis, circa tumoris collum ductis, intra pudendum nullibi penetrare licebat, ſuſpicionem illam auxit. Corpus tandem muſculoſum, in ſarcomate ablato apparens, ac figura externa pariter ac ſtructura interna carnoſa, cum intermixtis orificiis numeroſiſſimis vaſorum ſanguiferorum, uteri ſpeciem præ ſe ferens, ſententiam iſtam penitus confirmare viſa eſt. Quoniam tamen nec intus cavitatem in hoc corpore invenire, nec intus quicquam de ovariis & oviductibus ligamentiſque detegere licuit, illud uterum, ſectione ex muliere ſublatum ego non dixerim. Retractio enim totalis vaginæ ad interiora, ac fluxus menſium poſt illud tempus naturalis & regularis inſecutus, ſatis ſuperque edocent, uterum in corpore remanſiſſe, & originem hujus tumoris aliunde derivandam eſſe.

## Thes. IX.

*Quale illud ſit? & ad quodnam genus tumorum enumeratorum referendum?*

Rebus ſic ſtantibus, aliud judicium de noſtro ſarcomate ferre non poſſumus, quam quod illud ſit excreſcentia quædam carnoſa & ſcirrhoſa ex vaginæ ipſius ſubſtantia, parteque ſuperiori, utero proxima, enata. Idque penitus ſuadet pars illa mollior rugoſa & loboſa, corpus muſculoſum ſuſtinens, quam vaginæ portionem eſſe, inſpectio docet. Saltem corpus illud muſculoſum, figuram & texturam internam uteri exhibens, difficultatem creat, unde illud originem trahat. Notum autem eſt, vaginæ uteri ſubſtantiam intus quidem membranoſam, nerveam atque papillarem eſſe, rugaſque copioſas inſtar rugarum inteſtini jejuni, exhibere, ac ubivis lacunas, uti circa urethram & uteri præprimis cervicem, ita per totam ſuperficiem monſtrare, quæ cum glandulis ſubſtratis communicantes liquidum mucoſum ſecernunt. Exterius vero muſculoſus contextus vaginam ambit, ac copioſiſſimis vaſorum cum utero partibuſque adjacentibus communibus ramificationibus, multiplici anaſtomoſi inter ſe junctis, ac ſubſtantiam vaginæ perreptantibus, gaudet. Quid itaque mirum in textura

iſta

iſta muſculoſa glandulis atque vaſculis intertexta, ab humoribus impuris ac viſcidis, intus ſtagnantibus, obſtructiones & indurationes harum partium fieri, unde omnia ſarcomata, aut excreſcentiæ carneo fungoſæ, & ſcirrhi, aut quocumque demum nomine veniant, tumores oriuntur. Faciunt huc injuriæ variæ, quibus vagina, æque ac uterus ipſe, ante, in, & poſt partum obnoxia eſt, fluxus menſium & lochiorum inordinatus, retentus, aut inconvenienter ſuppreſſus, vel etiam nimius. Humores quippe largius ad genitalia confluentes, atque tranſitum aut egreſſum per tubulos obſtructos non invenientes, inter plexus vaſorum atque glandularum reſtagnant, ſenſim inſpiſſantur, partes circumjacentes diſtendunt, atque ita excreſcentias illas, fungorum more protuberantes, efformant.

## Thes. X.

*Cauſæ antecedentes ponderantur.*

Præceſſerunt autem in noſtra partus iterati, ſubinde laborioſi, quibus vagina cum utero valde extenſa, tonuſque ejus maxime relaxatus fuit. Femina egeſtate coacta, nec tempore graviditatis, nec poſt partum diætam convenientem obſervavit, in nulla re ſibi pepercit, labores duriſſimos ſuſcepit, pondera geſtavit, mox a partu e lecto ſurrexit, corpus aeri frigido expoſuit, fluxuſque lochiorum nullam curam habuit. Quæ autem & quanta mala inde in gravidas atque puerperas redundare ſoleant, notius eſt, quam ut a me hic exponi opus habeat. Inſecuta poſt illud tempus hæmorragia diuturna atque enormis ſufficienter teſtatur de uteri partiumque connexarum gravi læſione, ſanguiniſque in iiſdem circuitu difficili atque ſtagnatione, unde tanto impetu tantaque quantitate idem per vias genitales erupit. Fluxum hunc illa neglexit, ac præter domeſtica remedia, nihil eidem oppoſuit, potius motu inconvenienti, elevatione ponderum, refrigeratione, aliiſque diætæ erroribus illum auxit. Nec ullum eſt dubium, illam ad hæmorrhagiam coërcendam & reſtinguendam, inter remedia domeſtica adſtringentibus & ſtypticis uſam eſſe, pro more vulgi, qui ad talia, tanquam ſacram anchoram, confugere ſolet. Neminem vero latet, quot & quanta ex intempeſtive ſuppreſſa hæmorrhagia mala oriantur. Per ejuſmodi enim auſtera, conſtringentia ac ſtyptica medicamenta ſanguis & alii humores intra vaſa diſtenta ſtagnantes ſubito coagulantur & inſpiſſantur, unde in aliis inflammationes, abſceſſus & exulcerationes, in aliis tumores duri ac ſcirrheſcentiæ partium internarum haud raro originem trahunt. Ipſa ſarcomata & excreſcentias carneo fungoſas in partibus genitalibus ortum inde repetere, probat exemplum *Sandenii* ſupra memoratum. Femina illa infuſo crepitus lupi, contra abortus frequentes & hæmorrhagias uteri uſurpato, excreſcentiæ iſti carneo fungoſæ, in uteri cavitate ex ejus fundo enatæ, occaſionem dedit, a qua uterus inverſus foras propulſus fuit, & inſecuta exulceratio & ſphacelatio febriſque conjuncta vitæ finem fecit.

Thes. XI.

## Thes. XI.

*Circumſtantiæ ſingulares caſus noſtri conſiderantur.*

Ad noſtrum ut revertamur caſum, notatu digniſſima imprimis in eo eſt circumſtantia, in hiſtoria annotata, tumorem hunc prius e vagina exitum non inveniſſe, quam reſecta prius a femina parte ejus protuberante. Hoc ipſo quippe idem quodammodo detumuit, viamque faciliorem prorumpendi invenit. Hoc vero mirum, ne minimam inde ſecutam fuiſſe hæmorrhagiam, quod tamen nulli alii rei, quam ſcirrheſcentiæ & ſphacelationi tumoris relatum ferri debet. Hæmorrhagiam vero a ſectione metuendam impedivit ligatura injecta, utut hac forte opus non fuiſſet, quia collum tumoris albicans & quaſi tendineum nulla inſigniora vaſa monſtravit, ac vix gutta una ſanguinis ex eodem ſtillavit. A reſectione etiam ſarcomatis, quod, præſente & dirigente *Slegvotio*, e femina ſublatum eſſe, ipſumque uterum ſimul abſciſſum, illo teſte, comprehendiſſe, ſupra notavimus, nulla hæmorrhagia ſecuta eſt, quamvis pars ligata, ſimul ac a pondere trahente liberata fuit vinculo, quo collum ejus ante ſectionem valide ligaverat Chirurgus, ſtatim ſe ſubtraxerit & ad interiora reſiliverit, non ſine terrore chirurgi, hæmorrhagiam ægre reſtinguendam metuentis, cum tamen vix duæ unciæ cruoris effluxerint, mox ſero tenui eum excipiente. Ligamentum iſtud in noſtra femina omnium ſubſequentium ſymptomatum, tractionis & preſſionis in abdomine, tumoris œdematoſi, hæmorrhagiarum uteri, aliorumque incommodorum cauſa exſtitit, quia, illo lenta ſuppuratione poſt dimidium demum annum ſeparato, omnia illa accidentia ſtatim evanuerunt. Nihilo tamen ſecius ſecuritatis gratia ligatura merito applicata fuit, ac in caſibus ſimilibus non facile negligi debet. Caute tamen cum iſta procedendum eſſe; docet caſus *Segeri* ſupra relatus, ubi in excreſcentia tali fungoſa, ſtatim a ligatura graviſſima ſymptomata ſecuta ſunt, quæ vero vinculo ſublato ceſſarunt. Cavendum etiam ſedulo, ne partes adjacentes vinculo comprehendantur, quod contigiſſe refert celebratus *Ruyſchius Obſ. VII.* in femina, in qua chirurgus, uterum prolapſum & corruptum exſtirpaturus, meatum urinarium ſimul ligavit, unde ægra, ſuppreſſione urinæ totali correpta, occubuit.

## Thes. XII.


*Concluſio.*

Ex præſenti tractatione, obſervationibuſque in ea recenſitis, ni fallor, pateſcit, in ſimilibus caſibus nihil quidem temere agendum, in ſtatu vero dubio atque ancipiti interdum aliquid cum prudentia tentandum eſſe. Quilibet enim videt, feminam hanc e præſentaneo vitæ periculo, ob ſphacelationem tumoris propendentis, mortiſque e faucibus per operationem inſtitutam ereptam fuiſſe. De hoc tamen plura ut addam, opus non eſſe judico.

FINIS.

EXPLI-

Tab. XXV




*Diſp. Chirurg. Tom. III.* VATER DE SARCOMATE UTERINO *pag. 632.*



# EXPLICATIO FIGURÆ

*Repræſentatur hac Figura Sarcoma inſigne, ex vagina uteri, præmiſſa ligatura, reſectum.*

A. Totum Sarcoma, a parte poſtica viſum.
B. Collum tenuius, duorum digitorum tranſverſorum craſſum, ubi reſectio facta.
C. Corpus rotundum muſculoſum, e tumore prominens, uteri inverſi, ut fundus inferius, collum ſuperius ſitum videatur, figuram quodammodo referens.
D. Sectio per medium ejus facta, ut interior ſubſtantia, quæ tota ex fibris carnoſis orbicularibus, cum intermixtis copioſis vaſorum ſanguiferorum diſſectorum orificiis, componitur, oculis exponatur.
E. Pars reliqua Sarcomatis mollior, ac quaſi loboſa, vaginæ uterinæ ſubſtantiam referens, corpus muſculoſum ſuſtinens.
F. Sinus inter corpus muſculoſum & reliquam Sarcomatis partem.
G. Sulcus in corpore muſculoſo obvius.

# JO. FRID. CRELLII

## PROGRAMMA

## DE

## TUMORE FUNDO UTERI EXTERNE ADHÆRENTE

Wittembergæ die 5. Junii an. 1739.

IN omni morborum, quibus corpora feminarum afficiuntur, curatione, altero ſemper oculo ad uterum, & ſymptomata, quæ a ſtatu illius præternaturali pendent, reſpiciendum eſſe, majoribus noſtris jamdum perſpectum eſt, & attenta quemvis, in opere faciundo occupatum, docet obſervatio. Etſi enim aliis ſæpe de cauſis, quæ illis cum viris communes ſunt, morbi apud mulieres generentur, atque in aliis præter uterum viſceribus fomes mali quærendus ſit, atque adeo generalius, quam par erat, conceptum videatur axioma illud *Hipocratis*, dum ſub initium L. II. de morbis mulierum ſcribit, Αἱ ὑςέραι πάντων τῶν νουσημάτων ἀιτιαί εἰσιν, illud tamen omnino negari nequit, in omni graviori illarum morbo talia ſubinde occurrere ſymptomata, quæ functionum utero propriarum perturbationem indicent, totumque morbi typum immutare, & in ancipitem deducere ſtatum valeant. Quo majori enim beneficio ſolennis illis ſanguinis per uterum evacuatio conceſſa eſt, qua æquilibrium inter fluida & canales illa continentes conſervatur, ac nimia humorum cumulatio, ad quam corpora illarum præ virilibus diſpoſita ſunt, impeditur, eo graviora ſane damna metuenda ſunt, quoties ſalutare illud negotium perturbatur, & ruentibus ex ipſarum partium diſpoſitione ad hæc loca humoribus quacunque de cauſa exitus denegatur. Siquidem non circa uterum ſolum & partes mulieribus proprias, generationi dicatas, plurima inde percipiuntur incommoda, ſed ſanguis vi intra vaſa coercitus, ad alias corporis partes delatus, tanto perículoſiora ibi mala concitabit, quo nobilior pars illa, quæ vehementiorem ejus impetum ſuſtinere cogitur, ſicque graviſſimi morbi in omni fere corporis parte occurentes ſanguinis menſtrui retentionem preſſo pedu ſequi deprehenduntur: uti hanc ſymptomatum conſecutionem celeb. *Jo. Friend* in eleganti ſua Emmenologia ex inſtituto declaravit. Neque minus obſcurum eſſe poteſt, alio morbo prægreſſo, in quo ſanguinis, & reliquorum humorum naturalis conſtitutio depravatur, ut vel juſto ſpiſſiores evadant, vel ex blandis in acres degenerent, uterum pariter

graviſſime

graviſſime ab illis lædi, dum vel ad excretionem & tranſitum per vaſa ejus tortuoſa ineptus ſanguis in illo ſtagnat, vel nimio in vaſa impetu intempeſtivum atque immodicum excitat profluvium. Uti vero funeſta ſæpius in morbis acutis cataſtrophe inde contingit, ita tanto certius de morbis chronicis, qui ab intimiori humorum corruptione dependent, imiſque in viſceribus fixam conſtituunt ſedem, aſſeverare poſſumus, quod in illis uterus cum reliquis organis genitalibus a labe communi diu immunis eſſe nequeat. Quo copioſioribus enim vaſis inſtructa ſunt, quo magis in naturali etiam ſtatu humores ad illa derivantur, quo lentior per varios anfractus, inflexoſve vaſorum mæandros circuitus, eo promptior fiet pravorum ad hanc communem veluti ſentinam humorum decubitus, vitiumque, quod in fluido antea ſolum hærebat, cum ipſis tandem partibus ſolidis communicabitur. Corpora talia, ſilenta morborum vi tandem deſtructa, cultro anatomico inciſa, ſæpe miram partium feminis propriarum corruptionem, variaque in illis ſtructuræ morboſæ vitia exhibere, frequentes medicorum teſtantur obſervationes, multo adhuc copioſiores futuræ, niſi vana ſuperſtitum in defunctas pietas accuratius interiorum ſcrutinium plerumque invideret. Quoties ovaria, fundo uteri mediantibus ligamentis latis connexa, in tumores ingentes elevata deprehenduntur, ut viventibus adhuc ægris uterum gravidum mentiantur, aperto vero cadavere congeriem hydatidum communi membrana incluſarum exhibeant? Quales caſus, ut alios taceam, *B. Polyc. Gottlieb Schacherus*, Ordinis dum viveret Medici in Academia Lipſienſi Decanus, Præceptor poſt fata etiam venerandus, Diſſertatione de virgine aſcitica poſt paracentheſin purpura maligna extincta, & Excellentiſſ. *Abraham Vaterus*, Patronus atque Collega ætatem ſuſpiciendus, Diſſertatione de gravidaitte apparente, e tumore ovarii enormi orta litteris conſignarunt, aërique incidi curaverunt. Quoties eadem ovaria ſcirrhoſa, atque paucioribus veſiculis in illorum ſuperficie prominentibus inſignia annotata ſunt? Quoties tubæ fallopianæ interius coalitæ, aut cum ovariis ſtrictiori nexu vinculis præter naturam concreſcentes deprehenſæ ſunt? qualem obſervationem ſingularibus circumſtantiis notabilem alio forte tempore fuſius delineabo. Ipſe uterus, compactioris utpote ſubſtantiæ, adeo facile ſtagnantibus humoribus receptaculum non concedit, ſed ope carnearum fibrarum validius illos per canales urget, interdum tamen, nimia illorum viſciditate robur horum ſuperante, ſcirrhoſus redditur, vaſiſque nimis ampliatis varii generis tumores exhibet; qualem uterum, excreſcentia in ſuperficie fundi externa prominente conſpicuum, ante aliquot annos Lipſiæ e cadavere feminæ cachecticæ exemtum, inter præparata aſſervo; cujus hiſtoriam paulo pleniorem exhibere non ingratum harum obſervationum curioſis fore confido. Femina triginta circiter annorum, nunquam Lucinam juſtoſque paſſa hymæneos, ſanguinem menſtruum per aliquot periodos ſubſtitiſſe adverterat, poſt uſum vero variorum remediorum a medicaſtro quopiam commendatorum, ſine omni levamine adhibitorum,

 dolo-

doloribus arthriticis per omnes artus vagantibus corripiebatur, quos feminis, conſueta purgatione carentibus, metuendos eſſe dudum monuit *Hippocrates*; hos tumor in altero pede circa talum durus, ſplendens, ſummiſque cruciatibus miſeram dies noctesque exagitans, exceperat, variis remediis diſcutientibus pariter atque emollientibus fruſtra tentatus, unde tandem toto emaciata corpore in tumorem pedum œdematoſum cum incipiente hydrope aſcite incidit. Ultimis miſeræ vitæ ſeptimanis, præter alia de dolore quodam obſcuro diſtendente, in interioribus circa regionem pubis moleſto, anguſto ſatis ſpatio circumſcripto, conqueſta eſt; quem ab aquis in abdomine contentis, quarum nondum adeo magna quantitas ibidem collecta erat, vix derivare licebat, neque tamen alia cauſa aut propria mali ſedes patebat, donec eam ſectio poſt fata illius conceſſa detexit. Aperto abdomine, aquæ menſuris aliquot evacuatis, circa reliqua quidem viſcera nullum inſigne vitium, quod cauſæ aut effectus etiam morbi titulum mereretur, occurrebat, quare ad organa generationis oculos convertimus: detecta pelvi, uterum colore albicante: ſubſtantia firma denſaque, quæ tamen nondum ſcirrhoſa dici poterat, magnitudine, qualem in virginibus ordinarie obſervamus, mediocri gaudentem conſpeximus, neque in ovariis aut tubis aliquid, quod a naturali ſtatu abhorreret, deteximus. Tanto majorem vero excitabat adſtantium attentionem, corpus globoſum, coloris itidem albicantis, ſupra ipſum uteri corpus eminens, cum illud a morbo productum eſſe omnes intelligerent. Scilicet in latere dextro, e fundo uteri, pollicis circiter ab ejus ſummitate diſtantia, excreverat corpus, mori fructus magnitudine, capitulum fere pulli figura referens, verſus poſteriora tumens, in vertice faſtigiatum, ad latera compreſſum, & anterius in roſtrum extenuatum, tenui pedunculo veluti collo ſuſtentatum. Seperata circa hunc tumorem membrana uterum cingente, eodem illum involucro ſimul obtegi, radices vero profundius in ipſam uteri ſubſtantiam penetrare vidimus. Tactu durior erat, neque foveam digito impreſſam retinebat, nec fluidi intus contenti indicium præbebat, diſciſſus interius texturam irregularem referebat. Aperto ipſius uteri corpore, circa cervicem extra ſulcos ejus aliquot veſiculæ eminebant, humore ſeroſo turgidæ, quas quondam *Martinus Naboth*, Medicus Lipſienſis in Diſſertatione de ſterilitate mulierum pro ovulis venditavit, novum ovarium in cervice uteri ſtabiliturus, etſi tales veſiculæ nunquam fere niſi in gravidis, aut hydropicis ſubjectis, in quibus lympha præter ſolitum in utero cumulari ſolet, in conſpectum veniant. Si aliorum obſervationes evolvimus, nonnullæ quidem ſub titulo tumorum uteri hinc inde occurrunt, a noſtro tamen penitus diverſorum; quorſum illam *Salomonis Reiſelii* de tumore uteri glanduloſo adnato externo, in Ephemer. Acad. *N. C.* Decur. II. A. VII. obſ. 9. p. 15. aliamque *Joannis Theodori Moeren*, de rara uteri virginei excreſcentia, ad 60. libras accedente, in iisdem Ephem. Dec. III. A. VII. Obſ. 100. p. 167. referimus, quarum phænomena accuratius examinata, non tam ipſius uteri, quam ovarii tumores fuiſſe ſatis manifeſte declarant; certe admodum ſimiles illi, quem ante biennium

Excel-

Excellentiſſimus *Vaterus* Noſter in femina provectioris ætatis in Theatro noſtro Anatomico demonſtravit, in qua alterum ovarium, tunicæ ſuæ craſſitie inſigniter auctum, in ſtupendam molem plurium librarum excreverat, interior autem ejus textura ita deſtructa erat, ut nihil niſi materiem purulentam ac ſebaceam teterrimi fetoris, in diſtinctis cellulis aſſervatam, contineret; uterus vero ita ab ejuſdem mole occultabatur, ut primum in ſuſpicionem ipſe veniret, donec indagato ejus orificio, illum admodum exiguum, omnis tumoris expertem, ſub hac mole deliteſcere convinceremur. Propius ad noſtrum accedere videtur caſus a *Jo. Conrado Peyero* in Parergis Anatomicis & Medicis, Parergo ſexto, quod de muliere hydropica, cui abdomen fuit plenum tumoribus, & uterus tuberoſus, inſcribitur, p. 131. relatus. Qui uterum naturali quadruplo majorem, ſcirrhoſum & inæqualem, globoſa quædam corpora, venis & arteriis prædita, ac utero ipſi adnata, numero plura & magnitudine diverſa, occupaſſe teſtatur, quorum tamen pleraque in interiori cavitate hæſiſſe, cum ex icone diſcimus, dum quod molarum illis nomen imponit; Unum in figura adjecta in exteriori uteri ſuperficie prominens, noſtro, ſede & magnitudine, ſimile notamus, de cujus tamen reliquis conditionibus nihil adjecit. *Joannes Rhodius* Cent. III. 46. pariter tumoris, ob convenientiam cum noſtro non ſilendi, pauciſſimis verbis meminit, dum ait; Anno 1644. Steatoma occurit uteri fundo adhærens, cujus cavitatem materia ſevi ſimilitudine replebat, reliquum uteri inſigni pinguedine obſitum. Neque tamen exactius reſpondentem invenire potui, quam illam, quæ in Miſcellaneorum Berolinenſium Contin. II. Obſ. III. p. 19. ab *Auguſtino Buddeo* ſub titulo, Excreſcentiæ ſcirrhoſæ piriformis adhærentis externæ ſuperficiei fundi uteri, conſignata eſt. Siquidem & corpus in ſuperioribus artubus & pectore emaciatum, circa abdomen paululum tumidum; pedes vero œdematoſos, uterum naturali ſitu & magnitudine conſpicuum fuiſſe, tumorem fundo adnatum iisdem involucris concluſum, apice lato duro, magnitudinem fructus mori excedente, præditum, pedunculo anguſtiore erectum, in ipſam uteri ſubſtantiam penetraſſe relatum legimus. Alias obſervationes, de tumoribus præter naturam circa partes genitales interiores in feminis generatis hinc inde diſperſas colligere non difficile foret, plures forte etiam a diſſectoribus inventi ſunt, quorum memoria ad poſteros neutiquam propagata eſt, imo longe plurimos ob denegatam poſt fata ſectionem penitus incognitos manere veroſimile videtur. Interim vel ex his ſatis eluceſcit, uterum & connexas partes, in ſubjectis lentore & viſciditate humorum laborantibus, ad ſubeundas obſtructiones admodum diſpoſitas eſſe; inprimis ſi omiſſo ſub initium uſu convenientium remediorum diluentium & reſolventium, ſolis orgaſmum humorum augentibus, & ſic dictis pellentibus pugnetur. His enim majori quidem copia ad illas partes urgentur humores, ob auctam vero molecularum magnitudinem per minimos canales tranſire nequeunt, ſed in principium illorum dilatatorum impulſi circa extremitates anguſtiores hærent, ſicque obſtructionis generant primordia. Quo laxiores & ſpongioſæ

 magis

magis ſunt partes, in quibus primas egit radices, quales ſunt ovaria, eo promptiora atque uberiora erunt, nova indies accedente materie, tumorum incrementa, ut brevi in inſignem excreſcant molem, atque tota demum in informem ejuſmodi maſſam, vix veteris veſtigia figuræ texturæ referentem, abeant: in denſioribus vero, quale ipſum corpus uteri eſt, paulo lentius ſuccreſcunt, atque in ſuperficie potiſſimum, uti tumor a me deſcriptus, hærere ſolent. Uterum ſuis etiam gaudere vaſis lymphaticis non ſolum *Nuckius* & *Graafius* in brutis animalibus dudum obſervarunt, ſed cel. *Morgagnus* etiam in utero puerperæ, brevi poſt partum extinctæ, ſub exteriori uteri tunica deprehenſa in adverſariis anatomicis IV. obſ. 43. deſcribit. Vaſcula hæc lymphatica ab humoribus ſpiſſioribus ſenſim dilatata, & materie immeabili repleta, in tunicis vero ſuis præter naturam craſſeſcentia, propriam ejuſmodi tumorum ſedem eſſe ex attenta phænomenorum ponderatione colligere licet, prout ejuſmodi corporum, ab aliis pro glandulis magnitudine auctis perperam habitorum, geneſin, in Programmate circa auſpicium muneris mei anno 1737. edito pluribus deduxi. Cum vero uterus tunica exterius involvatur, quæ a peritonæo originem ducit, & docente *Winslowio* Anat. T. IV. paragr. 600. continuatio eſt illius, quæ veſicam obtexit, & a parte ejus poſtica ac inferiore ſuper anteriora uteri aſſurgit, ſuperato fundo partem poſticam cingit, & denique ad inteſtinum rectum fertur; illa diſtentis a ſtagnante humore inerte, & in altiorem molem aſſurgentibus vaſis lymphaticis, immediate eidem ſubſtratis, ſimul elevabitur, atque expandetur: a qua tunicæ, arcte ceteroquin cum utero cohærentis, nimia tenſione dolorem illum, de quo ægrota a me commemorata ultimis temporibus conqueſta eſt, derivandum eſſe crediderim. Aliam agnoſcunt originem varii tumores in ipſa uteri cavitate reperiundi, qui molarum, ſarcomatum, polyporum nomine ab obſervatoribus inſigniti frequentius notantur: ſiquidem illa infelicis partus triſtes effectus eſſe ſolent, atque non immerito a placentæ vi avulſæ reliquiis in utero relictis, vel interioris tunicæ uteri nerveæ & vaſorum læſione deducuntur.

DISSER-

XCI.

# DISSERTATIO
*MEDICO-CHIRURGICA,*

DE

# POLYPO POST FEBREM EPIDEMIAM EX UTERO EGRESSO.

*Quam Præſide*

ABRAHAMO VATERO P. P.

*Tuebatur*

CASPARUS SCHUNCKIUS,

*FLENSBURGO-CIMBER.*

Vitembergæ 29 Maii anno 1739.

OCcurrunt ſubinde medicis, curationi ægrotorum intentis, caſus dubii, ancipites atque periculi pleni, qui eorumdem, etiam expertiſſimorum, animos ſuſpenſos reddere valent, quid de iis ſentiendum ſtatuendumque, quidque in illis agendum ſit. Agunt enim morbi, præprimis interni, altas admodum radices in viſceribus interioribus, abſconditis atque a ſenſibus remotis, & clanculum increſcunt, tandemque, viribus collectis, inopinato foras prorumpunt. Experiuntur id ſæpe in ſe, ſuo damno, feminæ, quarum utero, ingentium in hoc ſexu malorum fonte, præter prolapſus & molas, varia intus concreta atque generata, per genitalia exeunt, atque dolores acerbiſſimos, aliaque ſymptomata graviſſima, inducunt. Hujuſmodi tumores, e pudendis mulierum prodeuntes, ubi profundius radicantur, & ex loco ſublimiori, utero ipſo, vel ejus orificio interno proveniunt, haud raro cum prolapſu confunduntur. Commonefaciendi igitur ſunt medici juniores, in conſilium vocati, propter imperitiam obſtetricum ac quorundam chirurgorum in rebus anatomicis, ut circumſpecti ſint, ne in negotio adeo arduo error committatur. Obtigit mihi ante aliquod tempus caſus, ob plurimas circumſtantias ſingulares, commemoratione dignus, quem ideo in præſenti hac diſſertatione inaugurali proponere volui. Faxit Deus, ut hic labor cedat in ſui honorem, & ægrotantium ſalutem.

## HISTORIA.

*ANno prægreſſo MDCCXXXVII. Menſe Auguſti, æſtate ad autumnum vergente, in oppido, trium lapidum intervallo ab urbe noſtra remoto, matrona nobilis ſexagenaria incidit in febrem, quæ pro more epidemiarum, iſto tempore hinc atque inde graſſantium, intermittentem tertianam mentita eſt, at mox continuæ indolem monſtravit. Primis octo diebus medicamenta a me abſente. contra febrem intermittentem, petita ſumpſit, ſed cum horum uſu malum nullatenus cedere viderent, ut potius morbus invaleſceret, meum adventum efflagitarunt. Ipſe cum aliis negotiis irretitus, invitationi morem gerere nequirem, generum eo ablegavi, ut conſiliis meis adjutus, curam dirigeret. Hic poſteaquam ægram vidit, e circumſtantiis mox judicavit, non intermittentem, ſed continuam remittentem adeſſe febrem. Ordinavit propterea medicamenta, eo in caſu uſualia, præcipitantia, diaphoretica atque bezoardica, & quoniam primis diebus venæſectio omiſſa fuerat, loco ejus veſicatorium applicari juſſit, imprimis ut virium lapſui conſuleret, metumque apoplexiæ arceret. Factum ita eſt, ut ægra, graviſſimis licet ſymptomatibus conflictata, ſub finem tertiæ ſeptimanæ ad ſe rediret; & in vado eſſe videretur. Tunc autem ſubitanea rerum mutatio facta eſt, calor enim febrilis, fere ex-*

*tinctus, denuo accenſus, ad ſummum repente gradum auctus eſt, anxietates, ſopor atque delirium, cum accedentibus per intervalla, horroribus atque ſuccuſſationibus totius corporis & artuum validiſſimis, quales in paroxyſmis intermittentium uſu veniunt, non potuerunt non pavorem incutere omnibus, ob metum gangrænæ irruentis. In tanto vitæ diſcrimine, celeri opus fuit auxilio, quapropter medicus, ut inflammationi reſiſteret, auctis doſibus nitri depurati, in aquis deſtillatis ſoluti, calorem internum ſuffocare allaboravit. Optato res ceſſit, poſtquam enim ægra, durante nocte, ad duas fere uncias nitri ſumpſit, caloris decrementum apparuit, ac illa melius habuit. Sed novam attulit ſollicitudinem res inopinata, durante hoc paroxyſmo contingens. Inſolitum quippe corpus e pudendo illius prodiiſſe, obſervarunt feminæ, curam ipſius habentes. Omnes adſtantes hac re nova perterrefacti, de vita ejus deſperare ceperunt. Acceſſuntur obſtetrices, advolant feminæ aliæ, accedit etiam chirurgus caſtrenſis, conſultatur, quid rei ſit, quidque in ancipiti hoc rerum ſtatu ſit ſuſcipiendum. Negotium permagnum maximique conſilii fuit, nec tamen inter ſe convenire potuerunt, utrum maſſa propendens ſit uterus prolapſus, an mola, an aliquid monſtri, ex utero pronati? Utrum corpus ad interiora retrudendum, reponendum, an vero reſecandum? Chirurgus omnia irrita futura pronunciavit, ob præſentem jam tum gangrænam. Medicus in re tam ardua nihil, niſi audita prius mea ſententia, decernere voluit, eoque conſilio omni feſtinatione ad me properavit. Fuit autem, ipſo referente, maſſa iſta gracilis atque oblonga, duorum tamen pollicum combinatorum craſſitie, trium circiter digitorum tranſverſorum longitudine, coloris obſcure rubicundi, farciminis inſtar ſanguine infarcti, e ſinu pudoris propendens. Obſtetrix etiam, illo jubente, digitis intruſis, & circa molem illam ductis, principium ejus, ubi adhæreat, & unde prodeat, explorare tentavit, ſed nullibi, utut adactis profundius digitis, quidquam detegere potuit. Ex hac medici relatione ego judicavi, nullum adeſſe prolapſum, utpote qui tam ſubito ægræ, in lecto conſtitutæ, abſque ulla vi externa, accidere nequaquam poſſit, cum illa antehac nil quidquam de illo perceperit, contrarium præprimis ſuadente ipſa figura hujus molis, cum prolapſu nullatenus conveniente. Extractionem tamen, aut extirpationem ejus nullo pacto ſuadere potui, tum propter ſitum ejuſdem profundum, tum ob ætatem ægræ in ſenium vergentem, ſtatum corporis cachecticum, vireſque morbo præcedente fractas, ne ſiniſter eventus operationi factæ tribueretur. Quamobrem ſatius eſſe dixi, maſſam illam prolapſam, præmiſſa fomentatione, in locum priſtinum, in quo tamdiu hæſerat, reponere, totumque negotium naturæ committere, quam, operatione infeliciter ſuccedente, famæ jacturam facere. Medicus itaque percepto hoc conſilio, ad ægram remeavit, maſſamque egreſſam reponi, ac quo minus, uti fiebat, denuo excideret, circulum cera obductum immitti curavit, quod etiam optato ſucceſſit. Convaluit ab hoc morbo ægra, nec quidquam mali exinde ſecutum eſt, præterquam quod diutius, ob neglectum curæ decentis, tumore abdominis & pedum œdematoſo, quo antehac jam labo-*

*laboraverat, afflicta fuerit, vivit tamen ſatis bene ad hunc uſque diem, & in publicum prodit.*

---

## Thes. I.

*Antecedentia in ægra.*

MUlta ſingularia & notatu digna, in caſu enarrato occurrere, nemo inficias ibit, qui omnes circumſtantias rite & curatius penſitare vult. Attentionem omnino meretur, protruſio illius ſarcomatis e muliebribus, eo tempore, quo febris epidemia ſuperata, aut certe in declinatione fuit, imprimis ægra in lecto conſtituta, nulloque motu corporis, aut alia quadam cauſa externa concurrente. Mirandum ſane, unde hoc concretum, ex utero proveniens, in ætate adeo provecta, ortum traxerit. Clarum tamen hoc fiet; ſi antecedentia ponderemus. Pepererat noſtra ante triginta fere annos; a quo tempore conjugium ſterile manſit. Poſt illud tempus laboravit illa fluxu menſium nimio & inordinato, interdum mucoſo atque fœtido; inſtar lochiorum, nec non fluore albo. His malis frequenter iſta graviter afflicta eſt; atque *B. Parentis* pariter ac meæ curæ ſe tradidit, ſed penitus liberari non potuit, utut per intervalla levamen ſenſerit. Durarunt quippe ſymptomata illa ad hanc uſque ætatem, ultimumque morbum. Utut igitur de partus, tanto temporis intervallo antegreſſi, circumſtantiis nihil certi conſtet, facile tamen ex dictis dijudicare licet, eumdem fontem eſſe tot malorum perpeſſorum. Ex dictis enim manifeſtum eſt, uterum; ſive ob reliquias ſecundinarum retentas; ſive fluxum lochiorum cohibitum, aut ſaltem inſufficientem; tantam impuritatem contraxiſſe, quod conjugium poſthac ſterile & frequentes hæmorrhagiæ confirmant.

## Thes. II.

*Rerum in utero præter naturam generatarum varietas.*

Uterus femininus uti eſt primarium ſexus ſequioris organum, generationis officina, fetuſque in eo concepti domicilium, atque locus, in quo idem fovetur, nutritur, creſcit & ad maturitatem perducitur: ita ob morbos innumeros graviſſimoſque; ejuſdem culpa feminas miſere excruciantes; lerna malorum appellari meretur. Longum nimis foret; ac limites diſſertationis excederet, ſi omnia enarrare vellemus, quæ uteri cauſa ſexui huic contingunt mala, ratione fluxus menſium, ſalacitatis, ſterilitatis, graviditatis; abortus atque partus. Nobis nunc tantum res erit cum rebus, præter naturam in utero generatis, ex eo interdum excluſis, vel poſt mortem in illo repertis. Harum miram eſſe varietatem, nemini poteſt eſſe obſcurum, qui libros practicorum & obſervationum medicarum ſcriptores evolvit. Quotuſquiſque eſt rerum medicarum adeo hoſpes, ut ignoret, in utero generari; ex eoque prodire molas, diverſæ formæ ac conſiſten-

ſiſtentiæ, nec non excreſcentias varias carneas, ſarcomatum, fungorum, aut polyporum nomine venientes. In illo etiam lapides produci poſſe, monſtrat exemplum, quod habetur in *Miſcell. curioſ. Acad. Nat. Curioſ. Dec. I. A. IV. Obſ. LXV.* imo vermes ex ipſo excretos fuiſſe, non tantum minores, aſcarides dictos, ſed etiam majores, pollicem longos, imo grandiores, lacertæ figuram habentes, ut videre eſt *loc. cit. Dec. I. A. VIII. IX. & X. it. Dec. II. A. VIII. & IX. nec non Dec. III. A. V. & VI.*

## Thes. III.

*Molæ imaginariæ & fabuloſæ.*

Magnus olim fuit rumor inter medicos de conceptione falſa, qua loco fetus veri & genuini, aliud animal, aut ſaltem maſſa quædam informis, mola dicta, in utero generatur, & præcedentibus ſignis ingravidationis, monſtroſum quid in lucem editur. Quæ enim partu hujuſmodi infelici prodierunt, exhibuerunt varias figuras non tantum rerum inanimatarum, ut manus complicatæ, ſeu fungi, obſervante *Hildano Cent. II. obſ. LII.* aut cordis, pericardio incluſi, cum cono & baſi, narrante *Bartholino Cent. III. Hiſt. I.* aut urticæ marinæ, annotante *Lemnio L. I. de occult. natur. mirac.* ſed etiam animalium ipſorum, murium atque ſcarabæorum cornutorum, ut habet *Salmuth. Cent. I. obſerv. Medic. LXV.* Imo quædam ex his vitam habuiſſe, hiſtoriæ tradunt, quale exemplum habet *Idem Cent. III. obſ. XCIX.* ubi refert, præcipui cujuſdam civis Serveſtani uxorem A. 1621. poſt abortum maſculinum, & molam, ovi anſerini magnitudine, noctu aliam maſſam carneam excludiſſe, quæ palmam fere longa, vixit, & oris lati figuram habuit, qualis eſt tinca vel cyprinus piſcis, abſque tamen cavitate, ae præterea duo etiam puncta nigra, ocellos referentia, monſtravit, quæ in terram prolapſa, non modo palpitaverit, ſed etiam ſe commoverit, & piſcis inſtar convolverit, ad duas treſve horas ſeſe adhuc agitaverit, tandemque vitam amiſerit. Sed horrenda magis eſt hiſtoria, quam *Idem Auctor Cent. I. obſ. LXII.* narrat, de muliere, quæ loco fetus legitimi quinque mures enixa ſit, ex utero mulieris intra manus obſtetricis exſilientes, in hypocauſto hinc inde diſcurrentes, quorum quatuor ab adſtantibus occiſi, quintum felis devoravit, quæ inde rabida facta in puerperam proſiliit, extremum ipſi exitium minitans; donec interimeretur. Ejuſmodi farinæ ſunt, quæ de mola volatili, avem quadrupedem referente, narrat *Bartholinus Act. Med. & Philoſ. Hafnienſ. Tom. I. obſ. XXVI.* cujus ſceleton in muſeo ſervavit Roſencrantzius, Præſes Regius Soranus, ibi delineatum. Familiaris hæc mola dicitur eſſe in belgio, ubi vulgo ſuygers, quaſi ſanguiſuga, fetui ſugillando infeſta, vocatur, & poſt fetum in partu prodire, atque cubiculi angulos pervolitando, mulieres inquietare, ac regreſſum in uteri latebras moliri, perhibetur, donec occidatur & comburatur, uti pluribus *loc. cit.* legi poteſt. Plura de his molis viven-

viventibus, ac animalibus vivis ex utero humano prognatis vid. *in Miſcell. Curioſ. A. I. & A. II. obſ. CLX. in ſcholiis adjectis.*

## Thes. IV.

Nemo facile hodie reperitur, præter mulieres credulas & imperitum vulgum, qui talia credat, nec potius fabulis annumeret. Pleraſque enim, quæ ab auctoribus citatis narrantur, hiſtorias ex aliorum potius relatione, quam propria obſervatione iidem habent, uti ingenue fatetur *Matth. de Gradibus loc. cit. allegatus* inquiens : non vidi quidem, ſed audivi de animali in matrice generato, quod cum exivit matricem, volavit. Contingit quidem non raro, ut in mulieribus poſt partum editum, aut abortum paſſum, quidquam ex ſecundina in utero retineatur, quod utero annexum, ulterius nutritur, atque ejuſdem compreſſione, figuram monſtroſam adipiſcitur, ac poſtea excluſum, mulierculis & aliis ſuperſtitioſis imponit, ut animal æſtimetur. Viventia tamen animalia, præter vermes, niſi prius irrepſerint, ex utero prodire, nemo, niſi ſimpliciſſimus, facile induci poterit ad credendum. *Ruyſchius in obſerv. anat. chirurg. obſ. LXVIII.* teſtatur, ſe una cum collegio medico, juſſu Magiſtratus, Amſtelodami obſtetrices omnes, quarum numerus haud exiguus fuit, examinaſſe, quid circa molas obſervaverint, quæ vero unanimiter faſſæ ſunt, ſeſe quidem corpuſcula carnoſa & dura offendiſſe, quæ e mulierum corpore erant excluſa, aſt vero nunquam viventia, ſicut nonnulli credidere, vid. etiam *Kerckringii Spicil. Anat. Obſ. XXXVIII. & XCV. conf.* B. Parent. *diſſert. de mola, item* Noſtra *de mola prægnante.* Unanimi ergo conſenſu medicorum hodiernorum non aliæ molæ ſtatuuntur, quam quæ ex placentis, ſive integris abortuum prægreſſorum, ſive particulis placentæ maturæ a partu in utero relictis, oriuntur. Eamque ob cauſam *B. n. Bergerus in Programmate*, occaſione anatomiæ publicæ *A. MDCXCIIX.* edito, laudat judicium *Sennerti*, illæſa pudicitia tales ex viduis, nullatenus vero ex virginibus prodire poſſe. *Veræ.*

## Thes. V.

Has tamen ex placentulis in utero relictis generatas molas, Pſeudomolas vocavit *Ruyſchius loc. cit. obſ. XXVIII.* quia non ſunt vera animalia, qualia veteres ex utero naſci poſſe crediderunt, eaque hoc nomine donarunt, ſed quoniam compreſſione in utero indurantur, talemque adipiſcuntur formam talpæ, ranæ, aliorumque animalium, ut pro ejuſmodi putatitiis molis habeantur. *Eodem* tamen obſervante *obſ. XXIX.* non ſolum placentulæ, verum etiam ſanguis in utero coagulatus, ab uteri compreſſione, admodum durus, atque in ſe coactus, molam mentitur, & *Ipſi* ab obſtetricibus oblatus eſt, qualem cruorem coagulatum *fig.* 28. 29. *Alia con creta ex utero emanantia.*

 deli-

delineavit. Docet propterea *Ille*, ad duo reſpiciendum, ubi talia offeruntur, primo an funiculi umbilicalis abrupti veſtigium ſuperſit, ſecundo an vaſis ſanguiferis gaudeant ejuſmodi maſſæ, ſine quibus non poſſunt vocari placentulæ, inſuper notando, in placentulis remanſis, quantumvis vaſa ſanguifera adſint, ut plurimum ea ſanguine caſſa reperiri, ita, ut magis fibras, quam vaſa ſanguifera referant. Alia contingit placentæ mutatio in utero, qua vaſa ejus non obliterantur, & compreſſione condenſantur, ſed potius humore limpido extenduntur, & in veſiculas degenerant. Ejuſmodi mutationes placentæ in hydatides multoties vidit *Ruyſchius*, uti fatetur *obſerv. XXXIII.* ſed quid rei eſſet, tamdiu anceps hæſit, donec *Ipſi* contigit videre placentam, ex parte ſanam, ex parte in hydatides mutatam. Mentionem etiam faciunt auctores feminarum ovipararum, atque ovorum, ex utero excluſorum, quæ certe nihil aliud fuerunt, quam abortus fetuum primorum menſium, ovo integro adhuc concluſorum, & liquore ſuo circumfuſorum, uti confirmat obſervatio ſingularis *Hartmanni in Ephem. German. Dec. II. A. X. obſ. CLVII.* Aſſervatur etiam in muſeo anatomico, quod ex regia munificentia academia noſtra poſſidet, ovum in utero feminæ repertum, quod in *Catalogo a me edito* inter conſervata in liquore variorum auctorum num. 20. commemoratur. Eſt autem figuræ rotundæ, exterius coloris flavi, cavitate intus carens, medulla vero ſpongioſa repletum, quod ego propterea magis ad polypoſa concreta referendum eſſe puto.

### Thes. VI.

*Excreſcentiæ aliæ carneæ ex utero emergentes.*

Sed ab iſtis polypoſis concretis ex utero excluſis, quorum antea mentio facta, diſtinguenda ſunt corpora, quæ e pudendo prodeunt quidem, ſed intus aut vaginæ, aut orificio uteri, aut ipſi utero cohærent, adeoque ad excreſcentias uterinas potius pertinent. Has apte polypos uteri carnoſos *Ruyſchius obſ. VI.* appellandas eſſe cenſet, ob ſimilitudinem polypi narium, eaſque per pedunculum utero adhærentes obſervavit. Utut enim non pluribus radicibus aut petiolis ex utero oriantur, unde polypus nomen ſortitur, ob ſubſtantiam tamen communem ita vocantur. Nihil tamen obſtat, quo minus interdum pluribus pedunculis in uteri ſubſtantia radicentur. Alias apto nomine ſarcomata ob ſubſtantiam carnoſam, itemque fungi atque excreſcentiæ fungoſæ appellari ſolent, quia fungorum more protuberant, atque nutrimento corrupto incrementum ſuum debent. Hujuſmodi excreſcentiis variæ corporis partes, nares, lingua, labia, mammæ, vulva, ſunt obnoxiæ, quæ obſervante *Tulpio obſ. Med. L. III. cap.* 33. facile degenerant in fungos, proximum carcinomatis ſubjectum. Annotavit etiam *Ruyſchius loc. cit. obſ. VI.* uti polypos narium, ita uterinos non omnes ejuſdem generis eſſe, modo maligni & cancroſi, modo omnis malignitatis expertes, idque exemplo polyporum uterinorum, ex uteri prolapſi orificio interiori in femina pendulorum, qui vehementer doluerunt,

cum

cum larga humoris aquoſi & acris ex utero profuſione, unde ulcus malignum ſecutum, mortem acceleravit.

## Thes. VII.

*Tales cum uteri prolapſu interdum confunduntur.*

Hujuſcemodi ſarcomata, ex interioribus pudendi propullulantia, quandoque non tantum imperito vulgo, ſed etiam medicis atque chirurgis non ſatis providis, imponere poſſunt, ut uterum ipſum prolapſum eſſe credant. Interdum enim forma externa aliqualiter uterum referre poſſunt, uti figura diſſertationi noſtræ, *de ſarcomate e pudendo muliebri reſecto*, præfixa monſtrat. Inde enim tot fabulas apud auctores paſſim occurrentes, de uteri humani extirpatione, qua licet facta, feminas non ſolum ſuperſtites manſiſſe, ſed etiam poſthac peperiſſe, perhibetur, ortum ſuum traxiſſe manifeſtum eſt. Plures ejus farinæ hiſtorias collectas videre licet in *Bonet. Sepulchret. Tom. III. Lib. III. Sect. XXXII.* imprimis *in Append. obſ. VI.* ex quarum plerarumque perluſtratione quilibet videbit, relationes iſtas adeo obſcuras eſſe, ut non conſtet, quid extirpationibus iſtis ſublatum ſit. Commemoratione præprimis digna ſunt duo exempla, ibidem adducta, quæ de errore a medicis & chirurgis commiſſo, indubitatum teſtimonium edunt. In horum altero tumorem, ante & poſt reſectionem, uterum eſſe crediderunt medici æque ac chirurgi, operationi adſtantes, imprimis quod uteri cornua (ita enim *cit. loc.* legitur) vaſa cæca, cum teſticulis in eo obſervaſſe ſe ſibi perſuaderent, in femina tamen, operatione peracta, ſanitati reſtituta, menſtrua ex debito fluxerunt, imo graviditatis quædam ſigna apparuerunt. Alterum vero ibidem allatum exemplum controverſiam de uteri extirpatione, an ſalva vita poſſibilis, vel non? fere terminare videtur. In hoc enim tumor talis, gangræna correptus, inſignis adfuit, quem medici & chirurgi præſentes, uterum ipſum prolapſum eſſe perſuaſi fuerunt, ita ut non induci potuerint, ut crederent, uteri hoc minime corpus eſſe, quo tamen ablato, in femina brevi poſt mortua, uteri totum corpus, cum partibus annexis a partibus vicinis ſeparatum, tabulæ impoſitum eſt, ut omnes errorem cognoſcere poſſent. Ex hoc itaque apparet, quid ſentiendum ſit de uteri prolapſi exſectione non lethali, quam *Zwingerus*, exemplo ſingulari probare voluit; uti docet obſervatio, ad Academiam Naturæ Curioſorum data, quæ habetur *in Act. Phyſic. Medic. Volum. I. obſerv. LXXX.*

## Thes. VIII.

*Prolapſus uteri verus an detur?*

Ordine nunc ducimur ad quæſtionem illam maxime controverſam, utrum uterus re ipſa prolabatur, an vero omnes procidentiæ uterinæ ſint nil aliud, quam prolapſus vaginæ inverſæ, utero in ſede ſua immobili remanente? *Maxima enim lis eſt*, inquit *Genſelius in obſervatione curioſa de procidentia uteri*

*uteri totali, quoad fundum, cum febre maligna*, quæ reperitur in *Act. Erudit. Menſ. Maii A. MDCCXVI. inter doctiſſimos etiam recentiores medicos de procidentia uteri, adeo, ut de nullo feminarum affectu magis diſquiſitum ſit, quam de hoc: ut taceam ex Græcis Aëtium & plures, D. Beckius cum Garmero, Medico Hamburgenſi, diu diſputavit de prolapſu matricis & præ indignatione (ut Peclinus refert) mortuus eſt.* Exempla, præcedente Theſi allata, tumorum aliorum, loco uteri reſectorum, atque obſervationes ſingulares auctorum, qui uteri prolapſum impugnarunt, per experientiam atque poſt mortem inſtitutam ſectionem ſubjectorum, prolapſu laborantium, in quibus uterus in ſede naturali inventus fuit, confirmatæ, ſatis quidem edocent, veram uteri ipſius proptoſin adeo frequentem non eſſe, ac communiter creditum eſt, ſed quandoque tumores ex interiori vagina emergentes imponere facile poſſe illis, qui aut rerum anatomicarum imperiti, aut ſaltem non ſatis cauti ſunt in judicando, omneſque circumſtantias minus ponderant. Propterea tamen prolapſum uteri fieri poſſe, aut unquam factum eſſe cum *Kerckringio*, *Meekeren* & aliis negare non licebit, niſi injurii eſſe velimus in tot viros fide dignos, omnique exceptione majores, qui hoc ſe obſervaſſe teſtantur, itidemque ſectione cadaverum confirmant. Inſtar omnium eſſe poteſt *Ruyſchius*, qui in *Obſ. Anat. Chirurg. VII.* in femina, cui chirurgus ad uterum prolapſum auferendum adeo infeliciter ligaverat, ut ob conſtrictum ſimul meatum urinarium ſuppreſſio urinæ & mors inſequeretur, aperto ejus abdomine, in pelvi, qui locus eſt uteri, nil ſe vidiſſe aſſerit, præter unum ex ovariis, cum annexa tuba & ligamento lato. Eadem & nobis obtigit ante plures annos felicitas in rei veritatem inquirendi, in ſectione feminæ, quæ, ob tumorem inſignem ovarii dextri gravida ſibi viſa, aſcite mortua erat, in qua uterum itidem non in pelvi, ſed a vagina prolapſa, extrorſum tractum invenimus, ulterius progreſſurum, niſi obſtitiſſet tumor ovarii, uti id expoſui in *diſſ. inaug. de graviditate apparente.*

## THES. IX.

*An ſemper cum vagina prolabatur?*

Merito tamen quæritur, an ſemper & neceſſario uterus vaginam prolapſam ſequatur, & ad exteriora procedat. Difficillimum ſane eſt, ſibi concipere, qui fieri poſſit, ut vagina, vix ſex vel ſeptem digitos tranſverſos longa, in prolapſu duplicata exiens, eouſque extendi queat, ut ſpithamæ longitudine, & ultra, e ſinu pudoris promineat, quin ſimul uterum, eidem orificio ſuo interno firmiter connatum, valida tractione ſecum rapiat. Hoc tamen re ipſa fieri, demonſtrat illuſtre exemplum ex communicatione *Widmanni in Ephem. Acad. Nat. Curioſ. Cent. VII. & VIII. obſ. XCVIII.* conſignatum, quo docetur, in femina, gravi & moleſto prolapſu per plures annos laborante, mortua, aperto cadavere, uterum in ſitu naturali cum omnibus ſuis connexis, ovariis atque tubis, repertum eſſe, quem laudatus Medicus, una cum cohæ-

cohærente tumore externo extractum, conſervavit, ac in figura adjecta delineari curavit. Notandum tamen, prolapſum talem vaginæ uterinæ, fieri potiſſimum quoad tunicam ejus internam, admodum rugoſam, quæ affluxu humorum relaxata, eouſque elongari poteſt. Idque penitus confirmat, & extra omnem dubitationis aleam ponit, prolapſus inteſtini recti, quod æque duplicatum, duarum ſpithamarum longitudine in puella excidiſſe, obſervavit *Salmuth Cent. I. obſ. XXX.* & ad ulnæ, longitudinem a partu elapſum annotavit *Bonet. Med. Septentr. P. I. L. III. Sect. XIV. C. IX. in Scholio.* Edocent id etiam inteſtina, in herniis intra ſcrotum prolapſa, quæ ſine inſigni meſenterii diſtenſione eo procedere nequeunt.

## Thes. X.

Anſam hoc nobis præbet, diſquirendi, an rebus ſic ſtantibus, durante vita, prolapſus uteri verus, a procidentia ſolius vaginæ, certe & indubitate cognoſci poſſit. Omnes quidem hactenus in ea ſunt ſententia, illum partim ex forma tumoris globoſi aut ovalis, ob figuram uteri latentis pyriformem, partim ex orificio uteri interno, ſubtus in eodem apparente, dignoſci debere. At enim vero hiatum talem relinquit etiam vagina, in toto ſuo ambitu prolapſa, uti omnibus ad oculum patebit, quibus figuram *Widmanni* obſervationi appoſitam, cum figuris *Ruyſchii* & quorumcunque Auctorum conferre placuerit. Vereor igitur, ne Medicus & Chirurgus expertiſſimus in eo fallatur, niſi uterus eouſque prolabatur, ut orificium, exteriora verſus prominens, figuram ſuam, qua os tincæ refert, prodat, aut immiſſione digiti in hunc ſinum, certo diſtingui queat. Sed illud admodum difficile eſſe, docet laudati *Widmanni* obſervatio, quia in illo ſubjecto, ut verbis ejus utar, *cervix uteri in ſtatu naturali, juxta elegantiſſimam Ruyſchii delineationem, in apicem quaſi vergens, tunica rugoſa privata multo erat laxior & magis ampla, ac ordinario modo eſſe ſolet, ipſum etiam in illa exſculptum orificium, quod ſecundum naturam alias nonnihil prominens & duriuſculum eſſe ſolet, atque aliquo modo coarctatum, amplitudine vaginæ non cedebat, quin imo vix amplius diſtingui potuiſſet, niſi relicta quædam levia ſaltem veſtigia ejus regionem indicaſſent.* Hujus obſervationis illum uſum eſſe poſſe *idem* judicat, ut, ſi forte prolapſus talis reponi nequeat, & ob ſcirrhoſam duritiem, vel gangrænam imminentem aut jam præſentem, repoſitionem nec quidem moliri liceat, ejus extirpatio non reformidetur, ſed urgente neceſſitate, præeunte *Meekeren*, intrepido animo perficiatur, utpote quæ ſola, inter ambigua alias conſilia, ad mortem properaturæ ægræ, ſolatium ferre poſſit. Sed quid ſi uterus ipſe in prolapſo tumore lateat, quod tamen per hactenus adducta vix cognoſci poteſt, hicne ſalva vita una reſecari poterit? Unicum uteri prolapſi & corrupti, ſalva vita extirpati, exemplum, ex tot Auctorum obſervationibus, legi, cui quid opponi poſſit, non video. Hunc caſum in *Sandenii obſervatione de prolapſu uteri inverſi ab excreſcentia carneo fungoſa, in fundo ejus interno,*

*An prolapſus uteri verus a prolapſu ſolius vaginæ diſtingui queat?*

*no*, *ex potu infuſi crepitus lupi enata*, eidemque adjecta proluſione *Slevogtii*, diſſertationi inaugurali *de femina gravida lapſu vaginæ uteri laborante*, præmiſſa, legere licet, quem etiam in Diſſert. mea, *de ſarcomate e pudendo muliebri reſecto*, de hoc argumento agens, adduxi. *Hic* teſtatur, ſe in maſſa, a pudendo muliebri reſecta, quinque libras pendente, præter opinionem, ipſiſſimum non tantum os uteri, cruore viſcido obturatum, ſed reliquum ejus corpus, cum fundo integro, & reliquiis tubarum, quaſi in theca coriacea, prope injectum vinculum abſciſſa, reconditum offendiſſe, & facta ejus ſectione ab orificio ad fundum, cavitatem ejus & craſſitiem, ſtatui naturali prorſus ſimilem; detexiſſe. Quis vero de veritate hujus relationis, aut dexteritate Viri, in Anatomicis verſatiſſimi, dubitare vellet?

## Thes. XI.

*Ad quodnam tumorum, hactenus recenſitorum genus, noſter ſit referendus?*

Hiſce præmiſſis, revertimur nunc ad caſum noſtrum, diſquirendo, ad quodnam tumorum hucuſque enumeratorum genus, noſter ſupra deſcriptus ſit referendus? Nobis vel tacentibus, quilibet facile videbit, hic nec uterum ipſum, nec vaginam ejus totam prolapſam fuiſſe, quia tumor figuræ oblongæ, farciminis inſtar protenſus fuit, totum etiam ſinum pudoris non replevit, ita, ut digiti ad explorandum ejus ortum, in vaginam ad os pubis uſque intruſi, circa eum duci potuerint, nec orificium ſuetum in ejus extremitate apparuit. Neque etiam quis in eam venire poterit opinionem, molam hic adfuiſſe, ob partum tanto temporis intervallo prægreſſum. Ad excreſcentias itaque uterinas potius maſſa iſta, ex pudendo elapſa, pertinebit, quæ, uti ſupra vidimus, fungorum, ſarcomatum atque polyporum nomine veniunt. Sarcoma tamen propterea vocare nolui, quia hoc nomen magis generale eſt, & tumores grandiores, eoſque magis denſos, atque carnoſos aut ſcirrhoſos denotat. A fungis quoque differt, quia figura non globoſa, tuberum more, ſed oblonga atque ſubſtantia ſpongioſa & mollis obſervata eſt, fungi etiam, judice *Tulpio Lib. III. obſerv. Cap. XXVIII.* proprium carcinomatis ſubjectum ſunt. Polyporum igitur potius appellatione, præeunte *Ruyſchio*, inſigniendam eſſe hanc molem cenſui, quia æque, ac in polypis narium ſæpe obſervatur, a longa & frequenti hæmorrhagia præcedente; ortum traxit, cum ſinubus vaſorum uterinorum, pariter ac iſti, connecti videtur, ac conſiſtentiam magis ſpongioſam, ſanguine turgidam, habuit. In polypis quidem, uti ſupra ex *Ruyſchio* notavimus, interdum etiam aliquid maligni cancroſi obſervatum eſt, ſunt tamen, uti *idem* monet, ſæpiſſime omnis malignitatis expertes, ſicuti & noſter nulla malignitatis ſigna dedit. Facile eſt quoque concipere modum generationis polyporum uterinorum, ex gravioribus hæmorrhagiis, cum ſanguis alias viſcidus & glutinoſus, ad concretionem pronus in ſinibus uterinis anfractuoſis hærens, conquaſſatione & compreſſione uteri, in maſſam talem coëat, atque cohæſione aliarum particularum viſcidarum in tantam molem excreſcat.

Thes. XII.

## Thes. XII.

Sed reſtat nunc quæſtio cardinalis, eaque præjudicialis, an recte fecerimus, quod polypum hunc reponi curaverimus, an potius tutius fuiſſet, eundem extractum reſecare & extirpare, ob metum corruptionis internæ, a reſtitutione expectandæ. Docet quidem eventus, nos recte in eo feciſſe, quia ægra convaluit, noſque propterea ab omni culpa vindicat & immunes reddit. Præterea multæ rationes graviſſimæ a noſtris partibus ſtant, noſque penitus excuſant. Præter circumſtantias in hiſtoria allatas, ſenectutem & conſtitutionem cachecticam ægræ, lapſumque virium, ipſe ortus e loco ſublimi, polypi reſectionem diſſuaſit. Extractionem quidem excreſcentiarum iſtarum ope forcipis, & reſectionem ſuadet *Dionis*, monet tamen *Clariſſ. Heiſterus chirurg. cap. CXXXVI.* caute hic procedendum eſſe, ne periculum inde naſcatur. Connexio etiam polyporum cum ſinubus uterinis, atque color in noſtro, ſanguine turgido, rubicundus confirmat, ejus reſectione hæmorrhagiam periculoſam metuendam fuiſſe. Et quamvis hæc, ligatura præmiſſa, præcaveri potuiſſet, idem tamen periculum propter metum inflammationis manſiſſet, quia maſſa ob ſitum profundum radicitus tolli nequivit.

*Utrum tutius fuiſſet, polypum reſecare, quam reponere?*

# TABULA DISPUTATIONUM

## *QUÆ TERTIO TOMO CONTINENTUR.*

## PARS QUARTA

## *Morbi Chirurgici Abdominis.*

### LVIII.

POLYCARPI GOTTLIEB SCHACHER Diſſ. *de morbis a ſitu inteſtinorum mutato* Lipſ. 1721. Continet eruditam & obſervationibus divitem deſcriptionem introſuſcepti & prolapſi inteſtini, & herniæ, & inteſtini per vulnus imi ventris egreſſi: quæ quidem poſtremo loco repetita hiſtoria otium nobis fecit recudendi programmatis anni 1720, quo eamdem inteſtini per vulnus egreſſi mentionem fecerat Vir Clar. p. 1.

LIX. J. HENR. LAVATER de ΕΝΤΕΡΟΠΕΡΙΣΤΟΛΗ *ſive inteſtinorum compreſſione* Baſil. 1672. Multa cum eruditione græciſque vocibus obſervationes Chirurgorum Pariſinorum ſui ævi conjunxit. Inter eas etiam exemplum eſt enematis per os rejecti. 37.

LX. J. HENR. FREYTAG *de oſcheo entero & bubonocele Helvetiæ incolis frequentibus*. Argentor. 1721. Sacco herniæ vinculum circumdari ſuadet, inteſtina adnata ſolvi poſſe, omentique parte magna ægros abſque malo deſtitui, per exempla oſtendit. 63.

LXI. BURCH. DAVID MAUCHART *de hernia incarcerata nova encheireſi extricata* diſp. præſide ELIA CAMERARIO Tubingæ ann. 1722. propoſita delineationem continet herniæ Pariſiis paratam, & partium eo morbo adfectarum anatomicam hiſtoriam. Rupturam peritonæi refutat. Sacci hernialis fibras ab obliqui externi muſculi tendinea expanſione natas addit, ſcarificationem ejus ſacci laudat, integrum reponi diſſuadet. 75.

LXII. M. P. ROUSSIN de MONTABOURG & C. F. BOUTIGNI DESPREAUX Diſſ. *ergo in herniis inteſtinalibus etiam cognita inteſtini prolapſi læſione operatio celebranda* Paris 1742. Conſilio fidem addit hiſtoria felicis curationis, cum inteſtinum ſtrangulatum foramine aperto hiaret. 97

LXIII. J. G. GUNZII Proluſio *de enteroepiplocele* Lipſ. 1746. Minutam deſcriptionem hujus morbi ad naturam natam continet. Omentum ligare vetat. 107.

LXIV. J. FR. le CHAT de la SOURDIERE Theſis in hæc verba *ergo chirurgicæ herniarum curationi muſculorum ſternomaſtoideorum tenſio nocet*. Paris 1748. ex ſoceri Winslovi experimento oſtendit, tendi & maſtoideos muſculos & rectos abdominis, quando corpus jacens erigitur, tunc adeo, quando muſculos abdominis laxos eſſe oportet, minime permittendum eſſe ut maſtoidei muſculi operentur, aut caput antrorſum tollatur. 114.

LXV. MATTHIÆ GEORGII PFANN *de entero oſcheocele antiqua reſtitutione ſacci hernioſi feliciter peracta, abſque bracherio & ſectione curata* Reſp. J. B. SCHOLLER Erlang. 1748. Satis memorabilem lætamque hiſtoriam continet, herniæ per decubitum ex morbo neceſſarium ſenſim & ea fide repulſæ, ut nihil pene de ea ſuperfuerit. 121.

LXVI. Burch. David Mauchart *de epiplo-enterocele crurali incarcerata ſphacelata cum deperditione notabili ſubſtantiæ inteſtini ſponte ſeparati, feliciter curata aivo naturali reſtituta* Reſp. Phil. Sig. Palm. Tubing. 1748. Singularis omnino & conſervatu digniſſima hiſtoria inteſtini ſtrangulati, gangrænoſi, aperti, magna ſui parte mutilati, coaleſcentis, cum ſectione hominis multos poſt annos a curatione mortui, & morbi veſtigiis. Acceſſerunt Clar. Maucharti notationes 145.

LXVII. Herm. Frid. Teichmeyer diſſ. *de exomphalo inflammato exulcerato & poſtea conſolidato* Reſp. S. Fr. Creiling Jenæ 1738. Etſi diarium deeſt curationis chirurgicæ, neque modus adducitur, quo tantum malum ſuperatum ſit, eſt tamen in herniæ umbilicalis tanta atrocitas, regiis confirmata funeribus, ut felicioribus eventibus ſpem chirurgorum confirmaſſe non inutile ſtudium videatur. 161.

LXVIII. Beatus Ignatius la Chausse Diſſ. *de hernia crurali* Argentor. 1746. Exempla aliqua & hiſtoriam curationis in gravi caſu feliciter peractæ habet. 181.

LIX. Petri Kirschbaum *de hernia ventriculi* Argentor. 1749. Præter collectionem bono ordine factam, etiam proprium exemplum ventriculi habet, qui per vulnus tranſverſi ſepti in pectus irrupit. 213.

LXX. Laur Heister *de hernia incarcerata ſuppurata ſæpe non lethali* Reſp. Gladbachio Helmſtad. 1738. defenſa diſputatio, quam ſibi videtur defenſor tribuere, & hic quidem per abſentiam meam alieno loco ponitur, quam oportebat poſt diſp. LVII. ſequi: cæterum bonæ notæ & ex utilioribus eſt. Subitam continet a decubitu in genua gravida femina ventralem herniam: utilitatem fumi nicotianæ ad revocandum ſecum ad alvum iter, gravis herniæ incarceratæ & ſuppuratæ felicius exemplum, de lumbricis hernias efficientibus & inteſtina perrumpentibus ſuſpicionem, alteramque de adpendicibus earumque incarceratione, hujuſque ſignis, inprimis a libero ad anum itinere, inciſionem denique feminæ ex ſphacelato in hernia inteſtino mortuæ. 229

LXXI. Daniel Koch *de hernia crurali*, Argentor. 1726. Ob hiſtoriam ſubitæ & infelicis herniæ cruralis in medico natæ, quæ poſt ſeriorem repoſitionem nata gangræna mortem intulit. 251

LXXII. Joh. Salzmann & J. Petri Divoux *de hernia veſicæ urinariæ* Diſſ. Argent. 1732. Equidem ratiocinio potius & explicationi mechanicæ indulſit, qua ratione veſica loco excidere poſſit. Verum aliquas tamen etiam obſervationes ſubitaneæ herniæ ab ictu lebet. 271.

LXXIII. Christoph. Henrici Papen *epiſtola ad Hallerum de ſtupenda hernia dorſali* Gotting. 1750. Continet rariſſimi mali hiſtoriam; inteſtinorum nempe per inciſuram iſchiadico ſacram elapſorum. 313.

LXXIV. J. Christophori Pohlii Programma *de herniis & ſpeciatim de ſarcocele* Lipſ. 1739. Diſſectionem hominis ex funeſta ſarcocele mortui continet. 317.

LXXV. L. Heisteri & M. A. Butzeri *de hydrocele* Helmſtadii 1743. Curationem per ſcalpellum & per medicamentum rodens defendit, refutat Vylhorhii commentum de perpetua hydroceles in ſiniſtro latere ſede. 327.

LXXVI. L. Heister & Christian Daniel Heise *de ſarcocele* Helmſtad. 1754. Aliquot propria exempla curationis hujus immorigeri mali continet. 357.

LXXVII. Caroli Friderici Kaltschmid Programma *de neceſſitate extirpandi hernias ſpurias majores inprimis hydrocelen & ſarcocelem vel hydroſarcocelen* Jenæ 1749. Monet ne in his malis aliud præter cultrum chirurgi remedium exſpectetur. 378.

LXXVIII. J. Andreæ Deisch Diſſ. *de neceſſaria in præternaturali partu inſtrumentorum applicatione* Argentor. 1740. Exemplum proprium excitat oſſium pubis in puerpera divulſorum. Deſcribit inſtrumenta & adminiſtrationem, qua Friedius feminas fetu liberat, cui cranium aperiri & elidi neceſſe eſt. Ultima etiam artis auxilia in deſperatis caſibus docet. 381.

LXXIX. J. Valentini Hartrampft Diſſ. *de non differenda ſecundinarum adhærentium extractione* Lipſ. 1735. Contra Ruyſchium & alios exſpectationis patronos, ipſe in his rebus expertus judex dicit. 399.

LXXX. Phil. Conrad Fabricius *de fetus vivi extractione utero prolapſo* Helmſtad. 1748. Exemplum proprium habet cauſaſque narrat, quare æquum ſit, felicem eventum exſpectare. 423.

LXXXI. J. Caroli Voigt *de capite infantis abrupto variiſque illud ex utero extrahendi modis.* Gieſſ. 1743. Negat re perpenſa unquam a vi exeuntis fetus cartilagines oſſium pubis diduci: contra craſſitiem prægnantis uteri non minui confirmat, cauſas divulſi capitis aperit, varia inſtrumenta, ad caput extrahendum excogitata deſcripta dat & depicta, præfert acum triquetram, ſerram & cochlear Friedianum tum clar. Schureri inſtrumentum, monet autem, non facile ad hæc vehementiora remedia deſcendi debere. 439.

LXXXII. J. Frid. Behling *de rupto in partu utero* Altorf. 1736. Hiſtoriam mali nimis frequentis refert. Ovarium dextrum ovis plenum reperit in femina, quæ novem mares pepererat, ſiniſtrum inane, cum nullæ ex eo utero filiæ prodiiſſent. Natare fetum etiam nullo partu editum utero, quando computruit recte monet. 475.

LXXXIII. J. Jacob Muller *de rupto in partu utero* Baſil. 1745. Multa cum cura, ut in mathematica ſchola nutritus, uterum deſcribit; mechaniſmum proponit, quo ſenſim caput fetus in uterum deſcendat, (an ſatis memor comparatæ anatomes, in qua perinde felix partus alieniſſima ex uteri fabrica ſequitur) Partus infelices ex obliquitate uteri, hanc ex placentæ adhæſione laterali deducit, denique ruptum in partu uterum ad Hummelii diſſectionem deſcribit. 489.

LXXXIV. J. Benigni Winslow & Guilielmi Ruellan theſis in hæc verba, *Non ergo ad ſervandam præ fetu matrem obſtetricium hamatile* (accouchement à crochet) *minus anceps & æque inſons, quam ad ſervandum cum matre fetum ſectio cæſarea* Paris. 1744. Pericula unci accuſat, quo poſſit vivus proque exſtincto habitus fetus occidi; & exemplum felicis cæſareæ ſectionis peractæ a D. Soumain ipſe teſtis recenſet. 525.

LXXXV. Andreæ Ottomari Goelicke & J. Georgii Preunel *de novo artificio curandi procidentiam uteri* Francof. ad Viadr. 1710. Veri prolapſus uteri exempla habet, inſtrumentum huic malo opponit, peſſum ex filis ferreis elaſticis factum. 537.

LXXXVI. Phil. Adolphi Boehmer & Frid. Benj. Wachter *de prolapſu & inverſione uteri ejuſque vaginæ relaxatione* Hall. 1745. Hiſtoriam funeſti prolapſus dat, & demonſtrationem utique uterum ipſum vere prolabi. Varia peſſaria pro retinendo utero delineat, ſuberea præfert. In vertendo Meſnardi loco peſſarium ex linteo cerato factum intelligit, quod omnino etiam ex ſubere (Liége) cera obducto gallus ille chirurgus fabrefecit. 557.

LXXXVII. J. Adami Kulmus & J. Eilhardi Reinik Gedani 1732. *de uteri delapſi ſuppreſſionis urinæ & ſubſequutæ mortis cauſa.* Veſica ad enormem molem diſtenta, duos pedes longa, ſeſquipedem lata, unaque juſto craſſior, hinc ureteres & pelvis ſupra naturalem diametrum grandes; uterus gemellis prægnans in vaginam prolapſus, & veſicæ oſtium comprimens. Placenta pene toti internæ uteri caveæ adnata. 585.

LXXXVIII. S. Pauli Hilscher & J. Dan. Mittelhæuser *de incontinentia urinæ ex partu globulis ligneis curanda* Jenæ 1716. Occaſionem diſputationi præbuit infortunium feminæ ruſticæ, cui peſſus multis annis geſtatus incontinentiam quidem lotii cohibuerat, perinæum vero ſenſim laceraverat, ut globus obturator in rectum inteſtinum tranſiret. Id infortunium ſanavit auctor, & ad urinam continendam globulos ligneos in vaginam miſſos, felici eventu confirmatos, commendavit. 597.

LXXXIX. Abraham Vater & J. Dan. Behrens *de ſarcomate e pudendo muliebri ſectione ſublato* Witteberg. 1728. Enorme duarum librarum fibroſum & vaſculoſum ſarcoma ſectione abſque vinculo remotum, quod de vaginam pendulum putredinem conceperat. 619.

XC. J. Frid. Crellii Progr. *de tumore fundo uteri externe adhærente* Witteberg. 1739. 634.

XCI. Abrahami Vateri & Caspari Schunkii *de polypo poſt febrem epidemiam ex utero egreſſo* Witteb. 1739. Sarcoma uteri in febris acutæ declinatione prolapſum, neque reſectum, ſed repoſitum, & abſque ullo incommodo retentum deſcribit. 639.

FINIS.